

P. GABRIEL M. ROSCHINI O. S. M.

MARIOLOGIA

TOMUS II

SUMMA MARIOLOGIAE

Pars II - De privilegiis singularibus B. M. V.

SECUNDA EDITIO

REVISA ET NOTABILITER AUCTA

ROMAE

ANGELUS BELARDETTI EDITOR

ANNO MCMXLVIII

P. GABRIEL M. ROSCHINI O. S. M.

S. Theologiae Magister

Socius Pont. Academiae S. Thomae Aquinatis et Religionis Catholicae
in Collegio Internationali S. Alexii Falconieri de Urbe Professor

*James Cardinal Gibney
2 P. Coll. P. S. S. A. A.
Rome. 1952*

MARIOLOGIA

TOMUS II

SUMMA MARIOLOGIAE

PARS SECUNDA

*De Beata Maria Virgine
considerata in suis singularibus privilegiis*

SECUNDA EDITIO

REVISA ET NOTABILITER AUCTA

ROMAE

ANGELUS BELARDETTI EDITOR

ANNO MCMXLVIII

Ex parte Ordinis nihil obstat quominus imprimatur.

Romae, die 8 Dec. 1947.

FR. ALFONSUS M. BENETTI
O. S. M. Prior Generalis

IMPRIMATUR:

E Civitate Vaticana, die 1^a Martii 1948.

† Fr. ALFONSUS C. DE ROMANIS, Ep. Porphyr.,
Vicarius Generalis Civitatis Vaticanae

PARS SECUNDA

*DE BEATA MARIA V. CONSIDERATA
IN SUIS SINGULARIBUS PRIVILEGIIS*

Ratio huius secundae partis. Postquam consideravimus Beatissimam Virginem in SUA MISSIONE sive relate ad Creatorem sive relate ad creaturas, accedimus nunc, cum timore et tremore, ad illam in semetipsa considerandam. Est enim, inter omnes, propinquissima Deo qui est infinite perfectus et fons omnium perfectionum.

Iam a priori dicere possumus Beatissimam Virginem perfectissimam undequaque fuisse tum quoad animam, tum quoad corpus. Si enim, exempli gratia, rex quidam mandatum dedisset artifici cuidam construendi domum pro filio suo, artifex, procul dubio, totis viribus incumberet in opus illud perficiendum ad hoc ut persona tantae dignitatis minus esset indignum. Iamvero, B. Virgo, nonne fuit *domus aurea*, regium palatium a Deo ipso, summo artifice, pro Unigenito Filio suo praeparatum? Hinc ipsum tanto hospite dignum (dignitatis infinitae) reddere debuit. Et hoc bene exprimit Ecclesia in oratione quadam liturgica: « Omnipotens sempiternae Deus, qui gloriosae Virginis Matris Mariae corpus et animam, ut *dignum Filii tui habitaculum* effici mereretur Spiritu Sancto cooperante praeparasti etc. ».

Insuper: si filius quidam potuisset eligere et sibi efformare matrem suam, nonne perfectissimam ipsam faceret?... Iamvero, quod nemo nostrum facere potest, Dei Filius et potuit et fecit. Matrem suam ipse, semetipso dignam, effecit. Hinc vere Deus dicere potest: « Una est perfecta mea » (Cant., 6, 8).

Ipsam enim tot tantisque perfectionibus ditavit, ut — iuxta dictum S. Mechtildis — « *michrocosmos* », id est, parvum mundum redderet, et Ei plus curae Deus impendit quam universo condendo. Quae in toto orbe sparsim videmus, in Virgine adunata inveniuntur. « In te s'aduna — quantunque in creatura è di bontade » (Par. 33, 20-21). Hac de causa studium perfectionum B. M. Virginis perdifficile evadit. Omnia enim quae in S. Theologia vel in christiana philosophia traduntur, prae oculis tenenda sunt, ut B. Virgo meliori quo fieri potest modo cognoscatur.

Divisio huius secundae partis. Ordo quem in hac secunda parte sequi debemus, ab Ecclesia ipsa in oratione liturgica « Omnipotens sempiternae Deus » indigitatur. Dividi ergo potest in tres sectiones:

- I. De his quae pertinent **ad animam B. M. V.**;
- II. De his quae pertinent **ad corpus B. M. V.**;
- III. De his quae pertinent **ad compositum**, seu **ad animam simul et corpus B. M. V.**

SECTIO PRIMA

DE HIS QUAE PERTINENT AD ANIMAM
BEATAE MARIAE VIRGINIS

Ratio huius sectionis. Quia pars formalis cuiuscumque rei nobilior est parte materiali, hinc ab anima B. M. Virginis, quae est pars eius formalis, consideratio nostra incipere debet.

Divisio huius sectionis. Quia vero anima B. M. Virginis fuit immunis a qualibet imperfectione et fuit plena omnibus perfectionibus, hinc sectio haec in duo capita apte dividi potest, videlicet:

- I. De immunitate animae B. M. V. a qualibet imperfectione;
- II. De perfectionibus animae B. M. V.

CAP. I – DE IMMUNITATE ANIMAE B. M. VIRGINIS A QUALIBET IMPERFECTIONE.

Ratio capituli. Postulat logicus ordo, ut ante omnia removeatur ab anima B. M. V. quaelibet imperfectio, et ideo elementum negativum ante elementum positivum rite statuatur.

Ordo capituli. Quia vero triplex est animae imperfectio, videlicet, peccatum originale, fomes peccati et peccatum actuale, hinc logice praesens caput in tres articulos subdividitur, videlicet:

- I. De immunitate B. M. V. a peccato originali.
- II. De immunitate B. M. V. a fomite peccati.
- III. De immunitate B. M. V. a quolibet peccato actuali.

Art. I – DE IMMUNITATE B. M. V. A PECCATO ORIGINALI

BIBLIOGRAPHIA

Bibliographia huius quaestionis est amplissima. Exc̄m̄us ROSKOVÀNY in suo opere *B. V. Maria in suo conceptu Immaculata ex monumentis omnium saeculorum demonstrata*, 9 vol. (Budapest, 1873-81), ultra 25.000 scripta (sensu tamen lato accipienda) circa praesens argumentum numeravit. — Pariter, opera selecta et documenta Immaculatam Deiparae conceptionem respicientia inveniri possunt in op. BERNARDI A. MC KENNA, *The Dogma of the Immaculate Conception - Historical Development and Dogmatic Fulfilment*, Washington D. C. 1929, pp. 573-603.

Aliam Bibliographiam circa praesens argumentum tradit F. ESCARD, in opere: *Bibliographie de l'Immaculée Conception*, in *Polybiblion*, pars litteraria, Paris, dec. 1879, ian. 1880, pp. 165 sq. (opera opposita) 167 (confutationes).

Etiam in Bibliotheca Vaticana (Vat. lat. 13514), invenitur « *Catalogus immaculatus marianus* quingentorum et amplius auctorum pietate et doctrina maxime illustrium inter quos multi dominicanorum qui de Conceptione immaculata Deiparae Virginis, vel speciales tractatus ediderunt, vel eidem conceptioni titulum immaculatae, suis in operibus addiderunt, servato temporum ordine, congestus » 57 f.

Nos autem praecipua opera theologica tantum, iuxta varias linguas, indicabimus:

A) SCRIPTA LATINA:

ALVA, PETRUS DE O. F. M. Obs., *Monumenta antiqua Immaculatae Conceptionis sanctissimae Virginis Mariae, ex variis auctoribus antiquis tam manuscriptis quam olim impressis, sed qui vix reperiuntur*, Louvain, 1664.

ANONYMUS, *Quaestiones disputatae de Immaculata Conceptione B. M. V.* Bibliotheca Franciscana Scholastica Medii Aevi (t. 3 ed., 1904 ad Claras Aquas, Quaracchi apud Florentiam).

ARENDT G., *De Protoevangelii habitudine ad Immaculatam Deiparae Conceptionem*, Romae, 1904.

BALIĆ C., O. F. M., *Ioannis de Polliaco et Ioannis de Neapoli quaestiones disputatae de Immaculata Conceptione Beatae Mariae Virginis*, Sibenici, 1931, in-8, 110 p.

De Ordine Minorum tamquam duce pii fidelium sensus de Immaculata Conceptione B. V. Mariae, Quaracchi, in-8, 57 p.

De debito peccati originalis in B. Virgine Maria, Romae, 1941 (extractum ex *Antonianum*, 1941, 205-252, 317-372).

BALLERINI A., S. I., *Sylloge Monumentorum, ad Mysterium Virginis Deiparae illustrandum*. Pars I, Romae, 1854, 2 voll., ed. Lecoffre, Paris, 1857.

BIGARO P., *Purissimae Virginis Mariae Dei Genitricis Conceptus brevis disquisitio Theologico-Critica*, Venezia, 1850.

CAESARI TH., Ord. Cist., *Ordinis Cisterciensis suffragia, pro dogmatica ferenda sententia, super mysterio Immaculatae Conceptionis B. V. M. elucidata (Pareri, vol. 9, pp. 270-312)*.

CORNOLDI G. M., *Sententia S. Thomae de Immunitate B. Virginis Dei Parentis a peccati originalis labe*, Napoli, 1870.

CERRI D., *Enchiridion Auctoritatum super duodecim Momenta fundatum ex quibus exurgit triumphus B. Mariae Virginis, Matris Dei in originale peccatum*, Taurini, 1851.

CYPRIANUS A S. MARIA, O. F. M. Ref., *Compendium quo probatur mysterium Immac. Conc. Beatae Virginis Mariae esse prope definibile*, Granatae, 1651, vide Bibliotheca Hispanica Nova, Madrid, 1783, vol. I, p. 260.

COZZA-LUZI, *De Immaculata Deiparae Conceptione hymnologia Graecorum*, Romae, 1872.

DOUCET V., O. F. M., *Magister Aegidius Carlerii († 1472) eiusque quaestio de Immaculata Conceptione B. Mariae Virginis*, in *Antonianum*, 5 (1930), 403-432.

EADMER OF CANTERBURY, *Tractatus de Conceptione Sanctae Mariae*, Herder, St. Louis, 1904.

EHRMANN A., S. M., *Maria Immaculata*, in *Zeitschr. f. Ass. u. Myst.*, 5 (1930) 193-212.

- FEBRER RAYMUNDO MARTINEZ, *De Natura et Gratia Admirabilis et Purissimae Conceptionis Deiparae V. Mariae*, elucidationes utiliter congestae, 5 voll., Interamnae, 1852-1854. — *De utilitate et ratione sufficienti ad dogmaticam definitionem super Immaculato Deiparae Mariae conceptu*, cfr. *Civiltà Cattolica*, Ianuar. 20, 1855.
- FRIETHOFF C., O. P., *Quomodo caro B. M. V. in originali concepta fuerit*, in *Angelicum*, 10 (1933) 321-334.
- GABRIEL AB ANNUNTIATA O. C. D., *De fide in Immaculatam Conceptionem apud Carmelitas usque ad saec. XVI*, in *Annal. Ord. Carm. disc.* 5 (1930-31) 31-44, 81-87.
- GAUDE P., O. P., *De Immaculato Conceptu eiusque dogmatica definitione in ordine praesertim ad scholam thomisticam et institutum FF. Praedicatorum*, Romae, 1854. Cfr. *Civiltà Cattolica*, Ianuar. 5, 1855, p. 91.
- HAYE (DE LA) I., O. F. M. Obs., *De maxima Alexandri Halensis in Deiparam pietate, et pro Immaculata eius conceptione Apologia*, Parisiis, 1747 (vide Roskovány, 3, 298).
- HOLZAPFEL H., *Bibliotheca Franciscana de Immaculata Conceptione B. M. V.* (ed. 1904, Quaracchi).
- LE BACHELET X. M., *Auctarium Bellarminianum*, Paris, 1913. Ven. servi Dei Roberti Card. Bellarmini de Immaculata Beatae Mariae Virginis conceptione votum, Paris, 1905.
- MEIER L., O. F. M., *Ioannes Bremer O. F. M. Immaculatae Conceptionis strenuus defensor*, in *Antonianum*, 2 (1936) 429-486.
- PASSAGLIA C., *De Immaculato Deiparae semper Virginis Conceptu. Commentarius*, 3 voll., Romae, 1854. Cfr. *Civiltà Cattolica*, october 1, 1854, p. 69; december 2, 1854, p. 552.
- PATRIZI X., *De Immaculata Mariae origine a Deo praedicta disquisitio*, Romae, 1854.
- PERRONE I., S. I., *De Immaculato B. V. Mariae Conceptu. An dogmatico decreto definiri possit disquisitio theologica*, Romae, 1847.
- PLAZZA B., *Causa Immaculatae Conceptionis*, Palermo, 1747.
- PRADO N. DEL, O. P., *Divus Thomas et Bulla dogmatica « Ineffabilis Deus »* (ed. Friburgi Helvetiorum ex typis consociationis Sancti Pauli, 1919).
- ROMERI C., O. F. M., *De Immaculata Conceptione B. M. V. apud S. Antonium Patavinum*, Romae, 1939.
- SAGÜÉS P., O. F. M., *Doctrina de Immaculata B. V. Mariae conceptione apud P. Ludovicum de Carvajal, O. F. M. († 1552)*, in *Antonianum*, 18 (1943) 141-162; 245-270.
- SCHULER-HOLZAPFEL, *Bibliotheca Franciscana de Immaculata Conceptione B. M. V.* Iussu Rmi P. Dionysii Schuler, totius Ordinis Fratrum Minorum Ministri Generalis, composita a P. Geriberto Holzapfel, O. F. M., S. T. D., Florentiae, 1904.
- SERICOLI C., O. F. M., *Immaculata B. M. Virginis Conceptio iuxta Xysti IV constitutiones*, Sibenici, 1945, 174 p., 24 cm. (Bibl. Mar. Medii Aevi, fasc. 5).
- SIXTUS IV, Pontif. Max., *De conceptione Beatissimae Virginis*, Romae, 1471. Eulæ « Cum praeclsa », 1477; « Libenter », 1480; « Grave nimis », 1483.
- THURSTON H., et TH. SLATER, *Ecdmeri Cantuariensis tractatus de Conceptione Sanctae Mariae, olim sancto Anselmo attributus, nunc primum integer ad ecdicum fidem editus, adiectis quibusdam documentis cœtaneis*, Freiburg, 1904.
- VAN ROSSUM G., C. SS. R., *S. Alphorsus M. De Ligorio et Immaculata Conceptione B. M. V.*, Romae, 1904.

- VAZQUEZ A., O. F. M., *Expositio theologica historica et moralis super Bullam Alexandri VII de vero sensu ab Ecclesia semper retento circa cultum Imm. Conc. Virginis Mariae*, (Bibliotheca Hispanica Nova, 1, 51, Matriti, 1783).
- VELASQUEZ IOAN. ANT., *Dissertationes de Maria Immaculate Concepta*, Lyon, 1653.
- WADDING L., O. F. M. Rec., *De B. M. V. Conceptione, Redemptione et Baptismo*, Romae, 1655.
- ZIMMERMANN B. M., O. C. D., *Ricardi Arch. Armacani bini sermones de Immaculata Conceptione B. V. M.*, habiti in Ecclesiis Carmelitarum annis 1348 et 1349 e codicibus Oxoniensibus nunc primum editi, in *Anal. Ord. Carm. Disc.*, 6 (1931) 158 ss.

B) SCRIPTA ITALICA:

- ANONYMUS, *L'Immacolata Concezione di Maria ed i Francescani*, in occasione del Cinquantesimo anno dalla dommatica definizione (pp. xvi-272, ed. 1904). Typographia Collegii S. Bonaventurae, Ad Claras Aquas.
- BERARDO S., O. S. M., *L'Immacolata negli scritti di Maestro Lorenzo da Bologna*, in *Pa-lestra del clero*, 1943, pp. 225-280.
- BIANCHERI R. P., C. M., *Voto, in forma di dissertazione, sulla definizione dogmatica dell'Immacolato Concepimento della beata Vergine Maria*, Tivoli, 1848. (In *Pareri*, vol. 5, p. 181).
- BIBBIENA MICHAEL ANGELUS DE, *La Donna dell'Apocalisse, Maria SS. Madre di Dio, sempre Vergine, concetta in grazia*, Lucca, 1712 (vide ROSKOVÁNY, 3, 624).
- BRUNI, Vescovo di Ugento, *Breve risposta alle principali obiezioni che si oppongono alla definizione dogmatica del mistero dell'Immacolata Concezione di Maria Santissima*, Roma, 1853.
- CANTINI G., O. F. M., *Il pensiero di S. Antonio da Padova intorno al concepimento di Maria*, in *Studi franc.*, 28 (1931) 129-144.
- CASTAGNOLI, C. M., *Contributo alla storia del dogma dell'Immacolato Concepimento di Maria SS.*, in *Div. Th. (Plac.)*, 35 (1932) 17 ss.
- EUPIZI S., *Il pensiero di Tommaso d'Aquino riguardo al dogma dell'Immacolata Concezione*, Varallo Sesia, 1941.¹
- GRAMMATICO A., O. C., *L'Immacolata Concezione di Maria e i Dottori Carmelitani*, in *Il monte Carmelo*, 1929, extr. in-8, 36 p.
- GUALCO DOMENICO, *La dogmatica definizione dell'Immacolato Concepimento della B. V. M.*, Genova, 1855-1856, 2 voll., 910 p. Cfr *Civiltà Cattolica*, oct. 1856, p. 88.
- LAMBRUSCHINI, Card., *Sull'Immacolato Concepimento di Maria*. Dissertazione polemica, Roma, 1843.
- MANCINI V., *Il primo difensore dell'Immacolata Concezione di Maria è stato un Mercenario: S. Pietro Pascasio*, Napoli, 1939.
- MARINI N., *L'Immacolata Concezione di Maria Vergine e la Chiesa greca ortodossa dissidente*, Roma, 1908.
- MEESTER P. DE, *La festa della Concezione di Maria SS. nella Chiesa greca*, Roma, 1904.
- MARIOTTI C., O. F. M., *L'Immacolata Concezione di Maria Santissima*, Roma, 1896.

¹ Cfr ea quae de hoc opere scripsimus in *Marianum*, 3 (1941) 294-297; 4 (1942) 62-69.

- MURA B., O. S. M., *Sunto analitico dell'opera del R. P. Perrone d. C. d. G. intitolata « De Immaculato B. V. M. Conceptu »*, Roma, 1848.
- PACIFICO F. AGOSTINO DI MARIA ADDOLORATA, Alcantarino O. F. M., *Della origine, progressi e stato presente del culto e festa dell'Immacolatissimo Concepimento della Grande Genitrice di Dio, Maria, e della sua dogmatica definizione. Ricerche storico-cronologico-critiche*, Napoli, 1852, 1000 p. (Cfr *Civiltà Cattolica*, febr. 1854, p. 322).
- PALMIERI A., *Il dogma dell'Immacolata Concezione e l'Accademia ecclesiastica di Kiev nel secolo XVIII*, in *Bessarione*, 6 (1909) 1-12.
- Pareri dell'Episcopato cattolico, di congregazioni, di università, di personaggi ragguardevoli, etc. sulla definizione dogmatica dell'immacolato concepimento della B. V. Maria*, Roma, 1851-1854.
- PARODI L., *La fede e la divozione a Maria sempre Immacolata, dichiarata e proposta coi sentimenti e colle parole de' SS. Padri*, Roma, tip. della Civiltà Cattolica, 1856, 318 p.
- PIANORI A., O. F. M. Obs., Episcopus Faventinus, *Fondamenti ortodossi per la definizione dell'Immacolato Concepimento di Maria Santissima*, Cesena, 1854.
- RIVAROLA G., Abbate Cassinese, *Dissertazione in cui si prova che Maria Vergine sia stata necessariamente concepita immacolata, per necessaria conseguenza dell'infallibile dogma della divina sua maternità*, Palermo, 1822 (in *Pareri*, vol. 5, pp. 7-97).
- SARDI V., *La solenne definizione del dogma dell'Immacolato Concepimento di Maria Santissima*. Atti e documenti pubblicati nel cinquantesimo anniversario della stessa definizione, Roma, 1905.
- SCARAMUZZI D., O. F. M., *L'Immacolato Concepimento di Maria. Questione inedita di Landolfo Caracciolo O. F. M. († 1351)*, Firenze, 1931, 38 p.
- SPADA M., O. P., *Esame critico sulla dottrina dell'Angelico dottore san Tommaso d'Aquino, circa il peccato originale, relativamente alla beatissima Vergine Maria*, Napoli, 1839.
- STROZZI TH., S. I., *Controversia della concezione della beatissima Vergine Maria*, Palermo, 1700-1703.

C) SCRIPTA ANGLICA:

- A. C., *The Immaculate Conception and the contracting of Sin*, in *Eccles. Rev.*, 72 (1925) 76-82.
- ANONYMUS, *The Immaculate Conception of Our Lady*, Murphy, Baltimore, 1855.
- BISHOP EDMUND, *On the Origins of the Feast of the Conception of the Bl. Virgin Mary*, London, 1904.
- BRYANT T. D., *The Immaculate Conception of the Most Blessed Virgin Mary Mother of God. A Dogma of the Catholic Church*, Boston, 1855.
- FABER W., *An Explanation of the Doctrine and Definition of the Immaculate Conception with a Meditation*, J. Murphy, Baltimore, 1855.
- HARPER T., S. I., *The Immaculate Conception. Revised and introduced by the Rev. Joseph Rickaby, S. I.*, Burns e Oates, London, 1919.
- HOGAN S. M., O. P., *Mother of Divine Grace: A chapter in the Theology of the Immaculate*, Burns and Oates, London, 1920.
- HUSENBETH, *The Chain of the Fathers. Witnesses for the Doctrine of the Immaculate Conception of the Blessed Virgin Mary, Mother of God*, Richardson, London, 1885.

- LONERGAN W. J., S. J., *Mary Immaculate*, New York, 1931, in-8, 16 p.
- LUMBRERAS PETER, O. P., *Saint Thomas and the Immaculate Conception*, Notre Dame, Indiana, 1924.
- MAYER O. F. M. Conv., *The Teaching of Ven. Duns Scotus concerning the Immaculate Conception of Our Lady*, in *Franciscan Studies*, 1927, 39-46.
- MILDNER F., O. S. M., *The Immaculate Conception in England up to the time of John Duns Scotus*, in *Marianum*, a. 1939-1940.
- STORFF H., O. F. M., *The Immaculate Conception. The teaching of St. Thomas, St. Bonaventure and Bl. J. Duns Scotus on the Immaculate Conception of the Blessed Virgin Mary*, St. Francis Press, California, 1925.
- THURSTON H., *The Irish Origins of Our Lady's Conception Feast*, in *The Month*, 103 (1904) 449 ss.
- TORMEY M., *The Immaculate Conception, an essay*, Dublin, 1855, 236 p.
- ULLATHORNE, ARCHBISHOP, *The Immaculate Conception of the Mother of God*. New Edition. Revised by the Very Rev. Canon Iles. Introduction by the Bishop of Birmingham, Benziger Bros., New York, 1904.

D) SCRIPTA GALLICA:

- ANONYMUS, *Témoignages de l'Eglise Syro-maronite en faveur de l'Immaculée Conception*, Beirut, 1904.
- BAINVEL J. V., *L'histoire d'un Dogme*, in *Etudes*, Paris, 101 (1907) 612-632.
- BERNARD R., O. P., *L'Immaculée Conception*, in *Vie Spir.*, 29 (1931) 238-255.
- BITTREMIEUX I., *Le sentiment de S. Bonaventure sur l'Immaculée Conception de la Sainte Vierge*, in *Et. Franc.* 40 (1928) 367-394.
- BOURDALOUE, *Sur la conception de la Vierge*. (Cfr BOURDALOUE, *Œuvres complètes*, t. 4, p. 371, ed. Lyon, 1864).
- BURRIDGE A. W., *L'Immaculée Conception dans la théologie de l'Angleterre médiévale*, in *Rev. Hist. Eccl.* 32 (1936) 570-597.
- CAPELLE, O. S. B., *La pensée de saint Augustin concernant l'Immaculée Conception*, in *Rech. Théol. Anc. Méd.*, 4 (1932) 361-370.
- COLLAES P., *L'Immaculée Conception de Marie dans ses figures prophétiques*, Bruxelles, 1885.
- DARRAS A., *Essai historique sur l'Immaculée Conception de la très Sainte Vierge*, Bray, Paris, 1852.
- DE GRANDEFFE A., *L'Immaculée Conception au point de vue rationnel*, Lacour, Paris, 1857.
- DENEFFE A., S. J., *Deux questions médiévales concernant l'Immaculée Conception*, in *Rech. Théol. Anc. Méd.*, 4 (1932) 401-432.
- DONCOEUR P., *Les premières interventions du Saint-Siège relatives à l'Immaculée Conception (XII-XIV siècle)*, Louvain, 1908. Extrait de la *Revue d'histoire ecclésiastique*, vol. 3, n. 2, 4; 9, n. 2.
- DOUCET V., O. F. M., *P. I. Olivi et l'Immaculée Conception*, in *Arch. franc. hist.* 26 (1923) 560-563.
- EADMER, *La Conception Immaculée de la Vierge Marie*. Introduction et traduction par Dom B. Del Marmol, Lethielleux, Paris, 1924.

- ESSEN (van der) L., *La définition du dogme de l'Immaculée Conception et la Faculté de Théologie de l'Université de Louvain*, in *Rev. hist. ecclés.*, 24 (1928) 650-655.
- GAGARIN J., S. S., *L'Eglise russe et l'Immaculée Conception*, Paris, 1876.
- GOUSSET, Card., *La croyance générale et constante de l'Eglise touchant l'Immaculée Conception de la B. V. Marie, prouvée principalement par les Constitutions et les actes des Papes, par les lettres et les actes des Evêques, par l'enseignement des Pères et des Docteurs de tous les temps*, Lecoffre, Paris, 1855.
- GUERANGER P., O. S. B., *Mémoire sur la question de l'Immaculée Conception de la très sainte Vierge*, Paris, 1850.
- HILAIRE, De Paris, Cap., *Notre-Dame de Lourdes et l'Immaculée Conception*, Lyon, 1880.
- HOBELKA J., Religieux Maronite Libanais, *Témoignages de l'Eglise syro-maronite en faveur de l'Immaculée Conception de la très sainte Vierge Marie*, Basconta, 1904.
- JUGIE M., *Le témoignage de Saint Luc sur l'Immaculée Conception*, in *Notre-Dame*, 1 (1911) 67-69. — *L'Immaculée Conception dans la tradition grecque; les Pères anténiécéens et l'Immaculée*, in *Notre Dame*, Paris, 1 (1911) 41-42, 257-259.
- *La doctrine de l'Immaculée Conception et les Pères orientaux du IV^e siècle*, in *Notre-Dame*, 2 (1912) 129 ss.
- L'Immaculée Conception dans l'Eglise grecque après le Concile d'Ephèse*, in *Dict. Théol. Cath.*, t. 7, coll. 893-975.
- L'Immaculée Conception chez les Russes au XVI^e siècle*, in *Echos d'Or.*, 12 (1909) 56-75.
- L'Immaculée Conception en Moscovie au XVII^e siècle*, in *Echos d'Or.*, 12 (1909) 321-329.
- LAGIER P., O. M. I., *L'Immaculée Vierge Marie*, Paris, 1855.
- LE BACHELET X. M., *L'Immaculée Conception*, Paris, 1902. — *Le « Votum Bellarmini » sur l'Immaculée Conception*, in *Les Etudes*, Paris, 1904.
- Immaculée Conception*, in *Dict. théol. cath.*, t. 7, coll. 854-893; 979-1218; et in *Dict. apol.*, t. 3, coll. 209-275.
- LESÊTRE H., *L'Immaculée Conception et l'Eglise de Paris*, Paris, 1905.
- LONGPRÉ E., O. F. M., *Fr. Bernard de Deo O. F. M. (1318) et l'Immaculée Conception*, in *Archiv. franc. hist.*, 26 (1933) 247-249. — *Le sentiment de Saint Bonaventure sur l'Immaculée Conception de la Sainte Vierge*, in *Et. Franc.*, 40 (1928) 367-394. — *Robert Grossetête et l'Immaculée Conception*, in *Arch. franc. hist.*, 27 (1933) 550 s.
- MALOU T. B., *Iconographie de l'Immaculée Conception de la très-sainte Vierge Marie*, H. Goemacre, Bruxelles, 1857.
- L'Immaculée Conception de la très sainte Vierge Marie, considérée comme dogme de foi*. 2 voll., Goemacre, Bruxelles, 1857.
- MAUREL P., *L'Immaculée Conception de la Sainte Vierge*, Lyon, 1854.
- MICHEL-ANGE, O. M. Cap., *Saint Thomas et l'Immaculée Conception*, in *Orientalia*, 11 (1927) 300-307.
- NOYON A., *Notes bibliographiques sur l'histoire de la Théologie de l'Immaculée Conception*. VI. *La doctrine, au XII^e siècle*, in *Bulletin de littérature ecclésiastique*, Toulouse, Jul.-August, 1920, pp. 296 ss.
- PARISIS, *Démonstration de l'Immaculée Conception*, Lecoffre, Paris, 1849.
- PAUWELS P., O. F. M., *Les Franciscains et l'Immaculée Conception*, Malines, 1904.

- PETRIDES S., *L'Immaculée Conception et les Grecs modernes*, in *Echos d'Or.*, 8 (1925) 257-270.
- RENAUDIN P., O. S. B., *La pensée de Saint Thomas sur l'Immaculée Conception*, Avignon, 1926, 16 p.
- ROBITAILLE, *Traité historique et dogmatique de la définition du dogme de l'Immaculée Conception de la Sainte Vierge*, Lefranc, Arras, 1857.
- SALAVILLE S., *La croyance et le culte de l'Immaculée Conception chez les Grecs et les Slaves au XVIII^e siècle*, in *Marianum*, 2 (1940) 114-144, 267-283.
- TERRIEN J. B., S. I., *L'Immaculée Conception*, Paris, 1904.
- VACANDARD E., *Les origines de la fête et du Dogme de l'Immaculée Conception*, in *Etudes de critique et de l'Histoire religieuse*, vol. 3, Paris, 1912.

E) SCRIPTA GERMANICA:

- KIRFEL H., *Der heilige Augustinus und das Dogma der Unbefleckten Empfängnis Mariens*, in *Jahrbuch für Philosophie und speculative Theologie*, Paderborn, 1907.
- BARTMANN B., *Maria, die unbefleckt Empfangene in Dogma und Predigt*, in *Kath. Kanzel*, 1926, pp. 210-218.
- BINNEBESEL B., *Die Stellung der Theologen des Dominikaner-ordens zur Frage nach der unbefleckten Empfängnis Marias bis zum Konzil von Basel*, in *Kallmünz bei Regensburg*, 1934, in-8, xvii-86 p.
- GÖTZ I., *Augustin und die Immaculata Conceptio*, in *Theol. Glaube*, 25 (1933) 739-744.
- HOFMANN F., *Die Stellung des hl. Augustinus zur Lehre von der Unbefleckten Empfängnis Mariä*, in *Theol. Quartalschr.*, 130 (1932) 299-319.
- KANP J., O. F. M., *Duns Skotus als Vollender der Lehre von der Unbefleckten Empfängnis*, in *Aus der Geisteswelt des Mittelalters*, Münster, 1935, pp. 981-1010.
- JOSEPH A LEONISSA, O. M. Cap., *St. Bonaventura zur unbefleckten Empfängnis Marias*, in *Franzisk. Stud.*, 20 (1933) 304-308.
- LANDMANN F., *Die Unbefleckte Empfängnis Mariä in der Predigt zweier Strassburger Dominikaner und Geilers von Kaysersberg*, in *Arch. elsäss Kirchengesch.*, 6 (1931) 189-194.
- LEHMKUHL A., *Bedeutung der Dogmatisierung der unbefleckten Empfängnis für unsere Zeit*. In marianischer Congress-Bericht vom August, 1902. (Ed. Fribourg, Switzerland, 1903).
- MUELLER FR. S., S. I., *Die Unbefleckte Empfängnis Marias in der syrischen und armenischen Ueberlieferung*, in *Scholastik*, 9 (1934) 161-201. — *Die Unbefleckten Empfängnis der Gottesmutter in der griechischen Ueberlieferung*, in *Gregorianum*, 16 (1935) 74-94; 17 (1936) 82-115.
- SCHERER W., *Zur Frage über die Lehre des heiligen Augustinus von der unbefleckten Empfängnis*, in *Theologie und Glaube*, Paderborn, 1912.
- SCHERRER P., *Zwei neue Schriften Thomas Murners: Mendatia Lutheri (1524) und Tractatus de Immaculata Virginis Conceptione (1499)*, in *Basler Zeitschr. Gesch. Altertumskunde*, 29 (1930) 145-167.
- SCHMUTZ S., O. S. B., *War der hl. Thomas Gegner der Unbefleckten Empfängnis?*, in *Benediktiner Monatschrift*, 2 (1929) 523-527.

F) *SCRIPTA HISPANICA*:

- AUGUSTÍ V., S. I., *La Inmaculada Concepción y los errores modernos*, Razón y Fé (Madrid).
 ARQUÉS RAMÓN, *Lo Dogma de la Inmaculada en la literatura catalana antigua*, Lérida, 1904.
 CAPARROSO, *La Inmaculada Concepción de Duns Escoto*, Pamplona, 1908.
 CASTELLOTE, *Memoria sobre las vicisitudes por que ha pasado en España la creencia en la Concepción Inmaculada de Maria Santísima*, Madrid, 1904.
 MANRESA RUPERTO M. de, *Libro de la Concepción Virginal atribuido al Beato Raimundo Lull*, versión castellana, Barcelona, 1906.
 MORILLA H., *San Agustín defensor de la Concepción Inmaculada de Maria. (En la Ciudad de Dios*, Valladolid, 1908, c. 75, p. 385).
 ORTEGA A., O. F. M., *La Inmaculada Concepción y los Franciscanos*.
 PRADO N. del, O. P., *Santo Tomás y la Inmaculada*, Barcelona, 1909.
 RAMIREZ, *Historia de los hechos y escritos del clero secular en honor de la Inmaculada*, Madrid, 1776.
 VILLAESCUSA M. H., *La Inmaculada Concepción y las Universidades Españolas*, Segunda edición, Oñate, 1901.

Prop.: *Beatissima Virgo Maria, in primo instanti suae conceptionis, fuit singulari omnipotentis Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Christi Iesu Salvatoris humani generis, ab omni originalis culpa labe praeservata immunis.*

Propositio est *de fide* definita a Pio Papa IX die 8 dec. 1854, eiusque verba in ipsa formula definitionis inveniuntur.

PROPOSITIONIS DECLARATIO

Propositio haec, prout ex ipsius terminis patet duo respicit, videlicet: *declarationem privilegii definiti, et certitudinem privilegii.*

I) **Declaratio privilegii.** Indigitantur, enim, *causa materialis* (seu subiectum), *causa formalis* (seu obiectum), *causa efficiens* et *causa finalis* privilegii.

A) **Causa materialis** seu subiectum privilegii: est *persona B. Mariae V...*, in *primo instanti suae conceptionis passivae consummatae*,¹ seu, in ipso instanti in

¹ Conceptio dividitur

in

activam

(= actus generativus
parentum)

passivam

(= terminus actus generativi parentum, seu, foetus humanus ex ipso productus)

inchoata

(*antequam* foetus informetur anima rationali)

consummata

(*in ipso instanti* in quo foetus animatur anima rationali)

quo foetus animatur anima rationali. De instanti vero in quo anima infunditur in corpus (i. e. utrum inde ab initio conceptionis, prout vellent recentiores, an postquam foetus est sufficienter organizatum, prout vellent veteres philosophi) nihil dicitur aut innuitur, et quidem ex intentione, in definitione (cfr SARDI, o. c., t. 2, pp. 33, 87, 242-45, 292, 312).

Erraverunt igitur qui posuerunt sanctificationem Deiparae *ante animationem*, cum tunc nondum fuerit *persona*, et ideo subiectum gratiae aut peccati capax.

B) **Causa formalis** seu obiectum privilegii: *est praeservatio* (personae Deiparae) *ab omni originalis culpa labe*. Hisce verbis a) *directe* negatur in B. Virgine *peccatum originale* (ab Adamo patratum et in posteros eius per carnalem generationem transmissum), et b) *indirecte*, ratione oppositi, ponitur in B. Virgine *gratia sanctificans* inde a primo instanti suae personalis existentiae.

Peccatum enim originale, iuxta Ecclesiae doctrinam, secumfert privationem sanctitatis et iustitiae originalis, inimicitiam divinam. Eximere igitur *directe* Deiparam ab effectibus istis essentialibus peccati originalis, idem est ac asserere *indirecte* in Deipara sanctitatem et iustitiam seu gratiam sanctificantem, filiationem adoptivam et Dei amicitiam (cfr Conc. Trid., Sess. 5, can. 1 et 2; Sess. 6, c. 1, 4, 7).

Hinc fit ut privilegium Immaculae Conceptionis duplici forma exprimi valeat, videlicet: a) *negativa* (B. Virgo non habuit peccatum originale), b) *positiva* (B. Virgo habuit *semper* gratiam sanctificantem). In formula definitionis adhibetur forma *negativa*. At in decursu Bullae, etiam forma positiva haud raro adhibetur. Idem fit in scriptis SS. Patrum et Scriptorum Ecclesiae, in quibus privilegium hoc Deiparae modo forma negativa, modo vero forma positiva exprimitur.

At, etiam angeli et protoparentes (ante lapsum) immunes fuerunt a culpa originali. Iure igitur exponitur etiam *modus* talis immunitatis. Modus immunitatis Deiparae, fuit *praeservatio*: « praeservatam *immunem* ». Et ratio est quia Deipara, utpote vera filia Adae, ab ipso per carnalem generationem descendens (fuit enim generata a suis parentibus modo communi), debuisset (in ipso actu unionis animae cum corpore) peccatum originale contrahere, nisi *praeservata* fuisset. Ex hoc capite, ergo, immunitas Deiparae a labe peccati originalis, differt sive ab immunitate quae convenit angelis bonis et protoparentibus (ante lapsum) sive ab immunitate quae convenit *Christo*. Differt a) ab immunitate quae convenit *angelis bonis et protoparentibus* (ante lapsum) eo quod isti non solum *de facto* fuerunt in gratia constituti (probabilius statim ac creati), sed etiam *de iure, seu debuerunt*, iuxta Dei consilium, tunc in gratia constitui; dum, e contra, Deipara, quamvis *de facto* tunc fuit in gratia constituta, *debuisset* tamen tunc gratia carere. b) Differt, insuper, immunitas Deiparae ab immunitate *Christi propria*, eo quod Christus non fuit modo communi (i. e. secundum seminalem rationem) con-

ceptus, sed virginaliter (i. e. de Spiritu Sancto) conceptus; dum e contra Deipara fuit modo communi concepta.

Erraverunt igitur illi qui, ad privilegium Deiparae defendendum, admiserunt Deiparam fuisse *virginaliter conceptam*. Si enim ita fuisset, Deipara, eodem modo quo Christus, peccatum originale contrahere non debuisset.

Erraverunt pariter illi qui, ad tale privilegium explicandum, asseruerunt minimam massae corporalis partem in Adam incorruptam mansisse et usque ad parentes Deiparae pervenisse, ad Deiparae corpus efformandum. Phantastica haec opinio a quibusdam veteribus scriptoribus inventa, renovata fuit saec. XIX a Rosmini in propositione 34a) a Leone XIII (die 14 dec. 1887) condemnata: « Ad praeservandam B. Virginem Mariam a labe originis, satis erat, ut incorruptum maneret minimum semen in homine, neglectum forte ab ipso daemone, a quo incorrupto semine de generatione in generationem transfuso, suo tempore oriretur Maria ». ¹ Etiam in tali casu, enim, nullum *debitum* in Deipara fuisset culpam originalem incurrendi, a qua *praeservari* debuisset.

Circa naturam debiti contrahendi peccatum originale, utrum nempe fuerit *proximum vel remotum*, non conveniunt Theologi. Videbimus infra, in speciali quadam appendice, quid nobis tenendum videtur.

C) **Causa efficiens** privilegii fuit singularis Dei dilectio erga futuram suam Matrem, quae illum movit ad illam a lege communi excipiendam. Tale autem *singulare* privilegium (nulli alteri concessum, utpote *singulare*), collatum fuit a Deo « *intuitu meritorum Christi Iesu Salvatoris generis humani* ». Consequenter, etiam Deipara fuit a Christo *redempta*, seu melius, *praeredempta*, vel *sublimiori* modo *redempta*. Dum enim aliis hominibus Salvatoris meritum applicatur ad illos a malo seu a peccati labe iam contracta *liberandos*, Deiparae, e contra, Salvatoris meritum applicatum fuit ad illam a peccati labe *praeservandam*. Dum igitur aliorum redemptio dicenda est *restaurativa*, seu liberativa, Deiparae redemptio dicenda est *praeservativa*, et ideo incomparabiliter nobilior. Sic, e. g., qui, iam damnatus ad carcerem, illi praeeripitur (antequam de facto in carcere includatur), nobiliori modo salvatur quam alius qui, in carcere iam inclusus, postea ab eo liberatur.

Hoc posito, patet quomodo per Immaculatam Deiparae conceptionem nulli-mode derogetur *universalitati redemptionis Christi*, prout magni Doctores mediae aetatis putabant. Etiam Deipara, enim, quamvis immaculate concepta, fuit a Christo *redempta*, imo, sublimiori modo redempta. Christus igitur fuit *causa meritoria* illius singularis gratiae et privilegii.

¹ Card. GALATINUS, O. M., in o. *De arcanis catholicae fidei*, lib. 7: *De SS. Matre Messiae*, cap. 4, asserit talem fuisse « Veterum Hebraeorum opinionem... dicentium Matrem Messiae ex nobiliori parte massae Adae factam fuisse, atque ideo absque originali peccato conceptam »; et tenet talem opinionem « *veram esse* ». Haec eadem opinio damnatur *ut haeretica* a S. Thoma in *S. Theol.* III, q. 31, a. 7, in *III Sent.*, dist. 3, q. 4, a. 1, et in *Comm. in Evang. Ioann.*, cap. 3, lect. 5.

D) **Causa finalis** definitionis dogmaticae Immaculatae Conceptionis fuit, iuxta verba ipsius definitionis, « honor sanctissimae et individuae Trinitatis, decus et ornamentum Virginis Deiparae, et exaltatio fidei catholicae et christiana religionis ». *Finis vero ipsius singularis privilegii* a Deo B. Virgini collati, fuit — prout apparet ex expositione Bullae dogmaticae — ut Filio suo « idoneum plane... habitaculum » pararetur.

II) **Certitudo privilegii**. Doctrina Immaculatae conceptionis dicitur « a Deo revelata atque idcirco ab omnibus fidelibus firmiter constanterque credenda ». Privilegium igitur definitur a Summo Pontifice tamquam veritas *formaliter revelata* (i. e. implicite aequivalentibus terminis) non vero tamquam veritas *virtualiter revelata*, qualis esset conclusio theologica. Continetur igitur, talis veritas, *in deposito* revelationis.

Quia vero depositum revelationis — iuxta fidei catholicae principia — continetur complete in S. Scriptura et in Apostolica Traditione, necesse omnino est ut privilegium hoc suum fundamentum obiectivum saltem in uno ex hisce duobus fontibus habeat. Attamen, ad clariorem huius rei intellectionem duo bene — cum cl. P. Le Bachelet¹ — hic perpendenda sunt, videlicet:

1) Aliud est *factum* inclusionis alicuius veritatis in revelationis deposito: et aliud est *modus* huius inclusionis. Cum enim revelatio alicuius veritatis fieri possit explicite vel implicite, inclusio etiam veritatis in deposito revelationis esse potest implicita vel explicita. Iamvero, in formula definitionis Pii IX dicitur solummodo quod veritas haec continetur in deposito revelationis (« esse a Deo revelatam »); minime vero dicitur utrum explicite vel implicite. Agit ergo de *facto* inclusionis huius veritatis in deposito fidei, non vero de *modo* quo includitur.

2) Aliud est quod veritas aliqua *contineatur* in deposito revelationis et aliud quod veritas ista *profiteatur* aut *credatur explicite* in Ecclesia. Sunt enim duae quaestiones ad diversum ordinem pertinentes: prima enim quaestio ad ordinem obiectivum seu *ontologicum*, secunda vero ad ordinem subiectivum seu *logicum* pertinet. Hoc posito nullo modo requiritur quod uterque ordo semper parallelo modo procedat ita ut semper inveniatur in uno (i. e. in ordine logico) id quod realiter in alio (i. e. in ordine ontologico) continetur. Hoc enim absolute loquendo, nec in ipsis veritatibus *explicitate* revelatis semper verificatur; a fortiori, ergo, exigi nequit cum de aliis veritatibus (i. e. implicite revelatis) agitur. Fieri enim potest quod professio aut fides *explicita* non manifestetur, aut etiam non habeatur realiter ab initio, sive quia dubitatur de veritatis alicuius inclusione in deposito revelationis, sive quia, ob quamcumque rationem, aliquis de ea nondum conscientiam habeat.

Iamvero, quaestio utrum habita sit vel non *in initio* haec *explicita* fides relate ad privilegium Immaculatae conceptionis, ad historiam pertinet et ideo argu-

¹ *Dict. Théol. Cath.*, t. 7, coll. 847-848.

mentis historicis solvi debet. Hanc vero quaestionem, Pius IX in sua dogmatica definitione minime solvit; quemadmodum quaestionem non solvit utrum *implicitè* aut *explicitè* hoc dogma in fontibus primitivis revelationis contineatur.

Adversarii huius privilegii: hodie inveniuntur tantummodo inter acatholicos i. e. Graecos « Ortodoxos » seu schismaticos, Rationalistas, Protestantes et « Veteres Catholicos ». Isti omnes tum contra *doctrinam*, tum contra *definitionem* eiusdem militant. Contra doctrinam, omnes illas difficultates repetunt quae a veteribus adversariis huius dogmatis, ante eiusdem solemnem definitionem, propositae et etiam feliciter a theologis solutae fuerunt. Contra vero definitionem a Pio IX latam, negant Immaculatam Virginis Conceptionem esse fidei dogma et veritatem *divinitus revelatam*. Sic Harnack aiebat: « Si haec veritas *revelata* est, *quando* et *cui* revelata fuit? ». « Wann? Wem? » (*Lehrbuch der Dogmengeschichte*, Tübingen 1910, t. 3, p. 747, nota 1). Antymus. Patriarcha Constantinopolitanus. Ecclesiam Romanam redarguebat de innovatione in doctrina.¹

Contra hos omnes ponitur, iuxta sensum declaratum, nostra propositio, quae probatur I) ex MAGISTERIO ECCLESIASTICO, II) ex S. SCRIPTURA, III) ex TRADITIONE et IV) ex RATIONE THEOLOGICA.

I – PROBATUR EX MAGISTERIO ECCLESIASTICO

In Bulla enim *Ineffabilis* haec leguntur: « Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad decus et ornamentum Virginis Deiparae, ad exaltationem fidei catholicae et christianae religionis augmentum, auctoritate Domini Nostri Iesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli, ac Nostra, declaramus, pronunciamus et definimus, doctrinam, quae tenet beatissimam Virginem Mariam in primo instanti suae Conceptionis fuisse singulari omnipotentis Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Christi Iesu Salvatoris humani generis, ab omni originalis culpae labe praeservatam immunem, esse a Deo revelatam, atque idcirco ab omnibus fidelibus firmiter constanterque credendam ».

Circa modum huius definitionis — animadvertit Card. Lépiciér — advertendum est Pium IX, per hunc solemnisimum actum, minime praevénisse definitionem dogmaticam de pontificia infallibilitate; etsi enim rogantibus episcopis Romae praesentibus, ille solus definitionem ediderit, non omisit tamen mentionem facere de votis Episcoporum qui, illius rogatui accessituique respondentes, fere unanimiter erant testati suam

¹ Bibliographia completa operum adversariorum contra dogma Immaculae Conceptionis inveniri potest apud LE BACHELET, *Immaculée Conception*, in *Dictionnaire de Théol. Cath.*, t. 7, col. 1213; cfr etiam art. *La dottrina dei moderni « Ortodossi » intorno alla B. Vergine*, in *Civiltà Cattolica*, 78 (1927), 524-535; PAUVLOWSKI A., *Le dogme de l'Immaculée Conception et la lumière de la théologie orthodoxe russe moderne* (in lingua polacca), Varsaviae, 1930, in-8, 32-357 p.

populorumque sibi commissorum sententiam esse, Virginem in suo Conceptu Immaculatam fuisse ». ¹

Subnectimus hic brevem analysim Bullae « Ineffabilis Deus ».

I. ENUNCIATIO THESIS: *Deus* ab initio, *Filio* suo *Matrem* elegit, eamque prae ceteris creaturis amavit et coelestibus donis ita cumulavit, ut *ab omni peccati labe libera* fuerit. *Convenientia* summa huius rei.

Deinde Bulla exponit modum quo se gesserunt, coram hac thesi 1. Ecclesia Romana, 2. Patres et Scriptores Ecclesiae, 3. Pius IX.

II. MODUS QUO SE GESSIT ECCLESIA ROMANA. Ecclesia Romana doctrinam istam semper magno studio prosecuta est. Etenim, Romani Pontifices: 1. *festum Conceptionis* instituerunt, atque ad totam Ecclesiam extenderunt; cultum quoque et pietatem fideium erga Immaculatam Conceptionem excitarunt.

2. *Obiectum* illius cultus ac doctrinam declarare studuerunt, signanter Alexander VII.

3. Doctrinam Immaculatae Conceptionis sartam tectamque tueri et opinionem adversam defendi prohibuerunt, signanter laudatus Alexander VII.

4. Ista doctrina tradita et propugnata fuit a *religiosis familiis*, celebrioribus *academicis* theologicis et praestantioribus doctoribus; eam etiam *Episcopi* in synodis professi sunt; ipsumque *Concilium Tridentinum innuit*.

5. Doctrinam istam in Ecclesia semper extitisse testantur *antiqua monumenta* Ecclesiae orientalis et occidentalis; nec enim Ecclesia permutat dogmata, sed limare et expolire studet, ut accipiant evidentiam, lucem, distinctionem.

III. MODUS QUO SE GESSERUNT PATRES ECCLESIAEQUAE SCRIPTORES. 1. *Patres et scriptores Ecclesiae* B. Virginis sanctitatem, dignitatem et ab omni labe integritatem praedicarunt et extulerunt; ideoque docuerunt, per verba: *inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius*, Christum simul et B. Virginem designatam fuisse.

2. Iidem *Patres* Virginis de daemone triumphum, eiusque sanctitatem et ab omni labe integritatem viderunt in variis figuris veteris Testamenti.

3. *Patres* ad originalem Virginis integritatem describendam adhibuerunt Prophe-tarum eloquia, ipsaque verba tum Gabrielis Archangeli, tum Elisabeth eam benedictam inter mulieres vocantis.

4. Concors *Patrum* sententia est gloriosissimam Virginem ea gratiae plenitudine eaque innocentia emicuisse ut ineffabile Dei miraculum, immo omnium miraculorum apex extiterit.

5. *Patres* eam condecorarunt variis titulis innocentiam originalem significantibus.

6. *Patres* nobilissimis effatis Virginis Conceptionem concelebrarunt.

7. *Pastores* et fideles ferventissimo affectu doctrinam de Immaculata Conceptione magis in dies professi sunt, et nihil ipsis dulcius fuit quam Deiparam ita ubique colere, venerari, invocare et praedicare. Plures iamdudum efflagitarunt ut Immaculata Con-ceptio veluti dogma fidei definiretur.

¹ *Tractatus de B. M. V.*, ed. 5, Romae, 1926, p. 128.

IV. MODUS QUO SE GESSIT PIUS IX. 1. Ad Petri cathedram evecti nihil antiquius habuimus quam ea peragere quae adhuc Ecclesiae in votis esse poterant, ut B. Virginis honor augetur, eiusque praerogativae uberiore luce niterent; unde *peculiarem Cardinalium congregationem* instituimus ut, quae Immaculatam Virginis Conceptionem respiciunt, accurate perpenderent, et *litteras ad omnes Episcopos* dedimus Caietae 2 februarii 1849.

2. *Episcoporum responsa* singularem pietatem populorum erga Immaculatam Virginis Conceptionem confirmarunt, et commune votum detulerunt ut Immaculata conceptio supremo nostro iudicio definiretur, quod et Cardinales praefatae congregationis fecerunt.

3. *Consistorium* habuimus in quo Cardinales a nobis postularunt, ut dogmaticam de Immaculata Deiparae Virginis Conceptione definitionem emittere vellemus.

4. Itaque minime cunctandum esse censuimus pietissimis orbis catholici desideriis satisfacere.

5. Praemissis ieiuniis et precibus privatis et publicis ut Spiritus Sanctus nos dirigere dignaretur, declaramus, pronuntiamus et definimus, doctrinam quae tenet B. Virginem Mariam in primo instanti suae Conceptionis fuisse ab omni originalis culpae labe praeservatam immunem, esse a Deo revelatam, atque idcirco ab omnibus fidelibus firmiter constanterque tenendam esse.

6. Gaudio replemur et Iesu Christo gratias agimus quod hunc honorem sanctissimae Matri suae offerre nobis concesserit, et certissima spe nitimur fore ut B. Virgo patrocinio suo velit efficere, ut sancta Mater Ecclesia ubique magis vigeat, floreat ac libertate fruatur.

7. Hortamur fideles ut B. Virginem sine labe conceptam ardentiori usque pietate pergant colere, invocare et exorare.

8. Ut haec nostra definitio ad universalis Ecclesiae notitiam deducatur, has litteras apostolicas extare voluimus, earumque transumptis fidem adhiberi mandamus.

9. Nullus audeat nostrae declarationi adversari, et si quis hoc attentare praesumpserit, noverit se indignationem Dei et SS. Apostolorum incursum.

II - PROBATUR EX SACRA SCRIPTURA¹

S. Robertus Bellarmino in voto quodam coram Paulo V anno 1617 perlecto, de hoc dogmate agens, dixit: « In Scripturis nihil habemus » i. e. nihil habemus quod dogmaticam eius definitionem aut condemnationem contrariae opinionis tamquam haereticae permittat (cfr LE BACHELET, *Auctarium Bellarminianum*, Paris 1913, p. 627). Idem alii graves theologi sentierunt. Attamen, iuxta quamplurimos Theologos, inveniuntur in S. Scriptura textus quidam qui testimonium in favorem revelationis Immaculatae conceptionis implicite continent. Textus isti S. Scripturae dividi possunt in *primarios* i. e. maioris momenti, et *secundarios* i. e. minoris momenti.

¹ Cfr BONNETAIN P., P. S. S., art. *Immaculée conception*, in *Dict.* 1943, coll. 233-298.

I. **Textus primarii** sunt I. *Ex Veteri Testamento: Protoevangelium* (Gen., 3, 15); II) *Ex Novo Testamento: Salutatio Angelica* (Luc., 1, 28, 42). In V. T. habetur, implicite, *nuntium* huius privilegii; et in N. T. habetur testimonium (implicite) de *adimptione* huius nuntii. Si ergo duorum istorum terminorum appropinquatio fiat, lux fulgidior habetur.

I - Ex Vet. Testamento

Protoevangelium: « Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius. Ipsa conteret caput tuum et tu insidiaberis calcaneo eius » (Gen., 3, 15). Expositio exegetica huius textus videri potest in Parte I, pp. 71-97. Mulier illa, et quidem, in sensu litterali, est B. Virgo.

In textu allato, privilegium Immaculatae Conceptionis *implicite*, non vero explicite continetur. Patres enim priorum saeculorum et Doctores quidam (inter quos S. Bernardus), quamvis in *muliere* illa B. Virginem, novam Evam, viderint, tamen immaculatam Eius conceptionem *explicite* significatam non viderunt. At, haec est pura quaestio *de facto* quae nullum praeiudicium affert quaestioni *de iure*. Exorta vero controversia, defensores privilegii (e. g. Osbertus de Clare et Petrus Comestor, in sermonibus *de conceptione*) ex Protoevangelio argumentum pro Immaculata deduxerunt.

Hisce praenotatis, ex hoc textu *duplex* erui potest argumentum:

a) Enunciat textus specialem et sempiternam *inimicitiam* seu *perfectam et continuam oppositionem* futuram esse inter diabolum, seu peccatum, et inter mulierem, seu B. Virginem (sicut inter diabolum et Christum). Atqui oppositio illa non esset completa si, etiam per unicum temporis instans, B. Virgo originali peccato (seu diabolo) subiecta fuisset. Ergo...

Si enim verum est quod *peccatum* reddit nos diaboli amicos et Dei inimicos, etiam verum esse debet — ratione contrariorum — quod *carentia peccati* (quae per gratiae infusionem habetur), est id quod nos reddit diaboli inimicos et Dei amicos. Mulier ergo, cuius *inimicitia* cum diabolo ab ipso Deo, modo tam absoluto, quasi antonomastice declaratur, *semper* immunis esse debuit a quolibet peccato sive actuali sive originali, et ideo semper gratiam habere debuit. Secus, tempus aliquod fuisset, in quo ipsa diaboli amica et Dei inimica fuisset. Et ita, quomodo potestatis diabolicae debellatrix evadere potuisset?...

b) Insuper, declarat textus genesiacus eandem B. Virginem, simul cum Filio suo (ob completam inimicitiam cum diabolo) *plenum triumphum* relaturam esse supra diabolum ac peccatum (Adam et Eva *victis*, Christus et Virgo *victores* substituantur). Licet enim pronomen « ipsum » in textu hebraico directe referatur *ad semen* mulieris i. e. *Christum*, debet tamen *indirecte* referri ad *matrem* eius, ad hoc ut antithesis in primo membro enunciata, « et semen illius », completa sit. Atqui talis victoria plena non esset, si B. Virgo in primo suae Conceptionis in-

stanti, peccato maculata et ideo a diabolo victa fuisset. Ergo... Iure ergo Piazza de Protoevangelio scribere potuit: « Nullum fere est in sacris litteris, pro prae-servatione B. Virginis ab originali peccato, locupletius testimonium » (o. c., nn. 77 sq.).¹

Ad valorem huius argumenti rite determinandum, prae oculis habendae sunt conclusiones Pontificiae Commissionis a Pio IX constitutae pro definitione dogmatica Immaculatae Conceptionis. Die 10 iulii 1852, Pontificia Commissio sibi quaestionem proposuit: « Se nella S. Scrittura vi abbiano testimonianze le quali solidamente provino l'immacolato Concepimento di Maria ». Ad has conclusiones unanimiter pervenit:

I. « Non si può togliere solido argomento per l'immacolato concepimento della B. Vergine dalle parole del Genesi (cap. III, n. 15): "*Ipsa conteret caput tuum*". Ciò per due ragioni: 1) perchè la lezione *ipsa* in luogo di *ipse* (che sembra più ammissibile) è incerta; 2) perchè la stessa Volgata ha dei codici contenenti *ipse* e non già *ipsa*.

II. « La prerogativa dell'immunità dalla colpa originale nella SS. Vergine ha solido fondamento nelle parole del Genesi (cap. III, n. 15): "Inimicitias ponam inter te et mulierem, et inter semen tuum et semen illius". E ciò si deduce 1. dalle parole stesse; 2. da una tradizione allusiva a quel luogo. Si prova *dalle parole stesse*: Imperocchè se il seme della donna è il Redentore, il quale secondo la dottrina dei cattolici ivi è promesso, sicchè questo si suole chiamare il proto-vangelo; dunque la donna è la SS. sua Madre. Ciò posto, è chiaro che ivi si stabilisce il medesimo rapporto di inimicizia tra il serpente e la donna, che si pone tra il seme del serpente e il seme della donna, giacchè le stesse parole *inimicitias ponam* si riferiscono all'uno e all'altro inciso; e sarebbe affatto contro le regole del parlare che dicendosi *inimicitias ponam* 1) *inter te et mulierem*; 2) *inter semen tuum et semen illius*, quelle parole dovessero prendersi in un senso pel primo inciso, in altro pel secondo. Ma è del pari manifestamente falso, che l'inimicizia tra il seme del serpente e il seme della donna, sia un'inimicizia che sia succeduta ad una anteriore amicizia. Dunque anche tra il serpente e la donna s'indica un'inimicizia, che non è succeduta a precedente amicizia. Dunque quella donna, la SS. Vergine Madre di Dio non fu mai amica, fu sempre nemica del serpente, cioè del demonio. Non fu dunque mai per colpa di veruna specie al demonio soggetta.

¹ Circa valorem huius argumenti haec scripsit PALMIERI: « suadet saltem vehementissime Immaculata conceptio » (*De Deo creante*, p. 723).

Mihi tamen dicendum videtur veritatem Immaculatae conceptionis in textu genesiaco *formaliter implicite* (non vero *virtualiter implicite*) contineri, eo quod ex ipso *immediate* infertur. Revelatur enim *totalis* triumphus Deiparae supra diabolum. Iamvero, Immaculata Conceptio *est pars* huius triumphis totalis; si ergo *totum* (i. e. plenissimus triumphus supra diabolum) est *formaliter* EXPLICITATE revelatum, *pars* huius totalis triumphis (i. e. Immaculata Conceptio) dicenda *est formaliter implicite* revelata, eo quod *pars* continetur in *toto*.

Ciò si conferma per una tradizione ecclesiastica allusiva a quel luogo; della quale può aversi come tenue saggio il poco che aggiungiamo». Et adducuntur testimonia Prudentii (in hymno *Ante cibum*, Cathem. Hymn. III, n. 141), S. Procli (Or. IV *In Dei Gen.* n. XVI, Galland, t. 9, p. 643), Auctoris graeci Homiliae in *Annuntiationem Deiparae* (inter Op. Chrysostomi, t. 9, edit. Montfauc.), Theophanis (in ode IX recitata ab Ecclesia graeca die 16 Ian.), S. Ioseph Hymnographi (in Ode VI diei 21 Aug.), etc. (cfr SARDI, o. c., pp. 796-804). Hac de causa in «Sylloge argumentorum» pro extensore Bullae dogmaticae, ab eadem Pont. Commissione proposita, dicitur: «Singulari hoc unicum B. Mariae privilegium iam a primis ipsis conditi orbis terrarum diebus Deus non obscure praesignificasse videtur» (SARDI, o. c., II, 47).

II - Ex Novo Testamento

Ex salutatione angelica. «Ave, gratia plena, Dominus tecum» (Luc., 1, 28). Haec angeli verba, materialiter accepta, certe non sufficiunt ad privilegium B. Virginis probandum; probant, autem, si ipsis traditio exegetica Patrum adiungatur. Hoc posito sit: In Angelica salutatione, B. Virgini tribuitur omnimoda seu *perfecta* gratiae plenitudo, talis nempe plenitudo qualis in simplici creatura inveniri possit. Atqui illa gratiae plenitudo perfecta non esset nisi sese extenderet etiam ad primum instans personalis existentiae B. Virginis. Ergo... Plenitudo igitur gratiae B. M. Virginis, nedum intensiva sed etiam *extensiva* (i. e. usque ad primum instans *suae existentiae*) esse debuit.

Ad plenam vim huius argumenti intelligendam, singula salutationis verba bene perpendantur.¹ Dixit Angelus: 1) «Ave, gratia plena» «χαῖρε κεχαριτωμένη». Participium perfectum «κεχαριτωμένη» non minus factum illudque praeteritum quam eius *continuationem adsignificat* (cfr WINER, *Gramm. N. T.*, de usu verbi, cap. 4, par. 46, de participio, p. 407). Vis ergo salutationis angelicae haec est: «Ave tu quae, gratia referta donisque supernis divinisque charismatibus ornata sic fuisti, ut gratiosa porro sis, et gratiae plenitudine redundes». E quibus sua sponte consequitur: a) talem gratiae copiam Virgini *comparate* deferri, quam nemo alius acceperit; b) de ipsa *positive* affirmari quod semper plenitudine gratiae insignis exstiterit. Haec autem cum originali inimicitia nullimode componi possunt. — Insuper animadverti potest angelum non dixisse: «Ave, Maria, gratia plena», sed «Ave, gratia plena», tamquam «gratia plena», quod est nomen appellativum, sit nomen *ipsius proprium*.² Iamvero nomen proprium, quando im-

¹ Pro ampliore expositione huius argumenti, conferatur Passaglia, o. c., t. 2, pp. 648-681, cuius argumentationem hic synthetice referimus.

² Et revera nomen *Maria* significare videtur *dilectam a Deo*, quod idem est ac *gratia plena*, quia gratia est effectus *dilectionis* divinae in ordine supernaturali.

ponitur a Deo, semper *proprietatem* rei vel personae cui imponitur, exprimit. Proprietas ergo Mariae est ut sit « gratia plena ». Sed *proprietas* alicuius rei vel personae *semper*, non aliquando tantum, rei vel personae competit. Ergo « plenitudo gratiae », tamquam proprietas, semper B. Virgini, inde a primo instanti suae existentiae, competit.

2) Dixit insuper, Angelus: « Dominus tecum » ὁ Κύριος μετὰ σοῦ. Incisus iste cum verbis praecedentibus intime, tamquam illustratio cum re illustrata, connectitur, et designat praesentiam *absolutam, incircumscriptam*, i. e. Dominus tecum, non solum *nunc*, neque solum *paulo ante*, sed *simpliciter*. Nullum enim adhibetur verbum quo Dei praesentia certo constricta temporis declaretur: sive quae *praecedunt* (Ave, gratia plena) sive quae *sequuntur* (benedicta tu in mulieribus), tempus universum a quo Virgo existit, comprehendunt. Incisus ergo « Dominus tecum » ratione contextus, eo, suapte vi, spectat, ut Virginis cum Deo societatem perpetuam, nullo umquam temporis momento interruptam, patefaciat. Sed haec societas interrupta fuisset si B. Virgo peccatum originale contraxisset. Scite ergo S. Robertus Bellarmino, in sua Doctrina Christiana, a Clemente VIII approbata, quaestioni quid significet *Dominus tecum*, respondet: « Haec altera singularis est laus B. Virginis, qua significatur Dominum nostrum ab initio conceptionis suae assistendo illi, gubernando illam, instruendo et defendendo perpetuo cum ea fuisse ». Verba ergo « Dominus tecum » immunitatem Virginis a peccati originalis labe sat aperte declarant. Quae immunitas etiam muneri et dignitati Matris Dei, quem — iuxta verba Angeli — *conceptura erat in utero et paritura*, apprime respondet.

3) Dixit tandem Angelus: « Benedicta tu in mulieribus » « εὐλογημένη σὺ ἐν γυναιξίν ». Haec verba cohaerent omnino cum praecedentibus, quorum uberior explicatio sunt. Dicitur enim B. Virgo nedum *benedicta*, sed, *comparate*, *benedicta inter mulieres* et *ideo*, iuxta hebraicum loquendi modum, summo maximoque gradu, vel per antonomasiam, *benedicta*. Haec vero mulier, tali modo *benedicta*, alia esse nequit ab illa muliere Protoevangelii quam Deus se excitatum esse promisit ut spem protoparentum erigeret, et per quam hominum maledictum superna benedictione revocaretur. Sat evidenter ergo, mulier illa, prae omnibus mulieribus per antonomasiam *benedicta*, Evae maledictae opposita, et universalis benedictionis causa, summa benedictionis ubertate, et ideo absque illa maledictione seu peccato semper esse debuit.

Insuper: *benedictio*, ex usu Scripturae, opponitur *maledicto* (cfr Matth., 5, 44; Luc., 6, 28; Rom., 12, 14; Iac., 3, 10). Iamvero, maledictum, quod a Deo, supremo iudice dimanat, tam effectum quam poenam peccati significat (Gal., 3, 10-13; Hebr., 6, 8; 2 Petr., 2, 14). Et ideo, sicut *unum est peccatum*, per antonomasiam, in universam posteritatem ex protoparentibus diffusum (« peccatum mundi », « per unum hominem *peccatum* in hunc mundum intravit ») ita unum pariter est *maledictum*, per antonomasiam, cui omnes ex Adamo seminaliter ge-

niti subiiciuntur et *fili irae* nascuntur. B. Virgo, igitur, quae, per antonomasiam *benedicta* est et dicitur, a maledicto per antonomasiam, i. e. a peccato protoparentum seu originis immunis et soluta esse debuit.

Conclusio haec confirmari potest ex *locis parallelis*, videlicet: a) ex sententia a Deo contra serpentem lata: « *maledictus* tu prae omnibus bestiis terrae » (Gen., 3, 14). Sicut *maledictio* serpentis effectus fuit ac pena peccati et doli, ita *benedictio* Mariae effectus fuit et consequentia immunitatis a qualibet culpa. Sicut peccati auctor maledicto plectitur, ita salutis auctrix seu mediatrix benedictione coronatur; b) ex verbis S. Elisabeth: « *benedicta* tu inter mulieres, et *benedictus* fructus ventris tui » (Luc., 1, 42). Beata Virgo eadem benedictione ac Filius eius — debita proportione servata — *benedicta* dicitur. Ex quo patet B. Virginem a quovis maledicti reatu remotissimam semper fuisse. « Quare — concludit P. Passaglia, o. c., vol. 2, p. 681 — nullum est incisum angelicae salutationis, e quo rite ac uti par est expenso, singularis praestantia Deiparae, eiusque immaculatus conceptus luculentissime non adprobetur. Adprobatur enim inciso *ave, gratia plena*, quo *formalis prope causa* eximiae sanctitatis et omnimodae puritatis offertur. Adprobatur inciso *Dominus tecum*, quo *causa effectrix* et *princeps origo* tantae sanctitatis, tantaeque puritatis exprimitur. Et adprobatur inciso, *benedicta tu in mulieribus*, quo duplex fructus tam formalis quam effectricis causae aperitur, fructus omnimodae praeservationis a maledicto, et fructus cumulatissimae benedictionis ».

Ad valorem huius argumenti determinandum, prae oculis habeantur conclusiones Pont. Commissionis de qua superius egimus, videlicet:

I. « Le parole dell'Angelo presso S. Luca (cap. I, n. 28): *Ave gratia plena, Dominus tecum; benedicta tu in mulieribus* » per sè non hanno forza sufficiente a provare la prerogativa della B. Vergine, di cui è discorso. Non prova per sè l'espressione *piena di grazia*: perchè tal sentenza sarebbe vera ancorchè non si estendesse ad ogni tempo. Nè abbastanza giova il confronto con le parole di S. Giovanni (cap. I, n. 14), ove è detto *pieno di grazia* Cristo Signore: 1) perchè nel testo greco originale i vocaboli sono differenti, dicendosi della B. Vergine *κεχαριτωμενη* e del Signore *πληρης χαριτος*; 2) perchè l'espressione stessa *πληρης χαριτος* dicendosi eziandio di S. Stefano negli atti degli Apostoli (cap. VI, n. 8, secondo la lezione più probabile, cui si aggiusta la Volgata), perciò chiaramente ha diverso valore secondo la diversità del soggetto, di cui si dice, e non già un valore assoluto.

Nè per sè han tal forza eziandio le parole: *benedicta tu in mulieribus*, cui si possono mettere a fronte quelle del libro di Giuditta (cap. XIII, n. 23) « *Benedicta es* tu filia a Domino Deo excelso prae omibus mulieribus super terram ».

II. Le parole allegate dall'Angelo alla B. Vergine valgono a provare la prerogativa dell'immacolato concepimento, quando si aggiunga la tradizione ese-

getica dei SS. Padri, della quale si offre un saggio ». Et afferuntur testimonia Origenis (In Luc. Hom. VI, t. 3, p. 929), S. Ambrosii (In Luc. lib. II, n. 9), S. Sophronii Hierosol. (Trad. t. 4, *Spicileg. Rom. per Angelum Mai*, p. 183), S. Andreae Cretensis (In *Annuntiat. Deip.*, Galland. t. 13, p. 105), Damasceni (In *Annuntiat. Deip.*, t. 2 p. 338), Auctoris Homiliarum sub nomine S. Gregorii Neocaesariensis (Orat. 1, In *Annuntiat.*, p. 12).

In omnibus hisce testimoniis *implicite* invenitur praerogativa Immaculae Conceptionis. Invenitur vero *esplicite* in Homilia S. Augustino, S. Severiano et, melius, Fulgentio tributa (Aug. t. 5, Append. Serm. 123, n. 2), in Homilia pseudo-Chrysostomi (In *Annuntiat. Deip.*, Opp. t. 11, p. 139) et in testimonio Nysseni (Orat. in diem Nat. Christi, Opp. t. 2, p. 779). Et ita concludit: « Dopo che, rimase nella Commissione a voti unanimi conchiuso, che anche il Nuovo Testamento non disgiunto dell'interpretazione dei Padri contiene quanto basta ad affermare, che in esso i nostri maggiori hanno creduto contenere rivelato l'immacolato concepimento della B. Vergine » (l. c., p. 804). Agitur ergo de argumento non iam pure scripturistico, sed *scripturistico-patristico*.

II. **Textus minoris momenti.** Sunt: I. *Ex Veteri Testamento*: 1) textus quidam Cantici Cant., Psalm., librorum sapientialium et aliorum qui se referunt ad figuras B. Virginis in V. T.; 2) *ex Novo Testamento*: textus S. Ioannis relate ad mulierem amictam sole (Apoc., 12).

I - Ex Veteri Testamento

a) CANT., 2, 21: « Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias »; 3, 6: « Quae est ista quae ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhae et thuris et universi pulveris pigmentarii?... ».

Cap. 4, vv. 1, 7, 12, 13: « Quam pulchra es, amica mea, quam pulchra es!... Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te... Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus. Emissiones tuae paradisi malorum puniceorum, cum pomorum fructibus.

Cap. 5, v. 2: « Aperi mihi, soror mea sponsa, columba mea, immaculata mea ».

Cap. 6, v. 9: « Quae est ista, quae progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata? ».

b) PSALM., 45, 6: « Deus in medio eius non commovebitur; adiuvabit eam Deus mane diluculo ».

86, vv. 3, 5: « Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei... Ipse fundavit eam Altissimus ».

136, v. 8: « Surge, Domine, in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuae! ».

c) ECCL., 24, 14: « Ab initio et ante saecula creata sum ».

d) PROV., 7, 22: « Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio ».

e) SAP., 1, 4: « In malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis ».

Omnes isti textus Virgini Immaculae accommodati fuerunt: quidam raro, quidam vero frequenter, praesertim in Liturgia. Applicationes istae, de caetero, nobis revelant fidem *personalem* illorum qui illis utuntur; quia vero applicationes istae factae sunt ab Ecclesia, nobis fidem ipsius manifestant et ideo vim argumenti theologici (ex Liturgia) induunt. At alia hic est quaestio; quaeritur, nempe: applicationes istorum textuum correspondent ne sensui litterali aut spirituali Scripturae? Certe, non correspondent sensui litterali saltem directo et *primario*: agitur, enim, in Psalmis, de *Hierosolyma*, civitate sancta; et in libris sapientialibus agitur de divina *Sapientia* personificata aut personali; et in Cantico agitur, iuxta plures, de Sinagoga aut de Ecclesia.

At si quaeratur utrum applicationes istae sensui litterali *secundario* et *indirecto* (intentus et ipse a Spiritu S.) respondeant, respondendum nobis videtur *affirmative*. Et haec est opinio quorundam Theologorum, ut Lépiciér, Malou, Scheeben (*Handbuch*, t. 3, nn. 1534-1549; 1690) etc.

Hisce textibus ergo, innuitur, saltem, perfectissima puritas et sanctitas, absque *limite temporis* (hinc inde a primo instante existentiae) B. Mariae V.

II – Ex Novo Testamento

Vis o apocalyptica de muliere et dracone (Apoc., c. 12). Mulier illa, iuxta plures esset Ecclesia; iuxta alios, vero, praesertim inter Graecos, esset B. Virgo. Alii, tandem, praesertim recentiores, iuxta sententiam longe communiorem, in muliere illa Ecclesiam simul et B. Virginem vident, aut saltem B. Virginem non excludunt eo quod inter B. Virginem et Ecclesiam compenetratio quaedam habetur.¹

Apocalypsis est quidam Epilogus totius sacrae Historiae ac doctrinae in ceteris sacris libris revelatae, in quo immaculata origo Christi et Matris eius, eorum victoria et imperium supra diabolum manifestantur, sive prout fuerunt ab aeterno in mente Dei sive prout fuerunt in tempore.

Iamvero, a) B. Virgo apparuit simpliciter « amicta sole » i. e. gratia Christi, qui est sol iustitiae, seu luce undequaque perfusa: quod componi non potest cum *macula peccati* quae, iuxta Angelicum,² nihil aliud est nisi quoddam detrimentum nitoris, animae superveniens eo quod aliquibus rebus inhaeret amore, con-

¹ Cfr t. 2 huius operis, pp. 215-221.

² *Summ. Theol.*, I, II, q. 86, a. 1.

tra refulgentiam luminis rationis et fidei. Ob hanc rationem peccata ab Apostolo *opera tenebrarum* vocantur, quia sunt opera lumine rationis et gratiae non illuminata. Defectus ergo nitoris et gratiae excludi omnino debet a muliere illa quae simpliciter « amicta sole » exhibetur.

Insuper: *b) lucta continua*, et quidem triumphalis — sicut in Protoevangelio — etiam in hoc textu describitur: quod concipi non posset si B. Virgo etiam in unico vitae suae momento a diabolo victa fuisset.

Tandem, *c)* quamvis diabolus Dei matrem numquam vicerit, tamen, numquam desiit eidem insidias tendere, iuxta illud Protoevangelii: « Et tu *insidiaberis* calcaneo eius ». Dicit enim S. Ioannes: « Et misit serpens ex ore suo post mulierem, aquam tamquam flumen, ut eam faceret trahi a flumine, etc. ». Quando nam Diabolus hoc fecit contra mulierem? Quando seduxit Evam et Adam, quorum peccatum transfusum fuit, tamquam flumen, in posteros eorum, ut in peccato illorum etiam divinam mulierem, Christi Matrem, comprehenderet. Attamen talibus insidiis, diabolus Matri Dei nocere non potuit, id est facere non potuit ut traheretur a dicto flumine originalis peccati, quia *humanitas Christi*, Filii sui, adiuvit eam, prout aperte narrat S. Ioannes ibi, immediate subiungens: « Et adiuvit *terra* (id est, Humanitas Christi) mulierem, et aperuit terra os suum, et absorbuit flumen, quod misit draco de ore eius », scilicet quando Christus, iuxta vaticinium Isaiae c. 53, peccatis nostris onustus, seipsum pro nobis obtulit Patri in Ara Crucis, factus pro nobis peccatum et maledictum, et faciens potentiam in brachio suo, Matrem suam praeservavit a dictis diaboli insidiis et ab omni labe peccati. Quam ob causam, diabolus — prout prosequitur Ioannes — « iratus est in eam: et abiit facere proelium cum reliquis de semine eius (i. e. cum reliquis de genere humano)... ».

Refert ergo, S. Ioannes, in ultimo ex Libris Sacris, i. e. in Apocalypsi (qui est Epilogus totius sacrae Historiae) *adimpletionem* vaticinii in primo ex libris sacris i. e. in Genesi, c. 3, 15, relati: « Inimicitias ponam... Ipsa conteret... ». Hoc vaticinium, iuxta S. Ioannem, in Matre Christi et in semine eius i. e. in Humanitate Christi, adimpletum est. Ioannes enim, ea quae scribit non *ut futura* — sicut prophetae — repraesentat, sed ut *praeterita*, quia revera, quando ipse scribebat, iam praeterita et ideo adimpleta erant.

Obicitur ex S. Scriptura ¹

1) « In omnes homines mors pertransiit, in quo (Adam) *omnes* peccaverunt » (Rom., 5, 12-19). Ergo etiam B. Virgo in Adam peccavit.

RESPONDETUR: Dist. consequens: B. Virgo peccavit in Adam contrahendo *debitum* peccati originalis, conc., contrahendo *maculam* peccati, nego.

¹ Cfr PLAZZA, o. c. Act., c. 1: « Scripturae testimonia ab adversa parte allegata ». SARDI, *Silloge degli argomenti*, pp. 48, 55.

Etenim, lex universalis exceptiones patitur; et in casu de quo agitur, exceptio, ut probavimus, pro B. Virgine admittenda est. Hoc bene illustratur exemplo Assueri dicentis ad Ester, quae fuit typus Mariae: « non morieris: non enim *pro te*, sed *pro omnibus* haec lex constituta est » (Esth., 15, 13).

2) Omnes homines, iuxta S. Scripturam, redemptione Christi indigent. Ergo etiam B. Virgo.

RESPONDETUR: Dist. consequens: B. Virgo indiguit redemptione *praeservativa* conc., *liberativa*, nego. Et ideo etiam B. Virgo redempta fuit, sed sublimiori modo, redemptione nempe *praeservativa* a peccato, non vero liberativa.

III – PROBATUR EX TRADITIONE

Ludovicus Ant. Muratori, in op. *De Superstitione vitanda*, cap. 23, p. 179 asseruit piam sententiam de Immaculata conceptione *esse contra divinam Traditionem*, oppositam vero sententiam esse secundum divinam Traditionem. Et in Epistola 14 Valdesiana, p. 192, asseruit: « Equidem fateor me sincero amore veritatis exquisivisse in scriniis Patrum, quaenam de hac re fuerit eorum sententia, summopere apud eos invenire cupiens decantatum hoc privilegium; quis enim, nisi perditus malignus et impius Sanctae Dei Genitrici honorem hunc invidet, si certa ratione constare possit, illud a Patribus fuisse tributum? Maerens dico: ne unum quidem reperi, quod et antea contigerat prae laudato immortalis nominis viro Dionysio Petavio... ». Quidam recentiores dixerunt Patres, in suis scriptis, agere tantum de puritate *virginali* non vere de puritate *originali*, vel etiam de puritate B. Virginis *post* Annunciationem.

Quam falsae sint assertiones istae, sequentia plene demonstrabunt.

Traditio divina circa hoc privilegium, claritatis gratia in quatuor veluti stadia distingui potest:

- I. A SAEC. I AD SAEC. V;
- II. A SAEC. V USQUE AD SAEC. XI;
- III. A SAEC. XI USQUE AD SAEC. XV;
- IV. A SAEC. XV USQUE AD FINEM SAEC. XIX.

I. **A saec. I ad saeculum V.** Apud Patres quatuor priorum saeculorum doctrina Immaculatae conceptionis *implicite* tantum invenitur, a) in comparatione Mariae cum Eva; b) in generali doctrina de omnimoda B. Virginis puritate et sanctitate; c) et in veritate divinae maternitatis. Nulla enim adhuc orta erat controversia de peccato originali, et ideo nulla erat ratio cur Patres Immaculatam Conceptionem B. M. V. directe et explicite assererent.

a) *In comparatione Mariae cum Eva.* Patres, parallelismum Paulinum inter Adam et Christum, novum Adam, compleverunt iuxtaponendo Evam et Mariam novam Evam, ita ut locum quem tenuit Eva prope Adam in humani generis ruina,

illum occupet Maria, prope Christum, in humani generis reparatione. Ita S. IUSTINUS, S. IRENAEUS, TERTULLIANUS, S. EPHRAEM, S. EPIPHANIUS etc. Iamvero parallelismus a Patribus descriptus inter Evam et Mariam, duplicem importat relationem: *similitudinis* nempe et dissimilitudinis seu *oppositionis*; similitudinis quidem eo quod utraque immaculata et innocens e manibus Dei prodiit; si enim prodiit e manibus Dei immaculata quae mortem omnibus attulit, a fortiori immaculata prodire debuit illa quae vitam omnibus allatura erat; et oppositionis eo quod Evae inoboedientiae, peccatum originale per Adam in mundum introducenti, opponitur Mariae oboedientia, quae salutem et reparationem, per Christum, in mundum introduxit; ex quo rursus eius immaculata conceptio eruitur. Fieri enim potuit ut esset commune perflugium, universalis expiatio et reconciliatio illa quae perflugio, expiatione et reconciliatione indigebat?... Ad hoc ergo ut esset Corredemptrix generis humani i. e. nova Eva, B. Virgo, Immaculata esse debuit.¹ Quare Card. Newman asserere non dubitavit Immaculatam Virginis Conceptionem implicite a Patribus doceri in amplitudine principii de Maria nova Eva (cfr *Anglican difficulties*, apud Naulaerts, *De Maria Nova Heva doctrina Patrum Antenicenorum*, in *Div. Thomas [Plac.]*, pp. 5-6, 1931).

b) *In doctrina de omnimoda Mariae puritate et sanctitate*, quae summis laudibus a Patribus effertur. a) S. HIPPOLYTUS B. Virginem comparat cum lignis putredini non obnoxiiis: « Porro autem arca ex lignis quae putrescere non poterant, erat ipse Salvator. Per hanc enim, putredinis et corruptionis expers eius tabernaculum significatur, quod nullam peccati putredinem genuit... Dominus autem peccati expers erat et ex lignis putrefactioni non obnoxiiis secundum hominem, hoc est, ex Virgine et ex Spiritu Sancto, intus et foris tamquam purissimo Verbi Dei auro, circumtectus ». (Apud Theodoretum, in dialogo *Eranistes*, PG 10, 610). b) S. GREGORIUS THAUMATURGUS: « Inveniensque (Verbum) virginem spiritu corporeque sanctam, ex ea animatum corpus suis congruum consiliis assumpsit ». (*Serm. in nativ. Christi*, ap. PITRAM, *Analecta sacra*, t. 4, p. 136). c) S. EPHRAEM Virgini talem puritatem et sanctitatem adscribit, quam cum solo Christo participat quaque omnes reliqui homines carent. « Tu revera et mater tua soli estis, qui omni ex parte pulchri estis; in te enim, Domine, nulla est labes, nec ulla in Matre tua macula » (*Carmina Nisibena*, edita Leipzig, 1866 a Bickell, p. 40).² d) S. AMBROSIIUS sic alloquitur Christum: « Veni... Suscipe me non ex

¹ Hoc modo arguit AMPHILOCHIUS ICONIENSIS († circa finem saec. IV) asserens quod sicut Deus creavit Evam absque ulla culpae macula, ita etiam absque macula creavit Mariam, novam Evam (cfr COMBEFIS, *Or. in S. Deip.*, p. 42). Attamen de authentia huius Orationis dubitatur.

² Relate ad testimonium S. Ephraem, iuvat referre iudicium Bickell, qui ex Protestante factus est postea catholicus et Sacerdos: « Mentre io nell'inverno del 1862, mi occupavo a Londra nel trascrivere i fino allora sconosciuti canti nisibeni di s. Efrem, mi veniva continuamente l'idea, come se fossi eccitato dal di fuori, che qualora io trovassi in queste poesie una indubbia testimonianza di quell'insegnamento (l'immacolata concezione), io dovrei ritenerla come una

Sara, sed ex Maria, ut incorrupta sit Virgo, sed virgo per gratiam, ab omni integra labe peccati » (*Enarrat. in Ps.*, 117, PL 15, 1599). e) S. AUGUSTINUS, orta iam controversia circa peccatum originale, scribebat: « Excepta S. Virgine de qua propter honorem Domini, nullam prorsus cum de peccatis agitur haberi volo quaestionem » (*De nat. et grat.*, c. 36, n. 42, PL 44, 267).¹

Haec omnia Patrum elogia omnem prorsus maculam a B. Virgine excludunt, nedum peccati actualis sed etiam originalis et ideo immaculatam Deiparae conceptionem *implicite* continent.

Praestat hic ut recenseantur duo opera apocrypha in quibus indicia et vestigia magis manifesta huius veritatis habentur, videlicet: 1) PROTOEVANGELIUM S. IACOBI, graece conscriptum medio saeculo II, in quo sermo est de *conceptione miraculosa* (secundum quaedam manuscripta, *virginalis*) B. M. Virginis ex parte S. Annae, ob preces parentum, post longam sterilitatem. Fuisset ergo B. Virgo — secundum auctorem Protoevangelii — immaculate concepta nedum in Conceptione passiva *consummata* (prout definivit Pius IX), sed etiam in conceptione *activa*, sicut D. N. I. Christus. Attamen, fatendum est hoc testimonium haud repraesentare quid senserit Ecclesia, neque probare talem fidem popularem tunc fuisse communem. — 2) ACTA S. ANDREAE, quae dicuntur conscripta a Presbyteris Achaiae (circa a. 80, prout tenent C. Woog, Protestans, et Gallandi; sed probabiliter sunt saec. III) in ore S. Andreae haec verba ponunt: « Et propterea quod ex immaculata terra creatus fuit, necesse erat ut ex *immaculata Virgine ἀμωμος παρθένος irreprehensibili* virgine nasceretur perfectus homo, quo Filius Dei, qui antea condiderat hominem, vitam aeternam, quam perdididerant homines per Adamum, repararet » (in Bibliot. Patrum, GALLANDI, t. 1, p. 157). Vis huius testimonii perantiqui, non tam in verbo *immaculata* quam in comparatione inter Adam et Christum sita est. Sicut Adam creatus fuit ex terra *immaculata* seu *irreprehensibili* i. e. nondum a culpa sive ipsius Adae sive aliorum foedata, et ideo nondum maledicto obnoxia, ita Christus etc.

c) *In veritate divinae Maternitatis*, cum qua nulla omnino culpa componi potest. Asserunt enim Patres B. Virginem talem puritatis et sanctitatis gradum attigisse ut Mater Dei esse mereretur. Sic: a) S. AMBROSIVS: « Bene enim sola gratia plena dicitur, quae sola gratiam quam nulla alia meruerat, consecuta est, ut gratiae repleretur Auctore » (PL 15, 1556). b) S. HIERONYMUS: « Propone tibi

prova della sua verità e della verità della Chiesa cattolica. Questo sentimento mi permise di pregar Dio di tutto cuore, che se la Chiesa cattolica era veramente l'unica vera, ed i suoi insegnamenti dovevansi credere, sotto pena della dannazione, egli si degnasse di farmelo conoscere nella via indicata. In pari tempo, in questa occasione, per la prima volta in vita mia, invocai l'intercessione della Madre di Dio. E di fatti io trovai nella raccolta di quei canti la desiderata testimonianza decisiva » (cfr ROSENTHAL, *Konvertitenbilder*, III, 2, p. 415). Circa hoc testimonium cfr *Introd. in Mar.*, p. 121.

¹ Circa testimonium S. Augustini, cfr ea quae scripsimus in *Introd. in Mar.*, pp. 146-151.

Mariam quae tantae extitit puritatis ut Mater Domini esse mereretur » (Ep. 22 ad Eustochium, PL 22, 422).

Implicite ergo in doctrina Patrum quatuor priorum saeculorum Immaculata Virginis conceptio continetur. Attamen, contra hanc Patrum doctrinam, *duplex obiectionum classis*, ex ipsis Patribus, ab adversariis affertur, videlicet:

OBIC.: 1) Iuxta illorum Patrum doctrinam — dicunt — Christus *solus* est sine peccato.

RESPONDETUR: Cum dicitur aliquis *sine peccato* et ideo innocens, hoc intelligi potest dupliciter: a) vel de facto et per gratiam, vel b) de iure et per naturam. Iamvero haec secunda innocentia soli Deo et Homini-Deo i. e. Christo competit; sed alia (i. e. innocentia de facto et per privilegium) a Deo, etiam creaturae concedi potest. Iamvero, Patres, in textibus qui nobis obiciuntur, agunt — prout sat evidenter apparet — de innocentia de iure et per naturam non vero de innocentia de facto et per gratiam: secus concludere deberemus etiam nullum ex Angelis sine peccato fuisse, eo quia Angelus neque Deus est neque divinitati hypostatice unitus. — Relate vero ad imperfectiones et defectus Virginis ex Evangelicis textibus a Patribus deductos, animadvertere iuvat cum Petavio (*De Incarn.*, l. 14, c. 1, n. 2) Patres quosdam id fecisse « levissimis inductos rationibus, imo nullis ». Ceterum, dicta *quorundam* Patrum neque traditionem neque fidem communem Ecclesiarum in quibus ipsi scribebant repraesentant eo quia doctrina communis illarum Ecclesiarum sanctitatem et puritatem omnimodam B. Virginis, etiam ante Concilium Ephesinum, profitebatur. Ita NEWMAN, in op. *Du culte de la Sainte Vierge*, p. 213.

OBIC. 2) Iuxta illorum Patrum doctrinam et praesertim S. Ambrosii, — dicunt — habetur universalitas peccati originalis et redemptionis. Ergo nec B. Virgo fuit immunis.

RESPONDETUR: Immunitas sub duplici respectu existere potest: *de facto* tantum (in illo qui de *iure*, ratione conceptionis ordinariae, esset peccato subiectus) et *de iure* (in illo qui ratione *conceptionis virginalis* non esset legi subiectus). Tantummodo iste secundus modus in Christo locum habere potuit, et ideo conceptio eius fuit tota pura et sancta. Talis est significatio primaria et directa textus S. Ambrosii, qui citatur a S. Augustino in *Contra Iulianum* 2, 4, PL 44, 539. Et hoc modo i. e. de *iure* B. Virgo, *conditione nascendi*, non erat immunis a peccato. Sed nihil excludit possibilitatem immunitatis *de facto*, ratione interven-tus divini.

II. A saec. V ad saec. XI. In hoc secundo stadio incipit professio *explicita* privilegii. Attamen non pari gressu procedunt Ecclesia Graeca et Ecclesia Latina.

A) In **Ecclesia Graeca**. Patres nedum summis laudibus puritatem et sanctitatem Deiparae celebrant, sed perspicuis etiam verbis immaculatam eiusdem conceptionem declarant.

Titulus *Deipara* B. Virgini a Concilio Ephesino solemniter tributus, initium constituit duplicis evolutionis: *doctrinalis* et *liturgicae*.

I. **Evolutio doctrinalis**. Impii conatus Nestorii contra Deiparam, occasionem praebuerunt Patribus illustrandi eximias praerogativas B. Virginis.

1) SAEC. V. — a) Ipsemet NESTORIUS — miranda res! — subtrahere videtur B. Virginem a peccato originali. Subtrahit enim B. Virginem explicite a poena peccati originalis, mulieribus propria i. e. a doloribus partus (cfr M. JUGIE, *Nestorius*, pp. 258, 286). Magis explicite b) THEODOTUS EP. ANCYRANUS: « Loco autem eius, quae ad mortem ministra extiterat virgo Eva, Dei gratia impletur Virgo; in vitae ministerium assumitur; virgo muliebri comprehensa sexu, at *mulieris exsors nequitiae*; virgo innocens, sine macula, omnino irreprehensibilis, intemerata, impolluta, anima et corpore sancta, sicut lilium inter medias spinas exorta » (*Or. in S. Mariam Dei Genitr.*, PG 77, 1427). Deformatio naturae femineae quam effugit B. Virgo, intelligi debet de culpa originali quae primitivum Creatoris opus deformavit. c) S. PROCLUS, Patriarca Constantinopolitanus († 446): « Haudquaquam architecto dedecori est, ut eam incolat domum, quam ipsemet exstruxerit, neque lutum figulum inficit, cum ille vasculum quod finxerat refingit; ita nec quidquam Deum purissimum polluit, quod ex virginali utero prodiit. Quam enim citra omnem sui labem formaverat ex ea nulla contracta macula processit » (*De Laud. S. Mariae*, I, PG 65, 681).

Et postea: « Maria novae creaturae caelestis globus, in quo sol iustitiae nunquam occidens omnem ab anima peccatorum noctem fugavit ».

Dicit insuper B. Virginem formatam esse « ex mundo luto » (PG 65, 679-692, 717, 681, 684). d) HESYCHIUS HIEROSOL. († c. 450) in homil. V, « de Sancta Maria Deipara » (PG 43, 1464-1465), incorruptibilitatem, immortalitatem, immunitatem a concupiscentia, impeccabilitatem, triumphum supra daemonem, missionem corredemptivam Deiparae extollit: quae omnia, relate ad privilegium Immaculatae Conceptionis, sunt veluti effectus relate ad causam, veluti partes relate ad totum. BASILIUS SELEUCENSIS (Hom. in *Annuntiationem* 6, PG 85, 452) et ANTIPATER BOSTRENSIS (*In Annuntiationem Deip.*, PG 85, coll. 1777, 1784), absolutam sanctitatem Deiparae extollunt.

2) SAEC. VI: a) S. ROMANUS in quodam cantico dicit « Christum maledictionem per Virginem abstulisse et Adam in suo statu primitivo restaurasse » (PITRA, *Analecta sacra*, Paris, 1876, t. I, p. 226). Dicit insuper B. Virginem liberasse Adam et Evam (i. e. naturam humanam) a corruptione mortis (i. e. a labe originali), (l. c., p. 198). b) S. ANASTASIUS I P.ca Antioch. († 599) aequivalentibus verbis immaculatum Virginis conceptum exprimit (*Or. III de Incarn.* 6, PG 89,

1338, 1377, 1388). c) THEOPHANES ita laudat Mariam: « O a cunctis sordibus in-contaminata et super omnes inculpato inculpatisima Domina » (Od. 4 et 5). Et alibi: « Purissimus Dei Filius, cum purissimam te solum invenisset, o prorsus immunis ab omni labe, ex utero tuo genitus, a labe emundat credentes » (Od. 7).

3) SAEC. VII: a) S. SOPHRONIUS, P.ca Hieros.: « Invenisti gratiam apud Deum prae omnibus splendidam, invenisti gratiam apud Deum integram... invenisti gratiam apud Deum perpetuam. Invenisti gratiam, quam nemo recepit... Nemo praeter te praepurificatus est » (PG 87, 3248). Et in eius Epistola Synodica a Conc. Oec. VI adprobata, legitur: « Sancta, anima et corpore immaculata, atque ab omni contagione prorsus libera » (PG 87, 3160-3161). b) S. MODESTUS P.ca Hieros. († 634) B. Virginem appellat « totam sanctam » « magis sanctam quam cherubim et seraphim »; dicit illam esse « portam orientalem in qua nunquam accessum habuit mendacium » (PG 86b, 3280, 3281, 3284, 3301, 3305).

4) SAEC. VIII: a) S. ANDREAS CRETENSIS: « Cum Redemptor generis nostri novam priori succedaneam nativatem ac formationem exhibere voluisset, quemadmodum illic prius accepto limo ex virgine ac illibata terra, primum Adam effinxit, sic et hic modo suae ipse Incarnationis auctor, alterius, ut sic dicam, vice terrae, mundam hanc immaculatissimamque virginem e tota natura eligens, nostrumque ex nobis in ea figmentum nova ratione componens, etc. » (PG 97, 813-816). Et in serm. pro Annunciat. scribit:

« Ne timeas, invenisti gratiam apud Deum, nimirum gratiam, quam Heva amiserat... Gratiam invenisti, quam nullus a saeculo, sicut tu, invenit » (PG 97, 904, 888, 892). b) S. GERMANUS P.ca Constantin.: « Paradisus es a Deo plantatus (o Maria) et ex quo genitalibus naturae legibus tibi propriis sata fuisti. Deus mandavit Cherubim ut et gladium flammeum atque versatilem, in orbem circa te rotarent, teque undequaque inaccessam fraudulentis serpentis insidiis servarent » (cfr *Civiltà Cattolica*, fasc. 20, septembre 1856). c) S. IOANNES DAMASCENUS: « Natura enim gratiae cedit, statque tremula pergere non sustinens. Quoniam igitur futurum erat ut Deigenitrix Virgo ex Anna nasceretur, natura gratiae germen antevertere non ausa est. Sed mansit fructus expers, dum gratia fructum ederet » (*Homil. de Nat. B. V.*, PG 96, 664, 665).¹ d) IOANNES EP. EUBOICUS († c. 750) in Homil. pro festivitate Conceptionis, asserit specialem SS. Trinitatis interventum ad dignum Verbi Incarnati habitaculum praeparandum, et de Virgine novam creationem fecisse i. e. in statu originalis iustitiae illam creasse (PG 96, 1500, 1485, 1488, 1477).

5) SAEC. IX: a) S. TARASIVS P.ca Const. († 806) in homilia de Praesentatione B. M. V.: « Inde a creatione mundi praedestinata, inter omnes generationes electa ut esset immaculatum domicilium Verbi, et omnipotenti in templo sancto oblata,

¹ JUGIE M., *Saint Jean Damascène et l'Immaculée Conception*, in *Bessarione*, 39 (1923) 1-7.

nonne Virgo est honore digna, pura et immaculata? Nonne ipsa est naturae humanae oblatio immaculata? ». Haec immaculata puritas, iuxta mentem auctoris, labem originalem excludit, prout apparet ex eadem homilia in qua B. Virgo appellatur « Dei filia per excellentiam », « immaculata per excellentiam », « illa quae liberavit Adam ex maledicto et Evae debitum solvit » (PG 98, 1497, 1481, 1489). b) S. THEODORUS STUDITA († 826) in homil. de Nativitate B. M. V. (falso S. Ioanni Dam. tributa) asserit Deum misericorditer creasse novum mundum, novum coelum, novam terram, novum mare ad hoc ut esset habitaculum Incomprehensibili, genus humanum reformare cupienti, quemadmodum antequam crearet Adam, eidem magnificum creationis palatium aedificavit. B. Virgo est terra quae non fuit maledicta, sicut prima terra, sed supra quam Dei benedictio descendit (PG 96, 697-698, 684-685). c) EPIPHANIUS MONACHUS CONST. in quadam Vita B. M. V. docet B. Virginem per naturam (et ideo inde a sua conceptione) immunem fuisse a concupiscentia (et ideo iustitia originali donatam; PG 120, 193, 197). d) IOSEPH HYMNOGRAPHUS († 833) asserit legem mortis illegalem fuisse pro Virgine eo quia ipsa est ab omni peccato immunis, sola pura, sola immaculata, tota sine macula (PG 105, 984, 985, 989, 1080, 1000, 1001). e) PHOTIUS P.ca Const., tristis pater tristissimi schismatis Ecclesiae Graecae ab Ecclesia Latina, testificavit Concilium Oecumenicum VI ad B. Virginem salutationem hanc direxisse: « Quae immaculata semper extitisti ab exordio tuae creationis » (in Epist. ad Princ. Bulg.). In II homil. de Annunt. B. M. V. clarissime docet Deiparae immunitatem a peccato originali (ARISTARCHIS, *Φωτίου λόγοι καὶ ὁμιλίαι*, Constantin., 1901, t. 2, pp. 372-374, 376, 348). f) GEORGIUS NICOMEDIENSIS, Photii amicus, cum ipso participavit in suis 170 homiliis, sententiam de Virginis immunitate a peccato originali (Homil., 3, in Praesentatione, PG 100, 1453, 1444). B. Virginem eximit a qualibet concupiscentia, sub qualibet forma (l. c., 1448, 1449). Dicit etiam quod per Ipsam, immaculatam, imago Dei quae deformata fuerat a peccato, suam pulchritudinem rursus obtinuit. Ipsa est mediatrix nostrae regenerationis et causa nostrae reformationis (In Praesent., 1, col. 1416). g) THEOGNOSTES, monachus Bizantinus, asserit B. Virginem habuisse vitae initium sanctum, quia in *primo instanti* sancte concepta (cod. 763 fundi Graeci Biblioth. nat. Parisiensis, fol. 8, V). Ex hoc sancto initio, ad sanctam finem, seu ad gloriosam Virginis Assumptionem concludit.

6) SAEC. X: a) NICETAS DAVID, dictus Paphlagoniensis, plus minusve aperte Virginis privilegium extollit, dicens S. Annam veluti molem lapidum (una diga) torrentibus iniquitatis opposuisse (*In diem natalem S. Mariae*, PG 105, 21, 24). Dicit B. Virginem remedium fuisse contra originalem tristitiam (ibid., col. 17). b) LEO SAPIENS, Imperator († 911) in homil. de Praesentatione, asserit quod terra, quae antea, maledictionis causa, spinas tantummodo producebat, primitias insolitas, pretiosissimas produxit, i. e. B. Virginem, quae exurgit veluti

lilium inter spinas humanae malitiae expers maledictionis et amaritudinis, benedictionis saporem habens (PG 108, 12). *c*) S. EUTHYMIUS P.ca Constant. († 917) in sermone quodam asserit plenam B. Virginis sanctificationem *in primo instanti* conceptionis (Codex Vatic. graecus 1617). *d*) PETRUS Ep. Argorum († post a. 920) in sermone pro fest. Conceptionis Annae sanctitatem originalem Matris Dei aperte docet, eo quia natura humana liberata est ab infectione peccati originalis in persona Virginis inde a sua conceptione in sinu S. Annae (PG 104, 1352, 1360). *e*) IOANNES GEOMETRA explicite asserit B. Virginem « in gaudio conceptam fuisse, in gaudio gestatam et in gaudio natam ». Iamvero gaudium pro Ioanne Geom. est synonymum gratiae sanctificantis: dicit enim gaudium et benedictionem ad nos per unum hominem et per unam mulierem pervenisse, sicut tristitia et maledictio ad nos per unum hominem et per unam mulierem, devenit (*In Deip. Annuntiationem*, PG 106, 820, 845).

Dicit insuper B. Virginem inde a sua conceptione purificatam et exornatam fuisse (l. c., col. 825). Etiam in suis hymnis marianis pluribus modis immaculatam Virginis conceptionem exprimit. Dicit Virginis corpus manibus divinis formatum fuisse, et Virginem a peccato mortalium immunem fuisse (Hymn. 3, *ibid.*, col. 861). Declarat insuper B. Virginem in statu iustitiae originalis in hunc mundum venisse, et illam « novum mundum », « creationem novam » appellat, naturae nostrae decus, summum Dei opus, idealem pulchritudinem personificatam etc. (l. c., coll. 857, 861).

Habentur insuper et alia testimonia (fere omnia adhuc inedita), auctoris incerti aut anonymi, in quibus plus minusve explicite perpetua B. Virginis sanctitas significatur (cfr M. JUGIE, *Immaculée conception*, in *Dict. Theol. Cath.*, t. 7, coll. 931-936).

Omnes hucusque recensiti scriptores talibus usi sunt locutionibus quae ideam sufficienter claram et explicitam dogmatis Immaculatae conceptionis continent. Persaepe ad hanc veritatem declarandam formulam *positivam* adhibuerunt. Hinc, loco dicendi: « B. Virgo fuit praeservata a culpa originali », dicunt: « B. Virgo fuit gratia plena, *semper* in gratia, non indigens reconciliatione cum Deo, plene sanctificata inde a prima eius apparitione in hoc mundo in sinu matris. Ipsa est *nova* creatura, similis Adae antequam peccaret, purissima etc. Ipsa fuit *sola* et semper benedicta. Deus modo plane singulari intervenit ad Matris suae conceptionem sanctificandam etc. ». Attamen, persaepe etiam locutionibus et formulis *negativis* utuntur, quamvis ipsa materialia verba definitionis ex cathedra non inveniuntur.

II. Evolutio Liturgica. Festum Conceptionis subordinatum est festo Nativitatis B. M. V., et ideo tantummodo post festum Nativitatis celebrari potuit. Iamvero festum Nativitatis iam celebrabatur circa medium saeculum sextum, prout ex cantico quodam S. Romani circa hanc festivitatem apparet. Et de facto

primum testimonium relate ad festum *conceptionis Annae* est exeuntis saeculi VII et ineuntis saec. VIII, id est *Canon S. Andreae Cretensis* (660-740?), in *Conceptionem Sanctae ac Dei aviae Annae* (PG 97, 1305-1316).¹ Prima vero homilia est Ioannis Euboici qui tempore S. Ioannis Damasceni florebat († 749), (PG 96, 1459-1500). Tempore Photii festum hoc in Ecclesia Graeca iam universale erat, prout apparet ex pluribus sermonibus illius temporis qui ad nos usque pervenerunt, videlicet: 4 Homiliae Gregorii Nicomediensis, 1 homil. S. Euthymii Patr. Constant. († 917), 1 hom. Petri Ep. Argorum. In Menologio iussu Basilli II Imperatoris composito a. 984, festum Conceptionis assignatum videmus diei 9 decembris (PG 118, 196).

At, quodnam fuit *obiectum* huius festi?... Iuxta P. Jugie (l. c., p. 959), obiectum huius festi, prout ex variis monumentis eruitur, est valde complexum, et sub triplici veluti respectu considerari debet, videlicet, prout significat: 1) *nuntium* conceptionis ab Angelo allatum, prout a pluribus menologiis, synaxariis enuntiatur, et prout in origine festum hoc appellabatur; 2) *miraculum* conceptionis, in sinu sterili S. Annae; 3) conceptio *passiva* futurae Deiparae. Primum elementum, seu miraculosum nuntium (ad modum illius quod in Evangelio S. Lucae pro nativitate Ioannis Baptistae narratur), in *Protoevangelio* S. Iacobi contentum, institutionem huius festi primo determinasse videtur. Attamen, alia duo elementa, naturaliter et sponte ipsi adiuncta fuerunt; imo, tertium elementum (conceptio passiva Deiparae) mentem hymnographorum et oratorum huius festivitatis iugiter, prae aliis elementis, occupat. Titulus «festum *Conceptionis Matris Dei*» frequenter inveniebatur in tota media aetate, nedum in regionibus graecis sed etiam slav. In conceptione passiva oratores insistunt (e. g. Ioannes Euboicus et S. Euthymius) et de ipsa praesertim in tota liturgia agitur. Festum hoc occasionem oratoribus praebebat fidem ipsorum manifestandi circa perpetuam et absolutam B. Virginis sanctitatem. Ipsi enim Virginem exaltant ab omni macula immunem, inde a primo instanti suae existentiae, a Deo modo omnino singulari formatam. Festum ergo Conceptionis, inde a saec. VII in Ecclesia Graeca celebratum, argumentum validissimum praebet in favorem Immaculatae conceptionis B. M. V.

B) In Ecclesia Latina, a Concilio Ephesino usque ad saec. XI habetur proxima praeparatio et veluti prima lux (alba) fidei seu professionis explicitae huius dogmatis. Hinc evolutio minus rapida est in Occidente quam in Oriente. Hoc debetur praesertim barbarorum incursibus et reactioni antipelagiana. Attamen, non desunt testimonia in favorem gratiae initialis B. Virginis.

¹ Quidam tenent Conceptionis festum celebratum fuisse saec. V, quia de eo mentio fit in *Typo S. Sabbae*. Sed Typus seu rituale hoc saepe castigatum et editum fuit; et ideo iure dubitatur utrum festum Conceptionis in prima eius editione insertum fuerit.

I. Evolutio doctrinalis.

1) SAEC. V: sententia de immunitate Virginis a qualibet culpa, *communis* fuisse videtur. Pelagius enim, ita contra S. Augustinum arguebat: «quam (Mariam) sine peccato confiteri necesse est pietati».

Haec non erat personalis persuasio ipsius Pelagii sed communis fidelium persuasio: et ex hoc vis obiectionis derivabatur.

Hinc patet perversitas G. Herzog qui in articulis quibusdam (*Rev. d'Hist. et de litt. relig.*, 1907, pp. 497-512) scribebat quod necessitas offerendi virginibus aliquod exemplar, movit S. Ambrosium ad omnes virtutes Virgini tribuendas: et ita «la sainteté de Marie a été introduite dans la sphère des dogmes» (l. c., p. 507)! Verba Pelagii contra S. Augustinum hanc assertionem ad nihilum redigunt.

Laudari possunt: a) S. PETRUS CHRYSOLOGUS dicit B. Virginem veluti sponsam destinata fuisse Christo inde ab utero matris suae, in initio suae existentiae: «cui est in utero pignorata cum fieret» (Serm. 140, *de Annunt.*, PL 52, 577). b) S. MAXIMUS Ep. Taur.: «idoneum plane Maria Christo habitaculum, non pro habitu corporis, sed pro gratia originali» (PL 57, 235). Gratia *originalis* hic consideratur tamquam dispositio necessaria in illa quae Mater Verbi Incarnati esse debebat. c) SEDULIUS: «... unde — culpa dedit mortem, pietas daret inde salutem: Et, velut e spinis mollis rosa *surgit* acutis, — *nil quod laedat habens*, matremque obscurat honore...» (*Carmen Paschale*, l. 2, nn. 26-31, PL 19, 595 ss.).

2) SAEC. VI: a) VENANTIUS FORTUNATUS Ep. Pictaviensis, B. Virginem vocat «germen iustum» a Deo per Ieremiam (23, 5) Davidi promissum, «figmentum figuli, super omnia vasa decorum, atque creaturae fulgida massa novae» (*Miscellanea*, l. 8, c. 7, PL 88, 277-281). b) S. FULGENTIUS, Ep. Ruspensis: «Primum hominem, inquit, mulier corrupta mente deceptit: secundum hominem Virgo incorrupta virginitate concepit. In primi hominis coniuge nequitia diaboli seductam depravavit mentem; in secundi autem hominis matre gratia Dei et mentem integram servavit et carnem» (*Serm. de dupl. nativ. Christi*, una aeterna ex Patre, altera temporali ex virgine, PL 65, 728). Et alibi: «Sic enim eam legitur salutasse: *Ave gratia plena, benedicta tu inter mulieres*. Cum dixit *Ave*, salutatio-nem coelestem exhibuit; cum dixit *gratia plena*, ostendit ex integro iram exclusam primae sententiae et plenam benedictionis gratiam restitutam; cum dixit *benedicta tu inter mulieres*, virginitatis eius benedictum fructum expressit ut ex eo benedicta dicatur inter mulieres, quaecumque perseveraverit virgo» (*Serm. de laud. Mariae ex partu Salvatoris*, l. c., col. 899).

3) SAEC. VII et VIII: a) AUCTOR duodecim sermonum de S. Maria, inter opera dubia S. Hildephonsi, scribit: «Quoniam haec est anima illa beata per quam Auctor vitae ingressus est mundum, per quam omnis maledictio soluta est priorum parentum, et coelestis benedictio in toto venit mundo. Haec est Virgo in cuius utero

omnis ecclesia subarratur, coniuncta Deo toedere sempiterno creditur » (*Serm. II de Assumpt. S. Mariae*, 12, PL 96, 252, 279). b) PSEUDO-HIERONYMUS B. Virginem nimbo comparat qui nunquam in tenebris sed semper in luce fuit (*Breviarium in Psalmos*, Ps. 77, 4, PL 26, 1049). c) AMBROSIUS AUTPERTUS († 778) cui tribuitur sermo *de Assumptione*, iam S. Hieronymo tributus (PL 30, 122), B. Virginem dicit: « ideo immaculatam, quia in nullo corruptam » et nunquam ab insidiis diaboli violatam (n. 9, col. 132). d) PAULUS WARNEFRIDUS, Diac. Aquil. asserit quod B. Virgo fuit « vitiositatis nodis funditus carens » (*Homil. in Assumpt.*, PL 95, 1567). Dicit insuper quod B. Virgo a Christo « procul dubio spiritualiter in tempore numquam creditur defuisse » (*Homil. 2, in Evang.: intravit Iesus*, n. 5, col. 1573).

4) SAEC. IX et X: a) HAYMON, Ep. Alberstadt (853) B. Virgini illud Eccli, 24, 14: « Ab initio et ante saecula creata sum » accommodans, dicit Sapientiam ita illam creasse, ut Filio Dei, volens naturam nostram reparare, ab illa, extra quemlibet concupiscentiae influxum, nasci posset (*Homil. in solemn. perpetuae Virginis Mariae*, PL 118, 765). b) S. PASCHASIUS RADBERTUS († 860 c.) ex Virginis immunitate a culpa originali infert partum eius absque corruptione et dolore: « Quoniam, inquit, nisi Adam et Eva primum peccassent in paradiso, nemo deinceps nasceretur sub culpa peccati. Et ideo communis ista lex non nascendi naturae est, sed corruptionis et vitii. Maria autem, quia benedicta, culpam corruptionis non habuit, propterea Christum non in dolore, nec sub corruptione genuit » (PL 120, 1369).

Et paulo post: Quoniam omnia [dolor, gemitus, molestia, aerumna...] iustissimae damnatae carnis in prima origine, retributiones sunt et vindictae... Idcirco cessent [haeretici] a talibus deliramentis et confiteantur cum sanctis patribus, sic eum esse natum de Virgine Maria, ut dignatus est et decuit Deum; nullas adscribant sacratissimae Matri contumelias intulisse, non gemitus, non dolores, non aerumnas, non ullas viscerum vexationes, non ullas dirae tristitiae corruptiones, quia haec omnia, sicut saepe dictum est, in prima origine illatae sunt vindictae et retributiones iustissimae primae praevaricationis. A quibus omnibus B. Virgo Maria, quantum est aliena a culpa, tantum procul dubio libera fuit a doloribus et a poena ».

Et ibidem: « Beata Virgo plena gratia nec dolorem sensit, nec corruptionem viscerum pertulit. Spiritu Sancto in ea cooperante et virtute Altissimi qua adumbratur, in totum extranea a maledicto primae damnationis et tantum immunis permansit a corruptione carnis, necnon et a gemitu et doloribus, quibus vexantur omnes filiae Evae, cum pariunt ».

Et iterum: « Sed eximiae pietatis honor est vobis et decus virtutis beatissimae Virginis pudicitiam praedicare incorruptam et incontaminatam et ab omni contagione primae originis confiteri alienam » (*De partu Virginis*, opus falso S. Hildephonso tributum, l. I, l. c., col. 1375). Affirmat tandem quod B. Virgo « neque

contraxit, in utero sanctificata, originale peccatum » (l. c., col. 1371). Quidam, immerito, haec verba interpolata esse dicunt.

c) S. FULBERTUS EP. CARNOTENSIS († 1028) in *Serm. IV de Nativ. B. M. V.* explicitè assertit: « Hoc igitur in primis adstruere fas est, quod anima ipsius et caro quam elegit, habitaculum sibi fecit sapientia Dei Patris, ab omni malitia et immunditia purissima fuerunt » (PL 141, 322). In alio sermone, recognoscit praesentiam Spiritus S. in parentibus Virginis « ab initio procreationis suae » (*Sermo IV, in ortu almae Virginis*, col. 326).

Evolutio liturgica

Quod ad Ecclesiam Occidentalem spectat, ferunt S. Ildephonsum Archiepiscopum Toletanum in Hispania saeculo VII primum instituisse hoc festum; sed alii authenticam documentorum, quibus narratio innitur, iure in dubium vocant; alii autem eo festo celebrari autumant non B. Virginis conceptionem, sed conceptionem Verbi Dei, sive ipsam Mariae maternitatem¹ quae in regno Visigothorum tunc colebatur die 18 decembris (cfr C. GUTIÉRREZ, *El Culto Litúrgico de la Santísima Virgen*).

Saeculo IX festum immaculatae B. Virginis conceptionis notum erat in Sicilia et Neapoli, quae frequens commercium habebant cum Oriente sub cuius ditone meridionalis Italia posita erat. Ita in veteri marmoreo Neapolitanae ecclesiae calendario legitur haec inscriptio die 9 decembris: « Conceptio sanctae Mariae Virginis ».

In Hibernia festum Conceptionis B. Virginis celebrari iam saeculo IX aut saeculo X ineunte, constat a) ex Martyrologio Tam-lactensi, ubi V nonas Maii legitur: « Crucis Christi inventio; Mariae Virginis Conceptio; Eventii, Teodoli, Ambrosii », etc.; b) item ex calendario manu scripto metrico composito, post mortem Alafredi regis, in quo festum illud VI Nonas Maii sic inscribitur: « Concipitur virgo Maria cognomine senis »; c) necnon ex calendario Oengui monachi, in quo festum Conceptionis sic annuntiat die 3 maii: « Feil mar Maire uage, Magnum festum Virginis Mariae ».

Ante medium saeculum XI festum Conceptionis celebratum fuit in Anglia, ut constat a) tum ex calendario Abbatiarum Oldminster et Newminster in comitatu Wintoniae, in quo sic indicatur ad diem 8 decembris: « Conceptio Sanctae Dei Genitricis Mariae »; b) tum ex martyrologio monasterii S. Augustini Cantuariensis, in quo eodem die legitur: « Item ipso die conceptio Sanctae Mariae Virginis »; c) tum ex Pontificali primatialis ecclesiae Cantuariensis, ubi sub titulo: « Benedictio in die conceptionis sanctae Dei Genitricis Mariae », sequentes habentur preces: « Coelestium carismatum inspirator terrenarumque reparator qui beatam Dei genitricem angelico concipiendam praeconavit oraculo, vos bene-

¹ Cfr P. PAULUS CANCIANI, O. S. M., *De barbarorum legibus*, l. 4, p. 192.

dictionum suarum ubertate dignetur locupletare et virtutum floribus. Amen. Et qui illam prius sanctificavit nominis dignitate quam edita gigneretur humana fragilitate, vos virtutum copiis adiuvet pollere, et in nominis sui veneranda confessione infatigabiliter perseverare. Amen. Obtineat, vobis gloriosis intercessionibus prospera tempora, iucunda et pacifica, et post praesentia saecula, gaudia sine fine manentia, cuius venerandae conceptionis frequentamini magnifica sacramenta. Amen»; *d*) tum ex Pontificali ecclesiae cathedralis Exoniae, sub rubrica *Benedictio in conceptione sanctae Mariae*; *e*) tum denique ex Missali Leonfrici eiusdem ecclesiae Exoniensis.

Postea superveniente dominatione Normannorum, abolitoque calendario anglo-saxonico, festum Conceptionis B. Mariae decidit apud Anglos, sed iterum restitutum et propagatum est saeculo XII opera praesertim Anselmi abbatis Edmundiburgensis, qui nepos fuit S. Anselmi Cantuariensis.

Exinde in alias Occidentis partes extendi coepit, Germaniam, Italiam, Gallias, Flandriam et Hispaniam, quamquam in hoc regno festum Conceptionis iam celebratum fuerit medio saeculo XI in Benedictinorum coenobio dicto de Irache in Navarra (C. GUTIÉRREZ, o. c.).

Obiectum huius festi in Anglia celebrati non tam clare patet. Procul dubio, saec. XII, iuxta Eadmerum et alios, obiectum huius festi erat sanctitas initialis B. Virginis. At, ex documentis hucusque repertis, non clare apparet utrum et antea festum Conceptionis tale obiectum habuerit.

III. A saec. XI ad saec. XV. In hoc tertio stadio habetur periodus *discussionis*. Etiam in hoc stadio, traditio Ecclesiae Graecae et Latinae non pari gradu processit.

A) In Ecclesia Graeca, inde a saec. XI, doctrina circa Immaculatam Deiparae conceptionem, ab antiqua traditione transmissa, nedum pacifice *conservatur* usque ad finem saec. xv, sed magis magisque firmatur et determinatur, ita ut nullus fere ex Graecis illam serio negaverit.

1) SAEC. XI: *a*) MICHAEL PSELLUS († 1119?) explicite asserit: « Anima Virginis, in sua unione cum materia, nedum impuritatem aliquam contraxerit, sed suo corpori pulchritudinem omnino spirituales communicavit. Sola, inter omnes animas humanas, anima haec in suo corpore immaculato sicut splendor caelestis lucebat » (*Sermo de Annuntiatione*, in cod. 1630 fundi graeci Bibl. Parisiensis, saec. XIV, fol. 241). *b*) IOANNES MAROPUS in *serm. de assumptione*, edito a P. Ballerini (*Sylloge*, t. 2, pp. 549-602) variis modis, plus minusve explicitis Virginis privilegium significat; idem dicendum relate ad *c*) IACOBUM MONACHUM in quinque homiliis editis a P. Ballerini et in homil. quae apud Migne (PG 127, 543-70) invenitur. *d*) THEOPHYLACTUS, Archiep. Bulgariae († circa finem saec. XI) sat clare indicat B. Virginem iustificationis gratiam recepisse inde a primo suae conceptionis instanti (*Homil. in Praesent. B. Mariae*, PG 126, col. 137).

2) SAEC. XII: a) IOANNES PHOURNÉS in sermone de Dormitione Deiparae (edito a I. Palamas in fine homiliarum Theophanis Kérameus; Jeros. 1860, p. 272), impeccabilitatem B. Virginis eiusque immunitatem a concupiscentia cum sua originali sanctitate coniungit, ratione cuiusdam specialis Dei interventus. B. Virgo iuxta ipsum non est sicut nos. Ex immunitate a culpa originali idem auctor B. Virginis assumptionem deducit. b) THEODORUS PRODROMOS dicit impossibile esse effingere in Virgine, quamlibet vel minimam peccati labem (H. M. STEVENSON, *Theodori Prodromi Commentarii in carmina sacra melodorum Cosmae Hierosolymitani et Ioannis Damasceni*, Romae 1888, p. 52). c) MICHAEL GLYKAS in *Annales* (PG 158, 440) et in sua 22 Ep. Theologica (edita ab Eustratiadès, Athenis, 1906, t. 1, p. 262) fidem suam in Immaculatam Virginis conceptionem profitetur.

3) SAEC. XIII: a) NEOPHITUS RECLUSUS († c. a. 1220) in homiliis de Nativ. et de Praesent., asserit Deum, in formatione Virginis directe intervenisse; quia enim carnem immaculatam Verbo praestare debebat, hinc et ipsa a qualibet macula immunis et primitiae instauratae humanitatis esse debebat (in cod. 1189 fundi graeci Bibl. Nat. Paris.).

b) GERMANUS II, P.ca CONSTANT. in sermone de Annuntiatione, edito a P. Ballerini (*Sylloge*, t. 2, pp. 282-283) sat aperte specialem Dei interventum in formatione Matris suae significat, inde a primo conceptionis eiusdem instanti.

4) SAEC. XIV, theologia Mariana, apud Graecos, quorum multa opera adhuc sunt inedita, culmen veluti attingit: a) IOANNES GABRAS in sermone « in Praesent. Virg. » opponit laetitiam, in creatione Virginis habitam, tristitiae hominibus per protoparentum inoboedientiam causatae (*Anecdota Graeca*, Parisiis 1831, pp. 81-111). b) GREGORIUS PALAMAS Archiep. Thessal. († 1360), in suis 65 homiliis Mariologica doctrina refertis (PG 151, 43 homiliae Sophoclis, Athenis, 1861, 22 homil.) clarissime significat specialem Spiritus S. interventum ad Virginem a labe originali praeservandam, ad hoc ut ipsa Verbo carnem immaculatam praebere potuisset (*In Christi genealogiam*, Sophoclis, o. c., pp. 213-214; *In praesent. Deip.*, Sophoclis, pp. 120, 123). c) NICOLAUS CABASILAS († 1363) in tribus homiliis adhuc ineditis (in cod. 1213, in fundo graeco Bibl. Nat. Paris.) pluries et pluribus modis absolutam Virginis puritatem et ab omni originalis culpa labe immunitatem exaltat. d) MATTHAEUS CANTACUZENUS, Imperator Constant. (1354-1356) in suo Commentario in Canticum Cant. pluries, indirecte, Deiparae sanctitatem affirmat (PG 152, 1037, 1040, 1016). e) ISIDORUS GLABAS († 1397) Archiep. Thessal., doctrinam Nicolai Cabasilas, praedecessoris sui, repetit (BALLERINI, *Sylloge*, t. 2, pp. 426-427; t. 1 pp. 233, 234 etc.). f) DEMETRIUS CYDONES in serm. de Annuntiatione, adhuc inedito, marianum privilegium extollit.

5) SAEC. XV: a) EMMANUEL PALAEOLOGUS, Imperator (1391-1425), Demetrii Cydones discipulus, in sermone de Dormitione Deip. (PG 156, 91-108) clare

doctrinam catholicam tradit dicens Deiparam inde a sua conceptione et a primo instanti suae existentiae gratia a Deo repletam fuisse.

b) IOSEPH BRYENNIOS († c. a. 1435) cuius opera edita fuerunt saec. XVIII ab Eugenio Bulgaris, t. 2, coll. 1156-1161, innumeris modis sanctitatem originalem Deiparae extollit.

c) GABRIEL Archiep. Thessal. (in cod. 58 Bibl. Theologicae Halki) et SIMEON Archiep. Thessal. († 1429) marianum privilegium pariter profitentur.

d) GEORGIUS SCHOLARIOS seu Gennadius P.ca Constant. (1454-1456) in homilia inedita de Dormitione Deip. (cod. 1289 et 1294 fundi Graeci Bibl. Nat. Paris.) dicit quod B. Virgo tota pura esse debuit inde a primo instanti suae existentiae, quia purissimum parere debebat, quamvis, ratione suae originis, culpam contrahere debuisset (cod. 1291, fol. 139).

B) In Ecclesia Latina stadium discussionis habemus.

1) SAEC. XI et XII habemus *initium* controversiae.

Magna haec controversia, circa finem saec. XI a S. Anselmo Theologiae scholasticae patre, praeparata,¹ saeculo XII incipit et continuatur duobus saeculis subsequentibus usque ad Concilium Basileae (a. 1439).

Controversia incepit in Anglia ob festum Conceptionis, ab Anselmo Iuniore restauratum et pluribus in locis propagatum. Magnum influxum in propagatione huius festivitatis exercuit celeberrima visio Helsinii Abbatis, qui a naufragio liberatus fuisset postquam promiserat, nuntio cuidam coelesti, celebrationem festi Conceptionis die 8 decembris. Habebant plures adversarii festum «quasi ratione vacantem». Fructus controversiae fuit maior evolutio doctrinae immaculatae Conceptionis, ex solutione difficultatum oppositarum proveniens. Inter assertores et defensores privilegii mariani eminent *Eadmerus* socius, amicus et biographus S. Anselmi Cant. et *Osbertus de Clare*. Eadmerus († 1124?) in suo Tractatu «de conceptione sanctae Mariae» (PL 159 301-308), S. Anselmo falso adscripto, explicite in suis praecipuis elementis marianum privilegium exponit. Negat B. Virginem «peccati alicuius ex primae praevaricationis origine, maculam traxisse» (n. 9). Verum quidem est, iuxta verba Apostoli, omnes in Adam peccasse sed locus supereminens quem Maria apud Filium suum occupat, illam a lege communi subtrahit: «ita te non lege naturae aliorum in tua conceptione devinctam fuisse opinor» (n. 12). «Si igitur aliqua alicuius peccati macula conceptio ipsa corrupta fuit fundamentum habitaculi sapientiae Dei ipsi structurae

¹ Ipse enim docuit *essentiam* peccati originalis sitam esse in *privatione iustitiae originalis* seu rectitudinis voluntatis, id est, probabilius, in privatione gratiae et donorum praeternaturalium. Posuit insuper principium secundum quod decens erat ut Deus B. Virginem tali puritate donaret qua maior sub caelo intelligi nequeat. In hoc principio privilegium marianum includitur.

non congruebat non cohaerebat » (n. 13). Distinguit inter conceptionem activam et passivam et dicit quod si influxus peccati originalis, in Mariae conceptione, adfuit, « propagantium (i. e. parentum eius) et non propagatae prolis fuit » (n. 9). Puritas Matris Dei excludit peccatum originale proprie dictum inde a *conceptio- nis* eius exordio: « remota omni labe conditionis humanae » (n. 13); « omni quod te aliquatenus decoloraret peccati vulnere aliena prodisti » (n. 20). Haec exclusio videtur facta in *ipso primo instanti* creationis et infusionis animae. Scribit enim: « Igitur, si primordia *creationis* illius... » (n. 12); verba: *primordia creationis*, ad animae creationem, in ipso instanti infusionis, alludere videntur.

Privilegium hoc Dei omnipotentiae debetur. Clare docet modum collationis huius privilegii, i. e. per *modum praeservationis*. Si autem Deus *praeservare* potuit Angelos bonos a peccato personali, quare *praeservare* non potuit a peccato alterius mulierem illam quae Mater eius esse debebat? Potuit voluit, fecit (n. 10, 11, 13).

Nec minus clara est affirmatio huius privilegii apud Osbertum de Clare († circa a. 1160) in Epistola ad Anselmum Ab., in Epistola ad Warin et in *Sermone de conceptione sanctae Mariae*. In Ep. ad Warin, solvens obiectionem ex lege peccati desumptam, quae cuilibet sexuali generationi inhaeret, scribit: « non de actu peccati celebritatem faciunt, sed de primitiis redemptionis nostrae multiplicia sanctae novitatis gaudia solemniter ostendunt ».

In Ep. ad Anselmum Ab., clare affirmat sanctificationem Mariae « in ipsa creatione ipso creationis et conceptionis exordio » (cfr H. THURSTON et TH. SLATER *Eadmeri monachi Cantuariensis tractatus de conceptione S. Mariae*, Friburg en Brisgau, 1904, app. A.).

Ante tamen Eadmerum et Osbertum, marianum privilegium explicite in Hispania docuerat PETRUS DE MICHA, *Compostellanus* appellatus,¹ in opere *De Consolatione Rationis*, anno 1140 composito (editum a. 1912, Münster). Scribit enim *convenientem* fuisse Immaculatam Deiparae Conceptionem eo quod ipsa omnes illas gratias quae recipi possunt, a Deo accepit; et ideo a peccato originali debuit esse immunis. Asserit insuper Deiparam sanctificari non potuisse *antequam* anima infunderetur corpori, eo quod tunc natura rationalis non aderat, quae est unicum subiectum gratiae capax; absque dubio tamen fuit ditata plenitudine gratiae *in ipso instanti infusionis animae*.²

Vehemens oppositio contra festum Conceptionis orta est etiam in Gallia ex parte Ioannis Belethi, Theologi Parisiensis et praesertim ex parte S. Bernardi qui, in Epistola quadam ad Canonicos Lugdunenses, acriter illos reprehendit quod festum Conceptionis Mariae in propriam Ecclesiam introduxerant.

¹ Cfr PEREZ F. C., *De crítica historico-teológico Mariana*. El primer Escolastico que propugnó el Privilegio inmaculista de María, fue un Español, in *Ilustración del Clero*, 32 (1939) 17-20, 56-63, 90-95.

² Cfr art. noster in *Marianum*, 4 (1942) 130 s.

« Inter Ecclesias Galliae — aiebat — constat profecto Lugdunensem hactenus praeeminuisse, sicut dignitate Sedis, sic honestis studiis et laudabilibus disciplinis... Unde miramur satis quod visum fuerit hoc tempore quibusdam vestrum voluisse mutare colorem optimum, novam inducendo celebritatem, quam ritus Ecclesiae nescit, non probat ratio, non commendat antiqua traditio... At valde honoranda est, inquis, Mater Domini. Bene admones; sed honor reginae iudicium diligit. Virgo regia falso non eget honore, veris cumolata honorum titulis, infulis dignitatum. Honora sane integritatem carnis, vitae sanctitatem; mirare fecunditatem in virgine; prolem venerare divinam. Extolle nescientem vel in concipiendo concupiscentiam vel in pariendo dolorem. Praedica reverendam angelis, desideratam gentibus, patriarchis prophetisque praecognitam, electam ex omnibus, praelatam omnibus. Magnifica gratiae inventricem, mediatricem salutis, restauratricem saeculorum; exalta denique exaltatam super choros angelorum ad coelestia regna; haec mihi de illa cantat Ecclesia, et me eadem docuit decantare. Ego vero quod ab illa accepi, securus, et teneo et trado; quod non scrupulosius, fateor, admiserim. Accepi sane ab Ecclesia illum diem cum summa veneratione recolendum, quo, assumpta de saeculo nequam, coelis quoque intulit celeberrimorum festa gaudiorum. Sed et ortum Virginis didici nihilominus in Ecclesia et ab Ecclesia indubitanter habere festivum atque sanctum, firmissime cum Ecclesia sentiens, in utero eam accepisse ut sancta prodiret. Et de Ieremia siquidem lego quod priusquam de ventre exiret, sanctificatus sit, et de Ioanne Baptista non secus sentio qui ex utero Dominum in utero sensit... Quod itaque vel paucis mortalium constat fuisse collatum, fas certe non est suspicari tantae Virgini esse negatum, per quam omnis mortalitas emersit ad vitam. Fuit procul dubio et mater Domini ante sancta quam nata; nec fallitur omnino sancta Ecclesia, sanctum reputans ipsum nativitatis eius diem, et omni anno cum exultatione universae terrae votiva celebritate suscipiens. Ego puto quod et copiosior sanctificationis benedictio in eam descenderit, quae ipsius non solum sanctificaret ortum, sed et vitam ab omni deinceps peccato custodiret immunem. Quod nemini alteri in natis quidem mulierum creditur esse donatum. Decuit nimirum reginam virginum singularis privilegio sanctitatis absque omni peccato ducere vitam; quae dum peccati mortisque pareret peremptorem, munus vitae et iustitiae omnibus obtineret. Sanctus igitur ortus, quoniam immensa prodiens ex utero sanctitas, sanctum fecit illum. Quid adhuc addendum his putamus honoribus? Ut honoretur, inquirunt, et conceptus qui honorandum praeivit partum; quoniam si ille non praecessisset, nec iste esset, qui honoratur... Nam, quid consequentiae habet, ut quoniam praecessit natalem conceptus praeterea reputetur et ipse sanctus? Numquid, quoniam praecessit eum, fecit et sanctum? Et si praecessit ut esset, non tamen ut sanctus esset. Unde etenim illa ipsi sanctitas quam secuturo transmitteret? An non potius quia praecessit sine sanctitate conceptus, oportuit nimirum sanctificari conceptum, ut sanctus sequeretur iam partus? An forte mutuatus est sanctitatem a posteriori prior? Potuit sane illa quae in iam concepta facta est sanctificatio, ad ipsum qui sequebatur transire natalem; redire vero retrorsum, ad conceptum qui praecesserat iam omnino non potuit. Unde ergo conceptionis sanctitas? An dicitur sanctificatione praeventa, quatenus iam sancta conciperetur, ac per hoc sanctus fuerit et conceptus, quemadmodum sanctificata iam in utero dicitur, ut sanctus consequeretur et ortus? Sed non valuit ante sancta esse quam esse, siquidem non erat antequam conciperetur. An forte inter amplexus maritales sanctitas se ipsi conceptioni immiscuit, ut simul et sancti-

ficata fuerit et concepta? Nec hoc quidem admittit ratio. Quomodo namque aut sanctitas sine gratia sanctificante, aut Sancto Spiritui societas cum peccato fuit? Aut certe peccatum quomodo non fuit, ubi libido non defuit? Nisi forte quis dicat de Spiritu Sancto eam et non de viro conceptam fuisse. Sed id hactenus inauditum. Lego denique Spiritum Sanctum in eam, non cum ea venisse, dicente Angelo: Spiritus Sanctus superveniet in te. Et si licet loqui quod Ecclesia sentit, et verum ipsa sentit, dico gloriosam de Spiritu Sancto concepsisse, non autem et conceptam fuisse; dico peperisse virginem, non et tamen partam a virgine. Alioquin, ubi erat praerogativa Matris Domini, qua singulariter creditur exultare et munere prolis et integritate carnis, si tantumdem dederis et matri ipsius? Non est hoc Virginem honorare, sed honori detrahere. Si igitur ante conceptum sui sanctificari minime potuit, quoniam non erat, sed nec in ipso quidem conceptu propter peccatum quod inerat: restat ut conceptum in utero iam existens sanctificationem accepisse credatur, quae excluso peccato sanctam faceret nativitatem, non tamen et conceptionem. Quamobrem etsi quibus vel paucis filiorum hominum datum est cum sanctitate nasci, non tamen et concipi: ut uni sane servaretur sancti praerogativa conceptus, qui omnes sanctificaret, solusque absque peccato veniens purgationem faceret peccatorum. Solus itaque Dominus Iesus de Spiritu Sancto conceptus, quia solus et ante et post conceptum sanctus. Quo excepto, de cetero universos respicit ex Adam natos, quod unus humiliter de semetipso ac veraciter confitetur: *In iniquitatibus inquam, conceptus sum et in peccatis concepit me mater mea*. Cum haec ita se habeant, quae iam erit festivae ratio conceptionis? Quo pacto, inquam, aut sanctus asseretur conceptus, qui de Spiritu Sancto non est, ne dicam, de peccato est, aut festus habebitur qui minime sanctus est? Libenter gloriosa hoc honore carebit, quo vel peccatum honorari vel falsa videtur induci sanctitas. Alioquin nulla ei ratione placebit contra Ecclesiae ritum praesumpta novitas, mater temeritatis, soror superstitionis, filia levitatis. Nam si sic videbatur, consulenda erat prius Apostolicae Sedis auctoritas, et non ita praecipitanter atque inconsulte paucorum sequenda simplicitas imperitorum. Et ante quidem apud aliquos errorem compereram, sed dissimulabam, parcens devotioni, quae de simplici corde et amore Virginis veniebat. Verum apud sapientes atque in famosa nobilique ecclesia et cuius specialiter filius sum, superstitione deprehensa, nescio an sine gravi offensa etiam vestri omnium dissimulare potuerim. Quae autem dixi, absque praeiudicio sane dicta sint sanius sapientis. Romanae praesertim Ecclesiae auctoritati atque examini totum hoc, sicut et cetera, quae eiusmodi sunt, universa reservo, ipsius, si quid aliter sapio, paratus iudicio emendare » (Ep. 172 ad Canon. Lugdun., PL 182, 332).

Quidam, authentiam huius Epistolae negarunt, illam tribuendo secretario eius Nicolao Claravallensi. At immerito, eo quia omnia manuscripta, prout Maillonius scripsit (Praef. in op. S. Bernardi, nn. 15-16) authentiam eiusdem declarant. At supposita authentia Epistolae, non una est, circa mentem S. Bernardi, Theologorum sententia. Alii, ut Perrone, Mazzella, Lépicier, Paquet, tenent S. Bernardum ibi negare sanctam fuisse *conceptionem activam* et etiam *passivam inchoatam*, non vero *conceptionem passivam consummatam*, prout ex ipsis rationibus quas S. Doctor adducit apparet. Eo vel magis quod tunc temporis, quando auctores de conceptione loquebantur, solummodo conceptionem activam intel-

ligeabant. Sic, e. g. Halensis (*Summa*, III, q. 9, nn. 2, a. 2) conceptionem definiebat: « Conceptio dicitur commixtio quae est in principiis seminalibus viri et mulieris ». ¹ Alii, e contra, inter quos Vasquez, Mabillon, Benedictus XIV, Malou, Janssens, Campana, tenent S. Bernardum nedum de conceptione activa et passiva inchoata, sed etiam de passiva consummata locutum fuisse, ob sequentes rationes: ² a) S. Bernardus nullum discrimen agnoscit inter B. Virginem et sanctos Ieremiam et Ioannem Baptistam, quam quod ea uberiori gratia perfusa est, hi autem non ita large eadem gratia donati fuerunt; b) iuxta S. Bernardum sanctificatio B. Virginis subsecuta est eius conceptionem, quia nondum erat, nec in *ipsa conceptione* propter peccatum quod inerat, « restat inquit, ut post conceptum, in utero iam existens sanctificationem accepisse credatur, quae excluso peccato sanctam fecerit nativitatem, non tamen et conceptionem »; c) iuxta S. Doctorem etsi quibus vel paucis filiorum hominum datum sit cum sanctitate nasci, non tamen et concipi, quandoquidem esse sanctificatum in conceptione est honor servandus soli Christo qui de Spiritu Sancto conceptus est; « quo excepto, de cetero universos respicit ex Adam natos, quod unus humiliter de semetipso ac veraciter confitetur: *In iniquitatibus*, inquit, *conceptus sum; et in peccatis concepit me mater mea* ». Videtur ergo S. Bernardus privilegium marianum *implicitè* negasse.

Fructus controversiae saec. XII fuit progressus sive doctrinalis sive liturgicus veritatis immaculatae Conceptionis. Contra S. Bernardum explicite professi sunt piam sententiam: a) Auctores trium sermonum quorum primus tributus fuit PETRO ABAELARDO (apud PETRUM DE ALVA Y ASTORGA, *Monumenta antiqua immaculatae conceptionis* Lovanii 1684, t. I, pp. 118-138), secundus PETRO COMESTORI (ibid. pp. 2-12) et tertius PETRO CANTORI (ibid., pp. 107-117); b) NICOLAUS A SANCTO ALBANO qui dicit: « Bis animam Virginis gladio fuisse transfixam, semel in passione Filii sui; et iterum in contradictione conceptionis suae » (Inter Epist. Petri Cellensis, l. 2, ep. 171); c) HERVEUS DE MANS. S. O. C. († 1150) B. Virginem eximit a lege communi (Ep. 2 ad Cor. c. V, PL 181, 698, 1048). Idem asserunt: d) B. OGLERIUS ABBAS Cisterc. (Serm. 13, *de Verbis Domini in coena* PL 184 194); e) EGBERTUS Abb. O. S. B. († 1184) in sermone panegyrico ad B. Virginem n. 9, 11, PL 184, 1019, 1020); f) GAUTHIERUS († 1180) Magistram Sententiarum redarguebat eo quia verbis S. Augustini, circa sanctitatem Deiparae ad tempus Incarnationem Verbi subsequens circumscripserat (PL 199, 1155); ulterius dicit: « nec arbitror quod aliquando fuerit filia irae » (*Sermo in Nativ. B. M. V.* Paris. Bibl. Nat. ms. lat. 3578, fol. 87); g) ALANUS Lillensis († 1203) scribe-

¹ IOSEPHUS PALERMO in suo voto *pro sententia Immaculatae Conceptionis definienda*, iussu Pii IX exarato (cfr vol. 2 Actorum et Documentorum, pp. 315 et seq.), p. 315 scribit: « Eodem modo quo S. Bernardus, explicandi sunt veteres scriptores ecclesiastici, praesertim superius laudati Alexander de Hales, et Albertus Magnus, nec non Petrus Lombardus, Ochamus, Aegidius Columna, Durandus, Pelagius Alvarus, Gregorius ab Ariminio ».

² ALASTRUEY, *Mariologia*, t. 1, p. 268.

bat: « Nullum credimus in Virgine ante et post conceptionem fuisse peccatum » (Elucidatio in Cantica, c. 4, 6, PL 210, 80, 94); *h*) ADAM a S. Victore († 1177) pulchre canebat: « Salve Verbi sacra parens — flos de spinis spina carens — flos spineti gloria. — Nos spinetum, nos peccati — spina sumus cruentati — sed tu spinæ nescia » (*Sequentiæ. In Assumpt. B. M. V.*, PL 196, 1052. Cfr DREVES, *Analecta hymnica*, t. 54, p. 384).

Sæculo XII igitur, notabilis evolutio doctrinæ immaculatæ Conceptionis habetur. Attamen maior scriptorum pars adhuc pro Virginis sanctificatione *in utero*, quamvis aliquando dubitanter, decertabat. *a*) Quidam sanctificationem docebant *post* conceptionem proprie dictam, quæ in peccato fuerat. Ita Nicolaus Claravallensis, Mauritius Ep. Parisiensis († 1196), Ioannes Lotharius (Innocentius III, 1198-1216). *b*) Alii simpliciter affirmabant B. Virginem in sinu materno sanctificatam fuisse, nihil dicendo quod relationem aliquam prioritatis aut posterioritatis inter conceptionem proprie dictam et sanctificationem exprimeret aut supponeret. Ita S. Amideus Ep. Lausannensis († 1158), Godefridus Abbas († 1165), Petrus de Blois († 1200). Sunt ergo, in seipsis, testimonia quæ piæ sententiæ neque favebant neque adversabantur. *c*) Alii tandem dubitative loquuntur. Ita Aichard a S. Victore (1156), Petrus Pictaviensis († 1205).

Simul cum evolutione doctrinali, magna fuit sæc. XII *evolutio liturgica*. Festum enim Conceptionis, quamvis in Ecclesia Parisiensi abolitum fuerit, in pluribus partibus Galliæ et Germaniæ nec non in quibusdam partibus Belgii propagatum est.

Attamen status quaestionis nondum est clare determinatus, quia non una erat acceptio terminorum *conceptio* et *peccatum*. Et ideo quaestio fuit imperfecte soluta. Praesertim vero non fuit soluta quaestio hæc: quomodo conciliari possit B. Virginis *redemptio* cum eiusdem *immunitate* a peccato originali. Hæc magni momenti quaestio occasionem præbebit disputandi Theologis sæc. XIII.

2) SAEC. XIII. *Oppositio magnorum Scholasticorum*. Doctores Scholastici sæc. XIII, quaestionem de sanctificatione B. M. V. pertractant sive in Commentariis in librum III Sent. Petri Lombardi sive in Tertiam partem propriæ Summæ Theologicæ et aliquando etiam in *Quodlibetalibus*.

PETRUS LOMBARDUS putavit peccatum originale aliud non esse nisi concupiscentiam vel concupiscibilitatem quæ non est actus sed vitium quoddam. Carnis autem concupiscentia transmittitur in filios cum carne. quæ concepta in vitiosa concupiscentia polluitur et corrumpitur. Quia vero in filios caro traducitur cum ea corruptione et vitio, ideo anima cum infunditur, ex contactu cum carne inficitur malitia et corruptione peccati sicut vitium vasis causa est ut vinum ex se dulce in eo infusum acescat. Hoc vitium et corruptio carnis non est dicenda culpa prout solum in carne consideratur; sed radix et causa originalis culpæ quæ soli animæ tanquam subiecto inest; nam caro seorsim ab anima irra-

tionalis est: nulla autem irrationalis substantia subiectum culpae esse potest. Porro carni secundum physicos non statim in ipsa conceptione anima rationalis infunditur; sed fetus prius informatur anima vegetativa deinde sensitiva et tandem post quadraginta vel octoginta dies a generatione anima rationalis a Deo creatur et corpori infunditur (Sent. L. 3 d. 30-31).

Plures Doctores. Magistrum in suis commentariis secuti logice quaerunt utrum caro Mariae maculata fuerit ex concupiscentia parentum vel sanctificata fuerit ante unionem cum anima rationali quia ex hac praevia carnis sanctificatione pendere videbatur solutio quaestionis de Immaculata B. M. V. conceptione. Quaestio, ut patet, non in propriis suis terminis ponebatur.

ALEXANDER HALENSIS O. Min. († 1245) de sola sanctificatione carnis quaerit in quatuor articulis.

PRIMO quaerit « utrum B. Virgo ante suam conceptionem (in parentibus) sanctificata fuerit, et respondet negative, quia quamvis parentes eius personaliter possent esse sancti, generatio tamen fit vi naturae quae est corrupta; « ideo necesse est, ut quod generatur, in generatione contrahat peccatum et propter hoc B. Virgo non potuit in parentibus sanctificari, immo necesse fuit, quod in generatione sua contraheret peccatum a parentibus ». SECUNDO quaerit, utrum et in ipsa conceptione sanctificari potuit, et respondet negative, quia conceptio non respicit voluntatem generantium, quae potest esse bona, sed naturam quae est corrupta. « Licet ergo coitus ex una parte posset esse meritorius, nunquam tamen conceptio poterit esse meritoria, et ita nec sanctificatio in conceptione ». TERTIO quaerit, an et post conceptionem ante animae infusionem, et respondet negative, « quia corpus solum per unionem cum anima accipit ordinationem ad gloriam; gratia autem ordinatur ad gloriam; ergo ante infusionem animae corpus non potest sanctificari ». QUARTO tandem quaerit, utrum et post infusionem animae in utero matris, et hoc concedit docens Mariam sanctificatam esse in utero matris ad instar Ioannis Baptistae et Ieremiae. « Concedendum est quod gloriosa Virgo ante suam natiuitatem post infusionem animae in suo corpore, fuit sanctificata in utero matris suae... Nam legitur de Ioanne et Ieremia quod sanctificati fuerint in utero; sed quod aliis est concessum, non est tantae Virgini negatum » (in *III Sent.*, q. 9, membr. 2).

S. BONAVENTURA († 1274) propius ad quaestionem accedit seorsim de anima et carne B. M. V. disquirendo.

PRIMO quaerit, an caro B. Virginis sanctificata fuerit ante animationem, et respondet: « Dicendum quod caro B. Virginis ante animationem non fuit sanctificata, non quia Deus non potuerit carnem Virginis purificare, antequam animaret, sed quia sanctificatio habet esse per aliquod donum gratuitum superadditum, quod quidem non habet esse in carne, sed in anima, ideo si caro B. Virginis debuerit sanctificari, aut hoc intelligitur mediante gratia existente in eius anima, vel mediante gratia existente in animabus parentum. Constat, quod non mediante gratia existente in eius anima, quia tunc esset oppositio in adiecto, scilicet quod caro sanctificatur ante animae creationem, et tamen san-

ctificetur per virtutem gratiae illius animae; sequitur enim quod idem sit prius et posterius in uno et eodem.

Si autem intelligatur hoc fieri per gratiam quae collata fuit animabus parentum, hoc non potest esse triplici ratione. *Prima* quia ratio sanctificationis non habet transfundi a parente in prolem, pro eo quod proles non est in parente secundum animam; ideo nec in parente habet sanctificationis gratiam... *Secunda* ratio est, quia etsi hoc esset possibile, quod sanctificatio derivaretur a parente in prolem, sicut originalis iustitia, nunquam tamen derivatur mediante coitu libidinoso, quia tunc duo opposita essent simul et semel in eodem... *Tertia* ratio est, quia esto quod sanctificatio adesset et libido defuerit virtute divina, non tamen decuit ut deesset propter hoc quod haec est solius B. Virginis praerogativa, sola namque ipsa, ut Sancti dicunt, sine peccato concepit et sine dolore peperit, et ideo hoc parentibus concedi non potuit B. Virginis, sed soli Virgini reservari... Et ideo simpliciter concedendum quod caro eius ante animationem non fuit sanctificata ».

SECUNDO quaerit, an anima B. Virginis sanctificata fuerit ante peccati originalis contractionem, et respondit: « Ad praedictorum intelligentiam est notandum quod *quidam dicere volunt* in anima gloriosae Virginis gratiam sanctificationis praevnisse maculam peccati originalis. Rationem autem huius assignant, quia decebat animam gloriosae Virginis sanctificari excellentissime super animas aliorum sanctorum, non solum quantum ad abundantiam sanctitatis, sed etiam quantum ad accelerationem temporis; ideo *in instanti suae creationis fuit sibi gratia infusa, et in eodem instanti anima infusa est carni*. Et quia omnium mobilium mobilior est Sapientia, et nescit tarda molimina Spiritus Sancti gratia, et multo potentior est gratia, quam natura; hinc est quod effectus gratiae sanctitatis magis praevaluit in carnem, quam effectus foeditatis in animam; et ideo culpam non contraxit. Haec autem positio videtur posse fulciri multiplici congruentia, tum *propter Christi praecipuum honorem*, quem decebat de matre purissima fieri, tum *propter Virginis praerogativam singularem*, quae debuit in dignitate sanctificationis ceteros sanctos et sanctas praecire, tum etiam *propter ordinis decorem*; sicut fuit persona immunis ab originali et in carne et in anima, sive in causa et in effectu; et persona utroque modo habens originale, sic esset persona media, quae quodammodo haberet et quodammodo non haberet, et ista est B. Virgo quae mediatrix est inter nos et Christum, sicut Christus inter nos et Deum. Et hoc dicunt sonare verbum Anselmi cum dicit, quod B. Virgo purissima fuit ea puritate, qua maior sub Deo nequit intelligi... Fidei enim christianae, ut dicit positio praedicta non repugnat, pro eo quod dicunt ipsam Virginem ab originali peccato *liberatam per gratiam, quae quidem pendebat et ortum habebat a fide et capite Christo*, sicut aliae gratiae Sanctorum. Et iterum, licet illa *gratia praeveneret animae infectionem*, non tamen praevenerit carnis foeditatem. Et ideo ratione illius foeditatis iuste remanserunt in Virgine poenalitates; gratia namque sanctificationis non obviat poenae sed culpae. Et hinc est quod B. Virgo poenalitatibus fuit obnoxia, et per Christum liberata ab originali peccato; sed aliter quam alii. Nam *alii post casum erecti sunt, Virgo Maria quasi in ipso casu sustentata est, ne rueret*; sicut exemplum ponitur de duobus cadentibus in luto...

« Aliorum positio est, quod sanctificatio Virginis subsecuta est originalis peccati contractionem, et hoc quia nullus immunis fuit a culpa originalis peccati, nisi solus

Filius Virginis. Sicut enim dicit Apostolus: Omnes peccaverunt et egent gloria Dei... Hic autem modus dicendi *communior* est et *rationabilior et securior*. Communior, inquam, quia omnes fere illud tenent quod B. Virgo habuerit originale, cum illud appareat ex multiplici ipsius poenaltate, quam non est dicere ipsam esse propter aliorum redemptionem, quam etiam non est dicere per assumptionem habuisse, sed per contractionem.

« Rationabilior etiam est, quia esse naturae praecedit esse gratiae vel tempore *vel natura*; et propterea dicit Augustinus quod prius est nasci quam renasci, sicut prius est esse quam bene esse; prius est ergo animam uniri carni quam gratiam Dei sibi infundi. Si ergo caro illa infecta fuit, ex sua infectione nata erat animam culpa originali inficere: necessarium ergo est ponere quod ante fuerit originalis culpae infectio, quam sanctificatio. Securior etiam est, quia magis consonant fidei pietati et sanctorum auctoritati pro eo quod communiter sancti, cum de materia illa loquuntur, solum Christum excipiunt ab illa generalitate qua dicitur: Omnes peccaverunt in Adam. Nullus autem invenitur dixisse de his quos audivimus auribus nostris Virginem Mariam a peccato originali fuisse immunem. Pietati etiam fidei magis concordat, pro eo quod et si mater habenda sit in reverentia et magna erga eam ipsam habenda sit devotio, multo maior tamen est habenda erga Filium, ex quo est ei omnis honor et gloria. Et ideo quia hoc spectat ad excellentem dignitatem Christi, quod ipse est omnium Redemptor et Salvator; et quod ipse omnibus aperuit ianuam; et quod ipse unus pro omnibus mortuus est, nullatenus ab hac generalitate B. Virgo Maria excludenda est, ne, dum matris excellentia ampliatur, Filii gloria minuatur, et sic in illo mater provocetur, quae magis vult Filium extolli et honorari quam seipsam, utpote creatorem creatura. Huic ergo positioni adhaerentes propter honorem Iesu Christi, qui in nullo praeiudicat honori Matris, dum filius matrem incomparabiliter excellit, teneamus, secundum quod communis opinio tenet, Virginis sanctificationem fuisse post originalis peccati contractionem » (In *III Sent.*, D. 3, p. I, a. 1, q. 2).

TERTIO quaerit, utrum B. Virgo sanctificata fuerit ante nativitatem et respondet: « Dicendum quod pro indubitato habet hoc Ecclesia, videlicet, quod B. Virgo fuerit in utero sanctificata et illud ex hoc patet quod eius nativitatem tota Ecclesia celebrat, quod non faceret, nisi sanctificata esset. Si autem quaeratur qua die vel hora sanctificata fuerit, hoc ignoratur; tamen probabiliter creditur, quod cito post infusionem animae fuerit facta infusio gratiae » (ib., q. 3). S. Bonaventura, ut patet, rationes in favorem Immaculatae Conceptionis ita clare exposuit, ut viam Scoto praeparaverit, prout animadvertit P. Janssens (*De Inc.*, p. II, sect. 1, membr 1, q. 27).

Halensis et S. Bonaventurae vestigia secuti sunt alii Theologi Franciscani qui tunc temporis Parisiis docebant, ut Ioannes Rupellensis et Richardus a Mediavilla.

S. ALBERTUS M. († 1280) in suo *Mariale* (q. 163, pars. III, Op. omnia, edit. Vivès, vol. 37, p. 239) scripsit: « Sed quaeritur illud, quare et unde fuerit quod non fuit sine originali labe concepta? Dicimus quod fuit impossibile, nisi conciperetur de virgine: et sic mater sua fieret virgo mater, et non esset suum privilegium, scilicet, quod esset mater et virgo, cum hoc matri prius fuisset communicatum » (o. c., q. 163, § 3). Admittere videtur ergo S. Albertus necessarium

nexum inter conceptionem non virginalem et peccatum originale. Et in *III Sent.* (dist. 3, a. 4, ed. cit., vol. 28, p. 47) scribebat: « Dicimus quod Beata Virgo non fuit sanctificata ante animationem, et qui dicunt oppositum est haeresis condemnata a beato Bernardo in Epistola ad Lugdunenses et a magistris omnibus Parisiensibus ». « Dicendum quod ante nativitatem ex utero sanctificata fuit; sed quo die, vel qua hora, nescire quemquam hominum: nisi quod *probabilius* est quod *cito post animationem* conferatur quam longe expectetur » (*ibidem*, a. 5).

PETRUS A TARENTASIA O. P. (1225-1276) qui fuit postea Innocentius V, idem plus minusve asserit in *IV Sent.*, l. 3, dist. 3, a. 1, a. 1: « Queritur an sanctificata fuerit caro eius *ante* animae infusionem ». Quatuor sanctificationis modos, sub respectu temporis, distinguit: 1) *ante conceptum et ortum* (quod est impossibile), 2) *post conceptum et ortum* (modus habitualis, sed pro Dei Matre insufficientis); 3) *in ipso conceptu et ortu* (modus proprius Christi Redemptoris), 4) *in ortu non in conceptu* (modus B. Virginis proprius quae in utero matris suae sanctificata fuit). Sed sanctificatio ista ad quatuor distincta temporis momenta referri potest, videlicet: 1) ante animationem, 2) in ipsa animatione 3) cito post animationem, 4) diu post animationem. 1) *Ante animationem* (modus impossibilis, quia tunc nondum habetur subiectum gratiae capax), 2) *in ipsa animatione* (modus inconueniens). Etenim: aut B. Virgo non contraxit peccatum originale, aut contraxit: in primo casu, non indignisset redemptione Christi, quod est contra legem universalem; in secundo casu peccatum et gratia *simul* extitissent: quod est contradictorium. Remanet ergo ut B. Virgo sanctificata dicatur *post animationem* sed *cito post* (licet in Scriptura non habeatur) « vel ipsa die vel hora (quamvis non ipso momento) », quia « non convenit tantae sanctitati, ut diu morata fuerit in peccato ».

S. THOMAS († 1274) de hac quaestione ex professo pertractat in *IV Sent.*, l. 3, a. 1, et in *Summa Theol.*, 3, q. 27, a. 2.

In Commentario in *IV Sent.* quaerit utrum B. Virgo fuerit *ante sanctificata quam conceptus eius finiretur* (i. e. ante animae infusionem). Et respondet *negative*, quia proprium gratiae subiectum est *natura rationalis* quae ex anima et corpore constat. Contra hanc conclusionem, duae hypotheses proponuntur quae in duabus prioribus *quaestiunculis* enuntiantur, videlicet: 1) hypothesis sanctificationis cuiusdam *mediatae* (sive ante conceptionem carnalem, in *parentibus*, sive in *ipso actu conceptionis* Mariae) et *immediatae* seu *directae* sive per *sanctificationem ipsius animae* (in ipso momento unionis cum carne). S. Thomas nedum primam sed etiam secundam hypothesis reicit. Docet quod sanctificatio carnis ante (animae infusionem) « non potuit esse decenter » quia tunc non habetur subiectum gratiae capax. Docet insuper quod admitti non potest sanctificatio directa animae in ipso instanti infusionis ex qua praeservaretur a contractione peccati originalis,

quia hoc est *privilegium proprium Christi*: « hoc autem esse non posset, si alia anima inveniretur quae numquam originali macula fuisset infecta ». Remanet ergo quod anima B. Virginis sanctificata fuerit *post unionem* animae cum corpore et post peccati originalis contractionem. « Esse sine peccato dicitur esse proprium Christo, quia ipse numquam nec actuali nec originali macula infectus est, sed Virgo mater eius fuit *quidem peccato originali infecta*, a quo mundata fuit, antequam ex utero nasceretur, sed a peccato actuali omnino immunis fuit ». Idem dicit in op. *Compendium Theologiae* — c. 222. Attamen, in eodem Commentario, et quidem in textu certe authentico, de B. Virgine dicitur: « Quae a peccato *originali* et actuali immunis fuit » (in *IV Sent.*, l. 1, dist. 44, q. 1, a. 3, ad 3^m). Ratione huius textus (ad alios textus comparati) quidam locuti sunt de retractatione quadam implicita (ita Ioannes de Segovia), alii de fluctuatione in doctrina (ita Malou), alii de interpolatione omnium textuum opinioni de Immaculata contrariorum (ita Petrus de Alva, Card. Sfondrati, Card. Lambruschini etc.). Iamvero, quid dicendum de textu illo?... Certe ut authenticus ab omnibus habetur. Attamen, ad hoc ut probativus esset, probari debuisset Angelicum Doctorem prae oculis habuisse (dum illa verba scribebat) *ipsum primum conceptionis instantem*, non vero aliud temporis momentum, i. e. momentum primae sanctificationis *in utero* aut secundae et perfectae sanctificationis in die annunciationis. Ita P. LE BACHELET, l. c., col. 1054.

In *Summa Theologica* quaestio ponitur eodem modo ac in *Comm. in L. Sent.*, videlicet, utrum B. Virgo sanctificata fuerit *ante animationem*. Et conclusio eadem est, quamvis argumentatio magis simplex appareat: « Respondeo dicendum quod sanctificatio B. Virginis non potest intelligi ante animationem, duplici ratione: primo quidem, quia sanctificatio de qua loquimur non est nisi emundatio a peccato originali... Culpa autem non potest emundari nisi per gratiam, cuius subiectum est sola creatura rationalis. Et ideo ante infusionem animae rationalis B. Virgo sanctificata non fuit. Secundo, quia cum sola creatura rationalis sit susceptiva culpa, ante infusionem animae rationalis, proles concepta non est culpa obnoxia. Et sic *quocumque modo* ante animationem B. Virgo sanctificata fuisset, nunquam incurrisset maculam originalis culpa, et ita non indiguisset redemptione et salute, quae est per Christum, de quo dicitur Matth., 1, 21: *Ipse salvum faciet populum suum a peccatis eorum*. Hoc autem inconveniens est quod Christus non sit Salvator omnium hominum, ut dicitur 1 ad Timoth. IV ». Remanet ergo quod sanctificatio Virginis facta fuerit *post animationem*, seu melius, ut ipsemet dicit, « postquam cuncta eius sunt perfecta scilicet corpus et anima ». Sanctificatio enim, in praesenti ordine, est stricte *personalis* (ad 4^m) et ideo habet pro immediato subiecto *personam* et consequenter illam iam constitutam supponit; sed si sanctificatio est stricte personalis, etiam *redemptio* stricte personalis esse debet; quia persona est subiectum indigens redemptione: « oportet autem ponere quod quilibet PERSONALITER redemptione Christi indigeat, et non solum ratione

naturae » (in *L. Sent.*, l. 4, dist. 43, q. 1, a. 4, sol. 1 ad 3^m). Ob hanc rationem S. Thomas simul reicit, in hoc art. Summae, quamlibet sanctificationem ante personae constitutionem, in quolibet momento, sive subiectum eius sit corpus, sive subiectum eius sit anima. Talis enim sanctificatio cum lege universali redemptionis componi non potest. Et haec est etiam ratio cur S. Thomas ideae primae sanctificationis ideam etiam *purificationis* a peccato originali adiungit: « Sanctificatio de qua loquimur, non est nisi emundatio a peccato originali ». Haec tandem est ratio cur etiam in Summa sicut in Comm. in *L. Sent.* concludat: « B. Virgo contraxit quidem originale peccatum, sed ab eo fuit mundata, antequam ex utero nasceretur » (III, q. 27, a. 2, ad 2). Quandonam, praecise, fuit mundata?... Respondet: « quo tempore sanctificata fuerit, IGNORATUR » (ibid. ad 3^m): « CREDITUR enim quod CITO POST conceptionem et animae infusionem fuerit sanctificata » (*Quodl.*, 6, a. 7).

HENRICUS GANDAVENSIS († 1293) in *Quodl.*, 13 (Venetiis 1613) de obiecto festi Conceptionis agens, doctrinam praecedentium Doctorum non parum immutavit, et ad plenam solutionem sese appropinquavit.

Ipsa distinguit, ante omnia, inter conceptionem humanam seu *naturalem*, qua *Virgo est concepta mundo*, et conceptionem spiritualem aut *supernaturalem*, qua *Virgo est concepta Deo*. In prima, B. Virgo neque sanctificata fuit sive in principio conceptionis, seu in conceptione passiva inchoata (quia tunc erat gratiae et sanctificationis incapax), sive in termino conceptionis seu in conceptione passiva *consummata* (quia tunc « per peccatum originale quod contraxit, facta est filia irae »). Et ratio quam adducit est connexio quae necessario habetur, in praesenti ordine, inter generationem humanam « ex semine immundo » et peccatum originale. B. Virgo, igitur, sanctificata fuit *post* originalis peccati contractionem. Sed *quandonam* locum habuit sanctificatio illa?... Solemnis Doctor, animadvertens peccatum originale et sanctificationis gratiam contraria esse, neque simul in eodem subiecto existere posse, admittit B. Virginem solum in *transitu et per instans* in peccato originali fuisse et per totum tempus sequens in gratia. Illud idem instans, in opinione Henrici, quod fuit culpae respectu conceptionis, est etiam gratiae respectu sanctificationis; idem vero instans est terminus praeteriti et futuri; ut autem erat terminus conceptionis naturalis et formationis corporis, sic respicit culpam tunc contractam; in quantum autem erat principium futuri in quo gratia data est a sanctificante, sic respicit gratiam.

Quod autem B. Virgo solum per instans in peccato originali fuerit, probat H. Gandavensis eadem argumentatione, *Potuit, decuit, ergo fecit*, qua schola scotistica initio saeculi XIV Mariam sine labe originali conceptam esse demonstravit. Ita P. Balić doctrinam Gandavensis contrahit: « praepremis Doctor Solemnis in memoriam revocat aliquod factum inconcussum, scilicet hac de re Scripturam sanctam nihil, doctores autem sacros modicum locutos esse. Cauter ergo procedendum est, eo vel magis quia de re summi momenti agitur. Recta ratione, sine ira et studio, res examini subiici debet, et tunc fiat ipsa veritas auctoritas sine qua necesse est nec valeat auctoritas. Iam vero minime opus est ratione Deum summum amorem erga Virginem habuisse et talem ac tantam matri

suae puritatem et sanctitatem dedisse, qua nulla maior in puris creaturis inveniri potest. Sed maius indicium magni amoris fuit Virginem sanctificare et liberare a peccato quam primum possibile erat, quam diutius expectare; et sicut, iuxta doctrinam S. Anselmi, decens erat ut eam tali puritate qua maior sub coelo intelligi nequit, dotaret, ita pari modo decens erat ut eam tali puritate, quanto citius fieri potuit, praeveniret. Unde Henricus loquens de illis quae versantur in sensu communi christianorum, *pium sentire* extollens, sic concludit: Si ergo sanctificari potuit et mundari a peccato, ut non nisi per instans sive momentum in macula peccati originalis fuerit, recta ratione determinante, ut mihi videtur, hoc pie sentiri potest. *Decuit* ergo quod Virgo solum in transitu et per instans in peccato permaneret; sed utrum hoc fieri potuit? Henricus respondet affirmative et hanc possibilitatem multipliciter probat et praeprimis sequenti modo: Quod possibile est fieri virtute naturae, est possibilis adhuc virtute divina fieri. Sed virtute naturae fieri potest quod aliquid in una actuali dispositione maneat per unum solum instans. Antecedens probatur, quia si fabae motae sursum, in ultimo instanti sui motus occurreret lapis molaris descendens deorsum, tunc faba in termino sui motus manebit solum per instans, quia si maneret per tempus, necessario lapis quiesceret, quod est improbable. Et illud instans in quo faba remansit, est signum commune utriusque temporis: praeteriti et sequentis. Et si spatium illud sibi aequale et totum residuum spatii sursum, obscurum esset et tenebrosum, et totum residuum spatii deorsum, clarum esset et illuminatum, superficies fabae superior in illo instanti in quo esset in spatio sibi aequali, esset obscura, et in toto tempore sui ascensus esset clara et illuminata, et similiter toto tempore sui descensus. Sicut ergo in ordine naturae contraria possunt esse simul sc. in exemplo allato accessus ad aliquid et recessus ab eodem, sic etiam virtute divina anima B. Virginis potuit esse solum per instans in una dispositione, sc. in macula culpae originalis. In illo enim instanti peccatum originale simul habuit esse primo et ultimo, sed secundum aliud et aliud signum illius instantis, quia ut erat terminus temporis praeteriti, in illo habebat esse primo, ut vero illud instans erat initium temporis sequentis in illo habebat esse ultimo per sequentem impulsione gratiae a superiore in tempore sequenti repellentem illam.

Ad huius probationis confirmationem affert Gandavensis testimonium S. Augustini; deinde tres difficultates exponit et solvit. Deus *Potuit*, facere, *decuit*, ut faceret. Ad quaestionem autem utrum hoc factum sit, respondet, sicut postea Duns Scotus, verbis illis: *Nescio, Deus scit*. « Videtur mihi quod originale in Virgine per solum momentum instantis fuisse potuit, rerum natura non repugnante. Sed *an ita factum sit, Deus novit, nec scio, nec assero*; sed rationabile videtur mihi et possibile secundum praedicta ita factum fuisse » (op. cit., Prolegom.).

AEGIDIUS COLUMNA O. E. S. A. († 1316) in *Comm. in libr. Sent.*, quaerit: « Utrum caro Virginis fuerit sanctificata antequam animata? ».

Postquam consideravit B. Virginem per respectum ad Adam, ad parentes suos et ad Christum mediatorem, concludit ipsam fuisse in *ira conceptam, in peccato originali* (in sinu matris suae) *natam*, a quo per Christum purificata est et cum Deo reconciliata. (In *IV Sent.*, l. 3, dist. 1, 3, q. 1, a. 1). Ratio est quod secus B. Virgo membrum Christi non fuisset: « nam, in tantum fimus membra Christi, in quantum per suam gratiam li-

berat nos a peccato originali vel actuali » (ibid., l. 2, a. 2, dub. 6; cfr dist. 31, q. 1, a. 2). Contrarium tenere idem est ac B. Virgini tribuere conceptionem a carnali voluptate aut unione sexuali independentem. Admitti igitur debet quod B. Virgo in peccato originali concepta sit, et quod « per aliquod tempus » in ipso remanserit (*Quodlibeta sex*, Lovanii, 1646, q. 20). Quandonam B. Virgo sanctificata fuit? Doctor *fundatissimus* tenet « valde credibile » esse, tempus inter culpae originalis contractionem et purificationem « valde breve et quasi imperceptibile » fuisse. Et in 1 Sent.: « Pie creditur valde quod modica fuerit morula, idcirco dici potest quod semper fuerit sancta ».

ODO Cardinalis Cisterc. († 1273), iuxta textum Petri de Alva (*Radii solis*, col. 1258) in Sermone XV tenuit: « Tunc adiuvit eam diluculo, sed postmodum, non fortasse ordine temporis, sed ordine naturae, quo primarius sequitur unitatem et plura sequuntur numerum ».

Ut patet, via plenissimae luci iam parata est. Nil remanet nisi ideae sanctificationis *purificatricis* ideam sanctificationis *praeservatricis* aperte et definitive substituere, ad hoc ut dogma Immaculatae Conceptionis habeamus.

RESUMENTES igitur doctrinam magnorum scholasticorum saec. XIII, dicimus:

Quaestio generatim sub hac forma proponitur: « *Quandonam* locum habuit prima sanctificatio Matris Dei, ante vel post animationem quae habetur per animae infusionem in corpore sufficienter evoluto? ». Attamen, duo illa praecipua momenta saepe in plura alia decomponuntur. Omnes, nullo excepto, tenent B. Virginem sanctificatam fuisse *in utero* materno, ante eius nativitatem. Fere omnes pariter negant B. Virginem sanctificatam fuisse *ante animationem* et tenent sanctificatam fuisse *post* animationem.

Non potuit sanctificari *ante animationem*, quia non potuit esse sancta antequam existeret, et ipsa non existit nisi post unionem animae cum corpore. Neque potuit sanctificari *in ipso instanti*, quatenus tunc per gratiam animae infusam, mundata fuisset eo quia « esse naturae praecedit esse gratiae vel tempore *vel natura*; et propterea dicit Augustinus quod prius est nasci quam renasci, sicut prius est esse quam bene esse; prius est ergo animam uniri carni quam gratiam Dei sibi infundi » (S. BONAVENTURA, *In III Sent.*, d. 3, p. 1, a. 1, q. 2).

Relinquitur ergo ut POST ANIMATIONEM B. VIRGO sanctificata fuerit. Sed quaeri posset: de quam posterioritate ibi agitur?... de posterioritate logica seu *naturae*, vel de posterioritate chronologica seu *temporis*?... Sunt qui tenent ibi agi de posterioritate logica seu naturae tantum, prout ex verbis S. Bonaventurae, nuper citatis, apparet. Incurrere peccatum originale, igitur, pro ipsis, idem fuisset ac incurrere *debitum* et quidem *personale* peccati originalis, quia B. Virgo — sicut et quilibet nostrum — *personaliter* redemptione Christi indigebat: quod *debitum* personale intelligi non potest nisi *post* constitutionem personae, quae fit *post* (posterioritate logica seu naturae) unionem animae cum corpore. Hisce positus, plurium saltem (si non omnium) magnorum Scholasticorum oppositio Immaculatae conceptioni *apparens* potius quam *realis* esset. Ipsi ergo non negassent

Immaculatam conceptionem qualem a Pio IX postea definita fuit, sed qualem auctores illius temporis defendebant. Plura enim auctores isti proferebant quae (prout animadvertet iam saec. XVI Iustinianus Antist, O. P., *Traité de l'Immaculée conception de la très sainte vierge Marie mère de Dieu*, par. II, trad. ex lingua hisp., Paris, 1706, pp. 27 sq.) redemptioni Christi relate ad Matrem suam obstabant. Insigne Virginis privilegium explicare praetendebant per sanctificationem, sive carnis sive animae, unione horum duorum elementorum essentialium compositi humani anteriorem, et consequenter per sanctificationem constitutione ipsa personae anteriorem. Iamvero, magni illi scholastici sanctificationem huiusmodi cum redemptione (prout individuus, in praesenti ordine, applicatur) insociabilem putabant. Quia enim redemptio est stricte *personalis*, ideo in persona ipsa necessitatem seu *debitum* maxime *proximum* redemptionis (per fundamentum ipsi personae inhaerens) supponit. Et in hoc sensu theologi illi dixerunt quod in ipso eodem momento in quo B. Virgo *persona humana* esse coepit (i. e. in ipso instanti unionis animae cum corpore) peccatum originale *iure*, sed formaliter, contraxit; et quod sanctificari non potuit nisi *postquam* tali modo illud contraxisset. Sed posterioritas illa est posterioritas naturae non temporis; et ideo non realiter peccatum ipsum sed *debitum* personale peccati B. Virgo contraxit. In eorum scriptis enim clare invenitur duplex illa distinctio, superius exposita, inter *ius* scilicet et *factum*, inter *debitum* peccati et *peccatum* ipsum, inter posterioritatem *chronologicam* et posterioritatem *logicam* seu naturae. Doctrina igitur magnorum scholasticorum, sub hac luce considerata, potius quam definitioni Pii IX opposita, viam eidem definitioni praeparavit, viam scilicet *praeservationis vere redemptivae* ostendendo, in merito Christi Redemptoris fundatae, et futurae Deiparae, inde a primo instanti existentiae suae personalis applicatae. Ita doctrinam Angelici Doctoris interpretati sunt CAPPONI DE PORRETTA O. P. (*Summa Theol.*, 3, q. 27, a. 2), IOANNES A S. THOMA O. P. (*Cursus Theol.*, t. 1, diss. praelim., disp. 2, a. 2), MARIANUS SPADA O. P. (*Esame critico sulla dottrina dell'Angelico Dottore S. Tommaso d'Aquino circa il peccato originale, relativamente alla Beatissima Vergine Maria*, Napoli, 1839) et praesertim, nostris diebus, P. NORBERTUS DEL PRADO O. P. in op. *Divus Thomas et Bulla dogmatica « Ineffabilis Deus »*, Fribourg (Helvetia) 1919. Plures alii auctores istos secuti sunt. At modus iste interpretandi magnos illos scholasticos, praesertim S. Thomam, parum vel nullimode probabilis nobis videtur. Verum enim est, Theologos illos affirmasse (contra alios Theologos illius temporis) sanctificationem B. Virginis fieri non potuisse *ante* animationem; sed verum etiam est, ipsos ulterius progressos fuisse et dixisse B. Virginem sanctificatam fuisse post animationem, et per *sanctificationem* non iam *praeservationem*, sed *purificationem* intellexisse. « Oportet Sanctificatio emundationem ab immunditia spirituali ponat, prout nunc de sanctificatione loquimur ». Ita S. Thomas in *IV Sent.*, sol. 1. Et ideo ille modus dicendi: « contraxit peccatum » dictus non iam de carne sed de anima et de persona B. Vir-

ginis, istis dicendi modis respondere videtur: « originali macula infecta », « peccato originali infecta », « contagio originalis peccati infecta aut inquinata ». Respectu vero redemptionis, numquam discrimen aliquod *substantiale* ponere videntur inter Deiparam et alios sanctos, sed tantummodo accidentale, videlicet: maior gratia ab ipsa recepta, fomitis extinctio aut ligatio, et consequenter immunitas a peccato actuali, et nihil aliud. Distinctiones ulterius positae, a magnis illis doctoribus utique cognitae fuerunt, sed demonstrari debet ab ipsis de facto adhibitae fuisse: quod difficile est, si ad modum loquendi ipsorum attendatur.

Attamen, negare non possumus magnos illos Doctores, multas difficultates solvisse et viam plenae solutioni parasse.

Inter defensores Immaculatae conceptionis qui Scotum praecesserunt, recenseri merentur S. Petrus Pascasius, Gulielmus Ware et Raymundus Lullus.

S. PETRUS PASCASIUS Ord. S. Mariae de Mercede (1225 c., † 1300) plura habet relate ad privilegium Deiparae.¹

Sic in ore Christi haec verba ponit: « Tu enim es illa puella a Deo electa, *in qua nullum peccatum veniale, mortale, originale, actuale, aut aliud cuiuscumque generis in te unquam extitit*; et haec est ratio quare pater Adam purus et absque peccato creatus est. — Nonnulli dicunt, te, Mater teneri ad peccatum originale, sed magnum errorem et iniquitatem dicunt; etenim supra iam dictum est, Patrem meum, priusquam Adam crearetur, te puram et mundam elegisse, ut ex te Filius eius carnem sumeret. Si igitur tu peccati debitum² habuisses, dicere poterat Mater nostra Eva quod ipsa purior creata fuisset sine ulla peccati macula: taceant ergo infideles illi qui huiusmodi macula te nuncusant ».³

Et alibi, in *Disputatione cum Hebraeis* (composita circa a. 1299) tit. 18, haec habet: « Deus autem sicut omnipotens ignis naturam compescuit ne tunc calefacere posset, neque ideo tres pueros urere, imo e fornace sani egressi sunt, ita ut nullam maculam in toto corpore acceperint ex igne, quin etiam pulchriores quam antea fuerant inde exierunt. Quanto igitur magis Virgo Maria a Deo electa ut Filium eius conciperet, et pareret, a Deo praeservata et liberata fuit ab omni macula: propterea dicit Scriptura: sicut lilius inter spinas, sic amica mea inter flores, id est, inter filias; et alia Scriptura dicit: tota pulchra es amica mea et macula non est in te. *Oportet ergo intelligere et credere*, et hoc *per gratiam specialem*, quod supra dicta virgo est ea, de qua prophetae locuti sunt, quae ante mundi creationem fuerat electa ut esset Mater Dei: ergo praedicta Virgo fuit omni tempore in gratia Dei... Deus... *voluit praeservare eam a peccato originali*, quod est mortale, et ab omni alia inquinamenti laesione, et *hoc fecit per specialem gratiam*, utpote qui de ea carnem erat sumpturus is qui speciosus futurus erat, et formosior prae

¹ Cfr MANCINI V., O. M., *Il primo difensore dell'Immacolata Concezione di Maria è stato un Mercedario: S. Pietro Pascasio*, Napoli, Raimondi, 1939.

² Agitur de debito proximo, prout apparet ex toto contextu.

³ Cfr *Opera*, vol. 1, nn. 10, 12, 13, 14, 17, 18, editio P. Valenzuela, impressa Romae annis 1906-8. — Colloquium hoc scriptum est circa a. 1295.

filiis hominum, sicut praenuntiatum fuerat. Peccatum originale venit in hominem per inobedientiam, propter quam Dei iram incurrit homo ita ut Deus dixerit: poenitet me fecisse hominem; *si igitur Virgo Maria in peccato originali concepta fuisset, dicendum nobis esset ipsam aliquandiu fuisse in ira Dei, quod nec dici ullo modo debet nec credi, sed potius tum ante tum post Conceptionem suam extitisse in gratia et amore Dei. Hoc autem fecit et potuit facere per gratiam specialem*, eodem prorsus modo quo se gessit cum tribus pueris, qui missi fuerant in fornace ad comburendum ».

Ex locis istis apparet quomodo S. Petrus Pascasius 1) invicte asseruit immunitatem Virginis a culpa originali ob plures rationes validissimas; 2) et quidem, non tamquam probabilem, sed tamquam simpliciter *credendam*; 3) vi *praeservationis* et per *gratiam specialem*. Excludit pariter 4) debitum *proximum* contrahendi peccatum originale. Admittit tamen 1) sanctificationem *carnis* ante animationem ab infectione quam in parentibus habuit; 2) non ostendit quomodo praeservata fuit *intuitu meritorum Christi Redemptoris*. Imo, vi praedestinationis absolutae ad divinam maternitatem ante praevium peccatum, praeservatio intuitu meritorum Christi Redemptoris ut talis, *exclusa* videtur.

GULIELMUS WARE O. Min. († c. 1300), Universitatis Oxoniensis et Parisiensis Professor, in Comm. in *I Sent.*, l. 3, dist. 3 expresse quaestionem pertractat: «Quaeritur, utrum beata Virgo concepta fuerit in originali peccato» (Quaracchi, 1904, p. 1). Relatis quibusdam argumentis pro et contra, triplicem sententiam Theologorum sui temporis refert, videlicet: 1) quidam dicunt B. Virginem fuisse in peccato conceptam, sed tamen immediate purificatam in uno eodemque instanti reali, «in alio tamen et alio signo eiusdem instantis»; 2) alii dicunt pariter B. Virginem fuisse in peccato conceptam, et non fuisse immediate purificatam; 3) alii tandem negant B. Virginem peccatum originale contraxisse. Ware hanc ultimam sententiam «vult tenere». En eius verba: «Alia est opinio quod non contraxit originale. Quam volo tenere, quia si debeam deficere, cum non sim certus de altera parte, magis volo deficere per superabundantiam, dando Mariae aliquam praerogativam quam per defectum diminuendo vel subtrahendo ab ea aliquam praerogativam quam habuit... Quod sic factum est, sunt auctoritates. Lincolnensis, ut dicitur, hoc posuit. Et Alexander Nequam (Neckam) in ultimo vitae suae exposuit illud Canticorum: *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te* neque actualis neque originalis de beata Virgine». Demonstrat deinde huius privilegii 1) *possibilitatem*, 2) *congruentiam*, et 3) *actualitatem*, seu, aliis verbis, *potuit, decuit, fecit*. Ad stabiliendam 1) *possibilitatem*, recurrit ad theoriam purificationis praeventivae: caro illa *infecta*, ex qua provenit (in momento unionis animae cum corpore) peccatum originale, fuit *mundata*, non *sanctificata*, quia sanctificationis subiectum est anima tantum. Hypothesis haec, non derogat privilegio Christi, eo quia privilegium eius semper remanet. Christus enim exiit *mundus de munda*; B. Virgo *munda de immundis*; et nos *immundi de immundis*. — Demonstrat 2) *convenientiam*, quia Christus Matrem suam velle debuit «ita mundam sicut potuit»; et consequenter illam nedum purificare sed potius ab

omni immunditia praeservare debuit. — Posito tandem quod Deus *potuit* et quod hoc facere *deciuit* sequitur 3) quod Deus ita fecit. « Et quod potuit, congruum fuit quod fecerit; et ex hoc sequitur quod ita fecerit, cum filius debeat matrem honorare ». Et laudat, ad modum confirmationis, Lincolniensem (i. e. Robertus Grosseteste), Alexandrum Nekam, S. Anselmum, Richardum a S. Victore et S. Augustinum. — Tandem obiectionem capitalem ex universalitate redemptionis Christi ductam, solvit ad doctrinam S. Anselmi (« Cur Deus homo » l. 2, c. 16, PL 158, 419) appellans: « Quoniam matris munditia, per quam mundus est, non fuit nisi ab illo ». B. Virgo passione et Christi morte indiguit ad propriam puritatem obtinendam. Passione Christi, « non propter peccatum quod infuit, sed quod infuisset, nisi ipsemet Filius eam per fidem *praeservasset* ». Distinguit igitur Ware inter purificationem et sanctificationem.

RAYMUNDUS LULLUS († 1315), qui docuit Parisiis circa finem saec. XIII et initium saec. XIV. Liber *Principiorum theologiae* anno 1276 compositus (*Opera*, Mayence, 1721-1742, t. 1, p. 60), sic terminatur: « Completae sunt regulae principiorum theologiae patrocínio beatæ Virginis Mariae sine labe conceptae et gratia sui gloriosissimi Filii in quo natura divina et humana mirifice sunt unita ».

Et alibi: « Numquam in ea malum aliquod extitit, neque ex ea malum aliquod secutum est, neque potest sequi, adeo bona est et omni bono plena, quia tota extitit bona » (*Lib. de laud. B. V. Mariae*, c. 2, Parisiis, 1632, p. 159 s.). Dicit etiam: « In qua (Maria) qui cogitat maculam, in sole cogitat tenebram » (*Blaquerna anachoretæ interrogationes et responsiones CCCLXV, de amico et amato*, n. 276, Paris 1632, p. 159 s.). Denique, quaestioni: « utrum B. Virgo fuerit in peccato originali concepta », absque ullo metu respondet: « Oportet quod Domina nostra concepta fuerit absque peccato » (*Arbor Scientiæ*, Lyon 1635, p. 587).

Dum Doctores scholastici disputabant, festum Conceptionis magis magisque extendebatur (cfr LE BACHELET, l. c., coll. 1064-1067). At circa *obiectum* huius festi non una etiam tunc, erat opinio. Alii enim B. Virginis immunitatem ab originali peccato, alii vero eiusdem sanctificationem seu purificationem in sinu matris a peccato originali celebrabant.

III) SAEC. XIV et XV usque ad Concilium Basileae (1439). *Reactio franciscana seu Scotistica*. In hac periodo defensores privilegii Mariani augentur et campus in duas veluti partes, pro vel contra privilegium, dividitur.

DUNS SCOTUS (1266?-8 nov. 1308) primum docuit Oxonii circa annum 1300, quando incepit Commentarium in Libros Sent., seu *Scriptum Oxoniense*.

In *IV Sent.*, l. 3, dist. 3, q. 1, quaerit: « Utrum beata Virgo fuerit concepta in originali peccato » (ed. Vivès, t. 14, p. 159). Scotus affert primo adversus immaculatam B. Virginis conceptionem testimonia ex Scriptura et Traditione. « In Adam omnes peccaverunt Rom. 5, nonnisi quia fuerunt in eo secundum rationem seminalem; ita fuit in

eo B. Virgo. Item Damascenus c. 10 et 48: Spiritus Sanctus purgavit eam; purgatio non est nisi a peccato; igitur habuit peccatum, non actuale, igitur etc. Item Augustinus de fide ad Petrum. Firmissime tene et nullatenus dubites omnem hominem qui per concubitum viri et mulieris concipitur, cum peccato originali nasci. Item idem illud Ioan.: Ecce Agnus Dei etc. Solus innocens quia non sic venit scilicet secundum communem propagationem. Item Leo Papa, in sermone de nativitate Domini: Sicut a reatu nullum liberum reperit, ita liberandis omnibus venit...

« *Contra* Augustinus, de natura et gratia: Cum de peccatis agitur, de Maria nullam prorsus volo habere quaestionem; et Anselmus, de conceptu virginali c. 18: Decuit ut ea puritate Virgo niteret qua maior sub Deo nequit intelligi; posset autem intelligi pura innocentia sub Deo, qualis in Christo; igitur etc. ».

Deinde exponit rationes contra immaculatam conceptionem desumptas ex duobus mediis, « quorum unum est excellentia Filii sui; ipse enim ut redemptor universalis omnibus ianuam aperuit; sed si beata Virgo non contraxisset peccatum originale, non indignisset redemptione, nec ipse sibi ianuam aperisset, quia non fuisset sibi clausa; non enim clauditur nisi propter peccatum, maxime originale. Secundum medium ex his quae apparent in beata Virgine; ipsa enim fuit propagata communi lege et per consequens corpus eius propagatur et formatur de semine infecto, et ita eadem ratio infectionis in corpore eius quae erat in corpore alterius sic propagati; et corpore infecto, inficiatur anima, eadem ratio infectionis erat in anima eius quae et in animabus aliorum communiter propagatorum.

« Similiter habuit poenas communes naturae humanae ut sitim, famem et huiusmodi quae infliguntur nobis propter peccatum originale et illae non erant voluntarie assumptae, quia non erat redemptrix vel reparatrix nostra, quia tunc filius eius non fuisset redemptor omnium generaliter; igitur erant sibi inflictae a Deo et non iniuste; ergo propter peccatum et ita ipsa erat innocens ».

Has autem rationes Scotus acute dissolvit. « *Contra* primam rationem arguitur ex excellentia Filii sui in quantum redemptor, reconciliator et mediator, quod ipsa non contraxit peccatum originale. Perfectissimus nempe mediator habet perfectissimum actum mediandi respectu alicuius personae pro qua mediat; sed Christus est perfectissimus mediator; igitur Christus habuit perfectissimum gradum mediandi possibilem respectu alicuius creaturae sive personae respectu cuius erat mediator; sed respectu nullius personae habuit excellentiorem gradum quam respectu Mariae; igitur etc. Sed hoc non esset nisi meruisset eam praeservari a peccato originali. Quod probro tripliciter; primo per comparisonem ad Deum cui reconciliat; secundo per comparisonem ad malum a quo liberat; tertio per comparisonem ad obligationem personae quam reconciliat. Ad videndum primam probationem pono exemplum consonum exemplo Anselmi, Cur Deus homo l. 2, c. 16. Ex illo arguitur sic: nullus summe vel perfectissime placat aliquem pro offensa alicuius contrahenda, nisi posset praevenire, ne illi offendatur; nam si iam offensum placat ut remittat, non perfectissime placat. Sed in proposito Deus non offenditur animae propter motum interiorem in ipso, sed tantum propter culpam in ipsa anima; igitur Christus non perfectissime placat Trinitatem pro culpa contrahenda a filiis Adae, si non praeveniat ut alicui Trinitas non offendatur et per consequens quod anima alicuius filii Adae non habeat culpam talem. Et secunda via arguitur dupliciter; primo, quia perfectissimus mediator meretur amotionem omnis poenae ab eo quem

reconciliat; sed culpa originalis est maior poena quam ipsa carentia visionis divinae, sicut declaratum fuit Dist. 36, secundi Libri, quia peccatum est maxima poena naturae intellectualis inter omnes poenas eius; igitur si Christus perfectissime reconciliabit, istam poenam gravissimam meruit ab aliquo auferri; nonnisi a matre; igitur etc. Ex eadem via arguitur secundo sic. Christus immediatius videtur fuisse reparator et reconciliator noster a peccato originali quam ab actuali; quia necessitas incarnationis, passionis etc., assignatur communiter ex peccato originali. Sed supponitur communiter quod ipse fuit ita perfectus mediator respectu alicuius personae, puta, Mariae, quod eam praeservavit ab omni peccato actuali; igitur similiter a peccato originali. Ex tertia via arguo sic. Persona reconciliata non summe obligatur mediatori, nisi ab eo summum bonum habeat, quod potest per mediatorem haberi; sed innocentia illa, scilicet, praeservatio a culpa contracta vel contrahenda potest haberi per mediatorem; ergo nulla persona summe tenebitur Christo ut mediatori, si nullam praeservavit a peccato originali...

«Secunda etiam ratio quae accepta fuit ex his quae apparent in Maria, non videtur concludere. Quod nempe arguitur et primo de infectione carnis propter seminationem, non arguit secundum viam Ans. de peccato originali, quae facta fuit dist. 32, secundi libri; aut dato quod sic contrahitur peccatum originale communiter, tunc infectio carnis manens post baptismum non est necessaria causa quare maneat peccatum originale in anima; sed ipsa manente peccatum originale deletur per gratiam collatam, ita posset Deus in primo instanti conceptionis Virginis dando tunc gratiam delere, ne esset causa necessaria infectionis animae, si gratia tolleret culpam in anima. Aliud de passionibus Mariae non concludit; potest enim mediator reconciliare aliquem ut auferantur ab eo poenae sibi inutiles et relinquatur in poenis sibi utilibus; originalis culpa non fuisset utilis Mariae; poenae temporales tamen fuerunt utiles, quia in eis meruit; igitur etc.

«*Ad quaestionem* igitur dico. Quod Deus potuit facere quod ipsa numquam fuerit in peccato originali. Potuit etiam fecisse ut tantum in uno instanti esset in peccato. Potuit etiam facere ut per tempus aliquod esset in peccato, et in ultimo instanti illius temporis purgaretur. Primum declaro, quia gratia aequivalet iustitiae originali quantum ad acceptionem divinam, ut propter hanc animae habenti gratiam, non insit peccatum originale; potuit enim Deus in primo instanti illius animae infundere sibi gratiam tantam quantam aliae animae in circumcissione vel baptismo; igitur in illo instanti anima non habuisset peccatum originale, sicut nec habuisset si postea fuisset baptizata, et si etiam infectio carnis fuit ibi in primo instanti, non fuit tamen necessaria causa infectionis animae, sicut nec post baptismum quando manet secundum multos et infectio animae non manet; aut potuit caro mundari ante infusionem animae ut in illo instanti non esset infecta. Secundum patet, quia si agens naturale potest incipere agere in instanti, ita quod in illo instanti fuerit in esse quieto sub uno contrario et in tempore habito est sub forma contraria in fieri, et quodcumque agens naturale potest agere, Deus potest agere; igitur potuit et in tempore habito alicui instanti causare gratiam... Tertium est manifestum. Quod autem horum trium, quae ostensa sunt esse possibilis, factum sit, Deus novit; si auctoritati Ecclesiae vel auctoritati Scripturae non repugnet, videtur probabile quod excellentius est attribuere Mariae.

«*Si autem teneatur pars negativa quaestionis*, ad omnes auctoritates in contrariam partem respondetur quod quilibet filius Adae naturaliter est debitor iustitiae originalis, et ex demerito Adae caret ea; et ideo omnis talis habet unde contrahat peccatum origi-

nale. Sed si alicui in primo instanti creationis animae detur gratia, ille, licet careat iustitia originali, nunquam tamen est debitor eius, quia merito alterius praevenientis peccatum datur sibi gratia quae aequivalet illi iustitiae quantum ad acceptationem divinam, immo excedit; ergo quantum est ex se, quilibet haberet peccatum originale, nisi alius praeveniret merendo et ita exponendae sunt auctoritates quod omnes naturaliter propagati ab Adam sunt peccatores, hoc est, ex modo quo habent naturam ab Adam habent unde careant iustitia debita, nisi eis aliunde conferatur, sed sicut posset post primum instans conferre ei gratiam, ita posset et in primo instanti. Per istud patet ad rationes factas pro prima opinione, quia Maria maxime indignisset Christo ut redemptore. Ipsa enim contraxisset originale peccatum ex ratione propagationis communis, nisi fuisset praeventa per gratiam mediatoris; et sicut alii indiguerunt Christo, ut per eius meritum remitteretur eis peccatum iam contractum, ita illa magis indiguit mediatore praeveniente peccatum ne esset ab ipsa aliquando contrahendum, et ne ipsa contraheret... Et si arguas contra hoc, quia prius naturaliter fuit filia Adae quam habuit gratiam, quia prius fuit persona quam habens gratiam; in illo igitur priori tenebatur ad iustitiam originalem, quia naturalis filia Adae, et non habuit eam; ergo in illo priori contraxit originale peccatum. Respondeo. Dico quod cum opposita comparantur ad idem secundum ordinem naturae, non simul ambo insunt, sed tantum alterum inest, reliquum autem quod dicitur prius natura non inest, quia in eodem instanti oppositum inest, sed dicitur prius natura quia tunc inesset quantum est ex parte subiecti, nisi aliquid extrinsecum impediret...

« Quando igitur arguitur quod prius naturaliter fuit filia Adae quam iustificata, concedo, quia illam naturam in primo instanti sic conceptam consequetur esse filiam Adae et non habere gratiam in illo instanti naturae; sed non sequitur, ergo in illo instanti naturae fuit privata loquendo de omnino primo instanti, quia secundum illam primitatem natura animae ita naturaliter praecessit privationem iustitiae, sicut ipsam iustitiam, sed tunc potest hoc inferri quod in ratione naturae quae est fundamentum filiationis Adae, non includitur iustitia, nec eius carentia, quod concedo » (in 3, d. 3, q. 1).

Et postea addit: « Est ibi (in coelo) beata Virgo, mater Dei quae nunquam fuit inimica actualiter ratione peccati actualis, nec ratione originalis; fuisset tamen, nisi fuisset praeservata » (ibid., d. 18, q. unic.).

Scotus ut patet, dependet, substantialiter, a Magistro suo Gulielmo Ware. Relinquit magistri theoriam de infectione carnis quae praevis mundatur, et adhaeret theoriae S. Anselmi reponentis essentiam peccati originalis in privatione gratiae sanctificantis.

Denuo de hoc privilegio pertractavit Parisiis (ab a. 1304 ad a. 1308) in *Scripto Parisiensi* (Reportata Parisiensia) in quo eadem doctrina habetur.

Attamen tria notanda veniunt, videlicet: 1) refutat opinionem cuiusdam doctoris dicentis quod in *eodem instanti* B. Virgo fuit in peccato et in gratia (nn. 2-3); 2) in l. 4, quem scripsit ante l. 3, a. 1306, *possibilitatem* docuit sanctificationis independentem ab idea purificationis: « absolute potest esse infusio gratiae sine expulsionem culpae praecedentis, sicut fuit in B. Virgine » (dist. 16, a. 2, n. 26); 3) affirmat tantummodo *possibilitatem* privilegii: « *potuit* esse quod numquam fuit in peccato originali ». Imo, in dist. 18, q. 1, ibid., p. 386, emollit id quod assertive docuerat in scripto Oxoniensi, et quasi du-

bitative scribit: « nunquam fuit inimica actualiter ratione peccati actualis, et FORTE nec pro peccato originali, quia fuit praeservata, ut supra dictum est ». Ultima ergo Scoti sententia (a. 1308, paulo antequam moreretur, cum libros Sententiarum Parisiis explicabat), in forma quasi dubitativa proposita est. Magna controversia, ultimis hisce temporibus, orta est circa solemnem disputationem a Scoto Parisiis habitam. Quidam enim gravissimi auctores (Natalis Alexander O. P., Du Plessis, d'Argentré, Denifle O. P.) illam denegant, eo quia nullo testimonio illius temporis roboratur, et de ea nulla vel minima mentio fit sive in actis officialibus S. Sedis sive Sorbonae. Scriptores qui de illa loquuntur, et quidem modo valde diverso, 150 annos ab illa distant. Ob has rationes non desunt inter ipsos Fratres Minores auctores qui disputationem illam non admittunt. P. Balić, (l. c., p. CXIV) substantiam facti tantummodo admittit: « Fragmenta disputationis Parisiensis ex saeculo XIV, quae deteximus non loquuntur de aliqua sollemnitate, de praesentia Legatorum Summi Pontificis, de iuramento etc. Hoc verum est. Sed bene notum est famam crescere eundo: et ex hoc quod quaedam sunt reponenda “ inter fabulas ” minime concludere licet, omnia reponenda esse; ex eo quod postea factum historicum variis elementis ornatum fuerit, ipsum factum minime negare licet ».

Concl.: Scotus nullum fere novum substantiale elementum attulit et solummodo *possibilitatem* (non vero existentiam ex S. Scriptura et Traditione) privilegii Mariani demonstravit, solvendo praecipuas difficultates quae, substantialiter saltem, a praedecessoribus suis praesertim a Gulielmo Ware solutae iam fuerant. Imo, dum praedecessores Scoti privilegium Marianum assertive proposuerunt, Scotus quasi *dubitative*, ultimo vitae anno, illud proposuit. Neque dicendum est id fecisse respectu habito Doctorum Parisiensium qui aliter sentiebant. Scotus enim nil novi dicebat eo quia iam ante ipsum Gulielmus Ware et Raymundus Lullus idem, et quidem *assertive* (non *dubitative*) docuerant. Meritum ergo Scoti in defensione huius privilegii, non tale esse videtur quale ab auctoribus communiter proclamatur.

Theologorum adhaesio piae sententiae, etiam post Scotum, nec *statim* habita est nec *generalis* fuit, etiam inter ipsos Minores. Ita BERTRANDUS DE LA TOUR († 1334), Cardinalis Tusculanus, fidelis remanebat *scholae communi*. (Serm. 1, *de Nativ. et de Conceptione*, apud Petrum de Alva, *Radii solis*, col. 1141), ALVARUS PELAGIUS Episc. Lusitanus, circa a. 1332 opinioni communi adhaerebat, « licet *quidam* novi theologi a sensu Ecclesiae recedentes *communi*... » (*De planctu Ecclesiae*, l. 2, a. 52, Venetiis 1560, p. 110). Praeterea, Dominicani, fere omnes, perpaucis exceptis, opinioni maculistae favere non desierunt. Praeter Dominicanos, oppositores privilegii fuerunt Ioannes de Polliaco (de Pouilly), Univ. Parisiensis Doctor († post a. 1321), Iacobus Husa vel de Ossa (qui fuit postea Ioannes XXII), Benedictus XII et Clemens VI, antequam Pontifices essent (cfr LE BACHELET, o. c., coll. 1079-1081).

Sententiae vero immaculistae INTER MINORES adhaeserunt Petrus Aureolus (Auriol), Andreas a Castronovo, Ioannes de Basolis, Ioannes Minius, Franciscus de Mayronis, Petrus Thomas, Monaldus, Iacobus Albenis, Landulphus Carac-

ciolo, Franciscus Asculanus, Hermannus Brucher. Circa finem saec. XIV, apud Franciscanos, sententia immaculista iam communis erat. — Inter DOMINICANOS Ioannes Tauler († 1361), Ioannes Bromiard et forsan S. Vincentius Ferrer (LE BACHELET, l. c., col. 1079). Inter SERVOS MARIAE, eminent tres doctores Parisienses, videlicet: 1) B. Matthaeus Lazzari, Generalis Ordinis († 1348) qui Tractatum de Immaculata Conceptione composuit, et fratribus suis ita benedicere solebat: « Immaculata Virginis Conceptio sit vobis salus et protectio »; 2) Nicolaus Pieri († 1349) et 3) Laurentius Opimo, Episcopus Traguriensis († 1388) qui validissimis argumentis privilegium Virginis defendit. Inter CARMELITAS, numerantur: 1) Ioannes Baconthorp¹ († 1346) antea contrarius, B. Petrus Thomas († 1366), Franciscus Marti (1390).² Oppositores privilegii fuerunt Gerardus Bononiensis, Generalis ab a. 1296 ad a. 1318, Guido a Perpignano, Gerardi successor, et Paulus Perusinus.

Inter AUGUSTINIANOS faverunt privilegio Hermannus de Schildis (a. 1340) Thomas ab Argentia et Raymundus Iordanus. Oppositores privilegii fuerunt Augustinus Anconitanus, Henricus de Vrimeria, Gerardus Senensis, Gregorius Ariminensis, qui sententiam Aegidii Columna secuti sunt.

Post medium saec. XIV, magna lucta exarsit sive in Gallia sive in Aragonia. Anno 1362, Ioannes Eschacier et Iacobus de Bosco ambo ex O. P., ex cathedra dixerunt opinionem immaculistam esse falsam, haeticam, condemnatione dignam. Sed auctoritas Ecclesiastica contra ipsos processit et ipsis retractationem imposuit (DENIFLE, *Chartularium*, t. 3, n. 1272, p. 99). Sed adhuc maior fuit oppositio IOANNIS DE MONTESONO O. P. qui a. 1387, Parisiis, in sua prima lectione magistrali, haeticam declaravit sententiam immaculistam, et hanc declarationem in doctrina S. Thomae fundabat. Ipsi respondit, iussu Facultatis Theologicae Parisiensis, Ioannes Vital O. F. M. in op. *Defensorium B. Virginis Mariae* (apud PETRUM DE ALVA, *Monumenta antiqua Seraphica*, p. 89). Plusquam 300 theologi ipsi retractationem imposuerunt, quia unaquaeque propositio ab ipso contra Immaculatam posita erat revocanda « tamquam falsa, scandalosa, praesuntuose asserta et piarum aurium offensiva », « non obstante *probabilitate* quaestionis utrum Beata Virgo in peccato originali *concepta* » fuerit. Et hoc, — adiungebant — « Salva reverentia S. Thomae, quem credimus verisimiliter bonum habuisse sensum » (*Chartularium*, t. 3, n. 1559, pp. 491-493 s.). Quia vero Ioannes de Montesono noluit se subiicere, prius ab Episcopo Parisiensi et postea a Clemente VIII, a. 1389 damnatus est.

Aemulus Ioannis de Montesono in Aragonia fuit NICOLAUS EYMERIC O. P. († 1399), Inquisitor Generalis Aragoniae, qui plura scripsit contra Lullum, nota

¹ Cfr XIBERTA B., O. C., *Fra Francisc Marti, Carmelita de Barcelona, i el dogma de la Immaculada*, in *Paraula cristiana* 5 (1929) 420-428.

² Cfr XIBERTA B., O. C., *Joan Baconthorp i el dogma de la Immaculada Concepció de Maria*, in *Est. Francisc.* 40 (1928) 89-111.

haeresiae inurens sententiam privilegio mariano faventem. Sed Ioannes I, Rex Aragoniae, illum exilio multavit et die 14 martii 1393 praedicationem contrariae sententiae « fortiter » prohibuit.

Controversiae istae evolutioni doctrinae haud parum profuerunt. Praeter argumentum *convenientiae*, apparere incipit, in quibusdam scriptis illorum temporum, argumentum ex S. Scriptura, praesertim vero ex salutatione angelica (apud Gherardum Rondel et apud Petrum Thomam † 1366), et ex Protoevangelio (apud I. Baconem in sermone anonymo sub finem saec. XIV). Inquisitio Traditionis tunc temporis possibilis non erat. — Defensores privilegii, communiter nedum peccatum sed etiam *fomitum* peccati a B. Virgine excludunt. At non unanimiter explicant modum quo B. Virgo a peccato originali praeservata est.

Festum pariter Conceptionis, saec. XIV, valde diffusum est. « Elle existait certainement chez les Trinitaires, les Servites, ¹ et autres Ordres » (BACHELET, I. c., col. 1095). Ioannes de Segovia, in Conc. Basileense, de Virginis privilegio agens, testimonium invocabat « fere totius orbis ». Anno vero 1438, Concilium Basileense, post crebras discussiones in quibus praesertim Ioannes de Montenegro Gener. O. P. et Card. de Turrecremata O. P. oppositores, et Ioannes Gonzalez de Segovia, Canonicus Toletanus nec non Petrus Perqueri O. F. M. defensores fuerunt, sequens decretum emisit: « Nos vero diligenter inspectis auctoritatibus et rationibus quae iam a pluribus annis in publicis relationibus ex parte utriusque doctrinae coram hac synodo allegatae sunt, aliisque etiam plurimis super hac re visis, et matura consideratione pensatis, doctrinam illam disserentem gloriosam Virginem Dei Genitricem Mariam, praeveniente et operante divini Numinis gratia singulari, numquam actualiter subiacuisset originali peccato, sed immunem semper fuisse ab omni originali et actuali culpa, sanctamque et immaculatam, tamquam *piam* et *consonam cultui ecclesiastico, fidei catholicae, rectae rationi et sacrae scripturae*, ab omnibus catholicis approbandam fore, tenendam et amplectendam, diffinimus et declaramus, nullique de cetero licitum esse in contrarium praedicare seu docere ». Et adiungit: « Renovantes praeterea institutionem de celebranda sancta eius conceptione, quae tam per Romanam, quam per alias Ecclesias sexto idus decembris antiqua et laudabili consuetudine celebratur; statuimus et ordinamus eandem celebritatem praefata die in omnibus ecclesiis, monasteriis et conventibus christianae religionis sub nomine Conceptionis, festivis laudibus colendam esse » (MANSI, *Concil.*, t. 29, col. 182 s.).

Sed tunc temporis, Concilium non amplius legitimum erat quia Eugenius IV illud anathemate percusserat, et ideo eius definitio infallibilitate et quolibet valore iuridico carebat. Attamen, magnum piae sententiae progressum, seu melius

¹ *Servitae* primi fuisse videntur qui Ecclesias Immaculae Conceptioni dedicaverunt, primum Arimini a. 1312 (cfr *Annales Ord. Serv.*, cent. 1, p. 223), deinde Senis, a. 1533 (ibid., t. 3, p. 108).

triumphum repraesentabat, praesertim propter Ecclesias et Universitates in ipso Concilio repraesentatas. Insuper, decretum hoc causa fuit cur pluribus in locis Immaculatae Conceptionis cultus mirabiliter augetur.

IV. A saec. XVI usque ad saec. XIX.

A) In **Ecclesia Graeco-Russiaca**. Post miram Theologorum concordiam circa sanctitatem initialem Deiparae, incipit mira et fere inexplicabilis discordia.

Haec aera discordiae initium sumpsit saec. XVI, iugiter crevit saec. XVII ita ut circa finem saec. XVIII, praesertim vero post definitionem dogmaticam Immaculatae conceptionis (a. 1854) doctrina haec inter innovationes Ecclesiae Romanae ab Orthodoxis reiiciendas reposita fuerit. Inter adversarios Immaculatae eminent: Damascenus Studita († 1577) in suo *Thesaurus* (Athenis, 1893, pp. 5-6); Ioannes Nathanael (saec. XVI) in opere *Divina Liturgia...* (Venetiis 1574, p. 81); Metrophanes Critopulos, Patr. Alexandrinus († 1639) in sua *Professio Fidei*, c. 17; Meletius Sirigos († 1664) in *Sermone de Annuntiatione* in cod. 254 Melechii S. Sepulcri contento; Dositeus Patr. Hierosolymitanus († 1707), Sevastus Chimenites († 1702), Ioannes Lindos († 1796), Nicodemus Aghiorites († 1809) etc. Cfr JUGIE M., *Dict. Théol. Cath.*, t. 7, col. 965 ss.

Causa huius repentinae mutationis in influxu protestantico, in ignorantia genuinae traditionis byzantinae, praesertim vero in spiritu contradictionis invenitur. Quo magis sententia de Immaculata B. M. Virginis Conceptione gratiam iniebat apud Romanos Pontifices, eo magis orientalium oppositio crescebat. Cum vero sententia illa tamquam fidei dogma definita fuit, orientalium oppositio omnem veluti limitem praetergressa est. Aliquando eo devenit ignorantia ut *Immaculatam Conceptionem* cum *virginali conceptione* mire confunderent, prout fecerunt, e. g. Augustinus Episcopus Russicus in opere *Theologia Fundamentalis* (Mosca 1898, ed. 4, p. 257) et Antonius Archiepiscopus in *Epistola* quadam publici iuris facta in *Ephemeride noticiarum Ecclesiasticarum*, organo S. Synodi (die 10 martii 1912, p. 399). Non defuerunt tamen in Ecclesia Graeca, etiam in hac tenebrosa periodo, invicti quidam huiusmodi veritatis assertores iisdem omnino terminis quibus usus est Pius IX in sua dogmatica definitione. Praecipuos tantummodo hic breviter recensemus.

CYRILLUS LUCARIS, Patr. Constant. († 1638), de mirabilibus a Deo in B. Virgine patris sermonem faciens, scripsit: « Quamvis alii magni viri, ante eorum nativitatem sanctificati fuerint, nemo tamen sanctificatus est sicut Tota sancta (*Panaghia*). Ipsa enim modo excellenti fuit sanctificata, et haec sanctificatio tam efficax fuit ut a peccati originalis macula numquam tacta fuerit. Cum ergo nos dicimus ipsam sanctificatam fuisse, hoc nullimode significat ipsam a statu culpae ad statum sanctitatis pertransisse, sed a statu minoris sanctitatis ad statum ma-

ioris sanctitatis pervenisse. Ipsa fuit *plene sanctificata in ipso conceptionis instanti, cum anima eius corpori unita fuit* » (*In Dormit. Deip.*, cod. 263 Metochii S. Sepulcri, foll. 612 s.).

GERASIMUS I Patr. Alex. (1621-1636) in *Serm. in Dormit. Deip.*, unā cum aliis eius sermonibus in bibliotheca patriarcali Cairensi asservato, asserit Deiparam « nunquam fuisse peccato originali subiectam » (cfr HYP SILANTIS, in sua *Chronica Τα μετὰ τὴν ἄλωσιν*, Constantinopoli, 1870, p. 131).

NICOLAUS CURSULAS († 1652) in sua *Synopsis S. Theologiae* (2 voll.) Zacynthii publici iuris facta, fuse agit de quaestione nostra et docet B. Virginem, Adae filiam, *debito* peccati subiectam fuisse; de facto tamen fuit a Deo a culpa originali praeservata inde a primo instanti unionis animae cum corpore, « ita ut Maria tamquam persona, numquam peccati particeps fuit » (vol. I, pp. 336-342).

ELIAS MINIATIS, Episcopus et praedicator officialis Ecclesiae Graecae († 1714) in sua *Didachè* seu collectio sermonum Venetiis a. 1727 publici iuris primum facta, explicitè asserit, pluries, B. Virginem « certe absque ulla macula conceptam fuisse, totam pulchram. Admitti nequit, prout quidam asserunt, ipsam cum originali peccato conceptam fuisse, et postea a gratia divina purificatam ad hoc ut irreprehensibilis et immaculata nasceretur. Etenim, quanam purificatione indiget sol ad hoc ut aureos suos radios illuminet? Aut luna ad hoc ut argentuum suum splendorem habeat? Iamvero, Maria sub utroque hoc vocabulo a Spiritu Sancto designatur: *Pulchra ut luna, electa ut sol* (Cant., 6, 10) », (*Didachè*, p. 378 s., ed. a. 1778. Cfr SALAVILLE, in *Marianum*, 2 [1940] 114-144).

Authentica haec byzantina traditio circa Immaculatam Deiparae Conceptionem, exhibetur etiam, precis iaculatoriae more, in cursibus manuscriptis Academiae Ecclesiasticae Kievensis in periodo quae ab anno 1729 incipit et ad annum 1736 pervenit. In ipsis enim saepe legitur haec sigla *V. M. S. L. O. C.* (*Virgini Mariae Sine Labe Originali Conceptae*). Huiusmodi siglae fidem pietatemque sive professorum sive studentium testantur erga B. V. Immaculatam (cfr SALAVILLE, l. c., 266-283). Ceterum notum est saeculo XVII et in primo quarto saeculi XVIII, Academiam Kievensensem Immaculatam Conceptionem officialiter docuisse tamquam veritatem ad fidem pertinentem (cfr JUGIE M. *L'Immaculée Conception en Moscovie au XVII siècle*, in *Echos d'Orient* 12 [1909] p. 321).

B) **In Ecclesia Latina** habemus stadium triumphii. Etenim, in hoc ultimo stadio, Theologorum adhaesio huic privilegio in dies crescit, fidelium devotio modo omnino extraordinario manifestatur et praesertim magisterium Ecclesiasticum repetitis actibus intervenit, videlicet:

- 1) *Sixtus IV* festum Conceptionis solemniter adprobat;
- 2) *Alexander VII* obiectum eius rite determinat; et
- 3) *Clemens XII* festum ad universam Ecclesiam extendit.

1) **A Concilio Basileensi ad Sixtum IV.** Decretum Concilii Basileensis magnum exercuit influxum praesertim in Gallia et in Aragonia ubi nempe Concilium tamquam legitimum habebatur.

In *Gallia*, a. 1457 Concilium Provinciale Avenionense decretum Concilii Basil. sub poena excommunicationis inviolabiliter custodire mandavit (MANSI, *Concil.* t. 32, col. 183). Eodem anno Universitas Parisiensis iussit ut puniretur *tamquam haereticus* Dominicanus quidam qui Immaculatam Conceptionem negaverat.

In *Hispania* Maria Regina Aragoniae a. 1439 audacem loquendi modum repressit Andreae Stefani O. P. et decreta Ioannis I et Martini I renovavit (ROSKOVÁNY, o. c., t. 1, p. 110).

In *Germania*, firmiter marianum privilegium propugnauerunt Nicolaus Blonius (1438), Michaël de Butzenbach O. S. B. († 1466) et Gabriel Biel († 1495).

In *Belgio*, Dionysius Carthusianus († 1471) asserebat quod Ecclesia « in novissimo Concilio Universali finem his dissensionibus imposuit » (*Op. omnia*, Tournai, 1908, t. 35, p. 486).

In *Italia* praecipui defensores privilegii fuerunt: S. Laurentius Iustiniani († 1455), S. Bernardinus Senensis († 1464), P. Ambrosius Spiera O. S. M. († 1451), P. Carolus Faventinus O. S. M. († 1491), P. Petrus Novelli O. S. M. († 1505), P. Gasparinus Borro O. S. M. († 1490), P. Michaël Pucci O. S. M. († 1441) qui in Concilio Florentino in Sermone quodam coram Patribus Graecis et Latinis habito, Virginis privilegium strenue defendit.

Attamen, circa medium saeculum xv, oppositio violenta in Italia exarsit, primum ex parte Raphaëlis de Pornassio O. P. qui in opere *Tractatus de praerogativis Domini nostri I. C.* 62 testimonia, ex scriptoribus Ordini Praedicatorum extraneis, desumpta, contra privilegium marianum opposuit (DONCOEUR, *Les premières interventions du saint-siège*, p. 47-283). Anno 1470, alius religiosus O. P. ex cathedra loquens, opinionem privilegio favorabilem tamquam erroneam, impiam et haereticam damnabat.

Tandem, anno 1475, Vincentius Bandelli, qui fuit postea Generalis O. P. (1501-1506) celeberrimus adversarius privilegii Mariani, in op. *Libellus relectorii auctoritatum de veritate conceptionis beatae Virginis gloriosae* thesim hanc statuebat: « *Impium est tenere beatam Virginem non fuisse in peccato originali conceptam* ». Asserebat etiam: « Qui beatam Virginem sine peccato originali fuisse asserit, christianae fidei fundamenta subvertit », « Est dicere oppositum eius quod est per Ecclesiam determinatum ». Praeter rationes theologicas, Scripturasticas et Patristicas, Bandelli afferebat etiam testimonia 200 scriptorum famosissimorum, privilegio contraria. Auctoritate Syxti IV Romae magna et publica disputatio habita est anno 1475 iuxta Roskovány, o. c., t. 1, p. 411, (vel 1477 iuxta alios) inter quosdam sacerdotes saeculares et regulares, inter quos eminuit Franciscus Brixiensis, Minister Generalis O. F. M. Conv., qui a Syxto IV « vere

fortissimus *Samson* » conclamatus est. Anno 1477, die 27 februarii, Sixtus IV Constitutionem emisit « Cum praeclsa », festum Conceptionis nec non Officium Immaculae « Sicut lilium » et Missam « Egredimini » a Leonardo de Nogarolis composita, adprobavit.¹ Attamen Constitutio « Cum praeclsa » finem disputationibus imponere non valuit. Anno 1481 Hercules Estensis Ferrariae Dux, curavit ut publica disputatio Ferrariae coram se et Episcopo habendam, institueretur.² Inter oppositores eminuit celeberrimus Vincentius Bandelli, et inter defensores resplenduerunt Bartholomaeus Bellati a Feltria, O. F. M. Conv. († 1479), Caesarius Ferrariensis O. S. M. et Baptista Ferrariensis O. Carm. (cfr *Annal. Ord. Carm.*, t. 7, p. 90). Sixtus IV, die 4 octobris 1480, novum officium Conceptionis adprobabat a Bernardino de Bustis O. F. M. Obs., compositum. Tunc praecise V. Bandelli publici iuris fecit opus *Tractatus de singulari puritate et praerogativa Salvatoris nostri Iesu Christi ex auctoritate ducentorum sexaginta doctorum clarissimorum*, Bononiae, 1481. Iuxta ipsum asserere B. Virginem sine peccato originali conceptam fuisse, erat *impium*; marianum privilegium credere aut pertinaciter asserere et *assertive* praedicare, erat *illicitum*; sermonibus huiusmodi adistere erat *periculosum*. Festum Conceptionis de festo *sanctificationis* intelligebat, quando scilicet B. Virgo « fuit concepta Deo ». Tunc Sixtus IV, a. 1482, Bullam « Grave nimis » emisit, in qua declaravit, comminata excommunicationis poena, *falsas et erroneas ac a veritate alienas* assertiones dicentium festum agi de *sanctificatione* aut conceptione spirituali B. Virginis, et haeticos defensores piaee sententiae proclamantium. Actus iste, anno subsequenti rursus confirmatus, oppositorum ardores extinxit.

2) **A Sixto IV ad Alexandrum VII.** Oppositio iugiter minuit et pia sententia magis magisque profitetur, ita ut universalis fiat. Anno tamen 1494 oppositio renovata est a Petro de Vicetia O. P., et rursus a Vincentio Bandelli. Plures privilegii defensores surrexerunt. Piaee sententiae firmiter adhaeserunt: 1) Universitates Parisiensis (quae a. 1469 cuncta sua membra iuramento ad eius defensionem obligavit), Oxoniensis, Cantabrigensis, Tolosana, Bononiensis et plures aliae; 2) Ordines religiosi, fideles et pastores, ita ut saec. XVI Card. Caietanus († 1530) scribere potuerit: « Doctores tenentes b. Mariam esse praeservatam a peccato originali, sunt numero infiniti, si ad modernos spectemus »; et S. Petrus Canisius († 1597): « Qui secus modo sentiunt, eorum sane rarus est numerus ». Persistebat nihilominus opinio contraria. Elaboratio theologica in dies profecit. Quaestiones quae saec. XVI et XVII magis agitatae fuerunt, sunt: a) Immaculata Conceptio est ne iam veritas fidei vel saltem fieri ne potest veritas fidei?... Quodnam fuit in B. Virgine debitum contrahendi peccatum originale?... Fuitne *pro-*

¹ Cfr SERICOLI, o. c., pp. 33 s.

² L. c., p. 41.

ximum vel *remotum*? Quaestiones istae Theologorum inquisitionem in deposito fidei seu in S. Scriptura et Traditione valde foverunt.

In Concilio Trid. sess. 5, die 16 iunii 1546, Patres ad controversias vitandas, pro bono pacis hoc tantum statuerunt: « Declarat tamen haec ipsa sancta synodus, non esse suae intentionis, comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam et immaculatam Virginem Mariam Dei genitricem, sed observandas esse constitutiones felicis recordationis Sixti papae IV sub poenis in eius constitutionibus contentis, quas innovat » (*Acta*, pp. 233, 235, 238, 240).

Anno 1661, die 8 decembris, Alexander VII, in sua Costituzione « Sollicitudo omnium Ecclesiarum » *obiectum* praecisum festivitatis Conceptionis determinavit dicens: « Vetus est Christi fidelium erga eius beatissimam Matrem Virginem Mariam pietas, sentientium eius animam in primo instanti creationis atque infusionis in corpus, fuisse speciali Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Iesu Christi eius Filii, humani generis Redemptoris, a macula peccati originalis praeservatam immunem, atque in hoc sensu eius Conceptionis festivitatem solemni ritu colentium et celebrantium ». — Magnus, procul dubio, progressus; attamen, festum Immaculae Conceptionis nondum erat ad universam Ecclesiam extensum, et ideo certitudo privilegii nondum practice acquisita dici poterat.

3) **Ab Alexandro VII ad Pium IX.** (1667-1854). In hoc ultimo stadio, post novas oppositiones sive ex parte paucorum catholicorum inter quos eminent L. A. Muratori (1672-1750) qui fuit ultimus inter celeberrimos privilegii oppositores, ¹ triumphus definitivus cultus habetur per extensionem festivitatis Conceptionis ad universam Ecclesiam ope Bullae Clementis XI « Commissi nobis » die 6 decembris a. 1708. Ita privilegii moralis certitudo solemniter declarabatur, cum Ecclesia, iuxta principia communiter recepta, nonnisi de *sanctis* festum celebret. Doctrina ergo immaculae conceptionis iam suam certitudinem theologiam acquisierat. Remanebat ergo solummodo certitudinis fidei acquisitio. Gloria haec Pio IX reservabatur. A. 1849, Pius IX omnes Catholici orbis Episcopos rogavit « ut quid de definitione ferenda sentirent, quidve optarent », scripto aperirent; responsa accepit 543, quorum 484 definitionem petebant, 18 illam non esse faciendam tenebant, reliqui vero aut definitionem indirectam praeferebant aut de opportunitate dubii haerebant. Anno tandem 1854, die 8 decembris, vota fidelium et Pastorum obsecundans, Pius IX dogma Immaculae Conceptionis, solemniter definivit. ²

¹ Cfr ea quae scripsimus in *Marianum*, I (1939), 103-107.

² « Durò la promulgazione del dogma per lo spazio di otto minuti; ed il S. Padre, altamente commosso del grande atto che compieva, n'ebbe di tanto in tanto dal singhiozzo e dalle lagrime fatta fioca la voce ed interrotta la parola; singhiozzo e lagrime, che mirabilmente si comunicavano eziandio nei devoti astanti.

« Non è da omettersi, che nel punto in cui Sua Santità era per definire il dogma, un raggio di sole, proveniente dal finestrone esistente sopra l'altare di Maria SS^{ma} della Colonna, la di

IV - RATIONES THEOLOGICAE

« Innumerabiles pene sunt — scribit Card. Lépiciér o. c., p. 168 — rationes Theologicae, quae ad huius dogmatis probationem afferrí possunt ». Et reapse *Laurentius Opimus* O. S. M. iam saec. XIV 13 rationes theologicás afferebat. Attamen, omnes ad duo veluti capita, reduci possunt, videlicet: I) ad *possibilitatem* seu ad non repugnantiam et II) ad multiplicem *convenientiam*, sive 1) ex parte Dei, 2) sive ex parte ipsius Virginis, sive 3) ex parte generis humani.

I. Nulla est repugnantia, neque ex parte Dei, neque ex parte B. Virginis, neque ex parte generis humani.

1) Nulla habetur repugnantia EX PARTE DEI: a) non ex *parte Patris* qui est omnipotens, et efficere potest quidquid contradictionem non implicat. Iamvero miraculum Conceptionis Immaculatae nullam contradictionem implicat, quia Deus excipere potuit Matrem suam a lege communi.

b) Non ex *parte Filii*: per Immaculatam enim Virginis Conceptionem nullimode singulari eiusdem Filii *puritati* derogatur, cum modus conceptionis Christi singularissimus semper maneat, eo quia Christi conceptio sancta fuit ratione ipsius conceptionis (virginalis), B. Virginis conceptio e contra, sancta fuit non ratione ipsius conceptionis (quae modo communi facta est) sed ratione privilegii. Neque hoc privilegium derogat *efficaciae redemptionis Christi*, sed potius illam magis extollit, eo quia B. Virgo privilegium illud habuit ex virtute meritorum Christi, et ideo non solum fuit *redempta* et ipsa a Christo, sed etiam sublimiori modo redempta.¹

c) Nulla ex parte *Spiritus Sancti*, quia illam a culpa originali nedum purificare (post contractionem) potuit, sed etiam praeservare.

2) Nulla habetur repugnantia ex PARTE B. VIRGINIS quae, utpote creatura, est totaliter Creatori subiecta, qui in illa virtutem suae potentiae ostendere potest ubicumque terminorum implicantia non habetur. Atqui in miraculo Immaculatae

cui tenda, già dispiegata a schermo del sole stesso, erasi in quell'istante sollevata pel vento che spirava, venne ad investire colla viva sua luce la persona del S. Padre ed il trono pontificale; la qual cosa recò veramente in più di uno non piccola meraviglia pel tempo in cui era avvenuta, e non fu straordinaria o soprannaturale, come taluno per soverchia credulità pensò, ma considerevole per la circostanza » (SARDI, o. c., vol. 2, p. 428).

¹ « Idea *redemptionis praeservativae* nec nova nec veluti pro causae necessitate absque fundamento inventa; sed traditur a Scriptura et a Patribus. Nam (Ps. 85, 13) dicit Proph.: « Eruisti animam meam ex inferno inferiori ». Et (Ps. 143, 10): « Redemisti David servum tuum de gladio maligno ». Nec tamen in infernum inferiorem Propheta ceciderat, aut a gladio maligno caesus fuerat; sed quia periculum erat ne id fieret, et gratia Dei periculum illud evaserat; ideo gratias egit dicens: *Eruisti, Redemisti* etc. » (O. MAZZELLA, *Praelectiones Scholastico-Dogmaticae*, vol. 3, p. 239).

Conceptionis nulla terminorum implicancia habetur, quia exceptio bene fieri potuit.¹

Ergo...

Nec obiciatur privilegium hoc esse omnino *extraordinarium*, eo quia id quod pro nobis *extraordinarium* est, pro Beatissima Virgine omnino *ordinarium* apparet, cum ipsa ordinem a se constituat, supra communes leges elevata.

Nec dicatur privilegium conceptionis immaculatae esse omnino ultra limites. Tale enim esset pro omnibus aliis, minime vero pro beatissima Virgine. Deus enim aliquid magis excessivum ipsi contulit, videlicet maternitatem divinam. Dum enim Immaculata Conceptio ipsam supra homines peccatores, divina Maternitas ipsam supra omnes angelos elevat. Quisnam enim Angelus Deo dicere potest: Filius meus es tu, ego hodie genui te? Si Deus ergo illam supra omnes Angelos, per divinam Maternitatem exaltavit, a fortiori supra homines peccatores Illam exaltare debuit. Prior excessus alterum necessario, sicut abyssus abyssum, invocat. Unus tantummodo excessus in hoc timendus esset: excessus indifferentiae filii relate ad matrem suam.

Pulchre Bossuet: « Que si nous remarquons, au contraire, en elle une dispense presqu' générale de toutes les lois; si nous y voyons, selon la foi orthodoxe ou du moins selon le sentiment des docteurs les plus approuvés; si, dis-je, nous y voyons un enfante-ment sans douleur, une chair sans fragilité, des sens sans rébellion, une vie sans tache, une mort sans peine; si son époux n'est que son gardien, son mariage le voile sacré qui couvre et protège sa virginité, son fils bien-aimé une fleur que son intégrité a poussée; si, lorsqu'elle le conçut, la nature étonnée et confuse crut que toutes ses lois allaient être à jamais abolies; si le Saint-Esprit tint sa place, et les délices de la virginité, celle qui est ordinairement occupée par la convoitise; qui pourra croire qu'il n'y ait rien eu de surnaturel dans la conception de cette Princesse, et que ce soit le seul endroit de sa vie qui ne soit marqué par quelque insigne miracle »? (*I Serm. sur la Concept. de la S.te Vierge*, 1^{er} point).

¹ Immaculata Conceptio est veri nominis miraculum: etenim, est in re ista aliquid unde videretur quod aliter esse deberet. Nimirum, naturae cursu, anima B. Virginis, ex vi suae creationis atque infusionis in illam corpoream materiam, contrahere debuisset originale peccatum, quemadmodum illud de necessitate contrahunt quotquot ex vi seminalis rationis ab Adam oriuntur: unde, quod ex speciali privilegio, Maria sic exempta fuerit, ad miraculum pertinet, et quidem, ad miraculum primae classis, id est quoad substantiam facti. — Obicienti deesse, in hoc facto, rationem visibilitatis, quae ad miraculum, utpote ordinatum ad fidei manifestationem requiritur, — respondetur, primo, sat visibiliter apparere rem istam, non in se, sed in suis effectibus, id est in insigni sanctitate Virginis Deiparae, qua maior sub Deo non fuit nec est, et quae in eius vita et in eius operibus adeo splendide reluxit; secundo, pertinere miraculum istud potius ad classem eorum miraculorum, quae non ordinantur ad manifestationem fidei, sed de quibus est fides. — Quae cum ita sint dicendum est, conceptionem quidem B. Virginis, simpliciter acceptam, non fuisse miraculum, fuisse vero conceptionem, ut sic, immaculatam: cui contrarium in Christo evenit, in quo conceptio miraculosa fuit, non autem miraculo adscribitur quod sine peccato fuerit conceptus, cum non per seminalem rationem conceptus sit

3) Nulla habetur repugnantia EX PARTE GENERIS HUMANI, quia quamvis in Adam «omnes peccaverunt» (Rom., 5, 12), tamen illa vox «omnes» non necessario ita intelligi debet ut neminem excipere ea sinat. Non desunt enim in S. Scriptura et etiam in ipsis Epistolis S. Pauli exempla huius vocis, ita usurpatae, ut, si in illum sensum ea accipiant, falsa evadant. E. g. «*Omnis* autem homo mendax» (Rom., 3, 4), «*Omnes* declinaverunt, simul inutiles facti sunt» (ibid., 12), «*Omnia* mihi licent» (2 Cor., 6, 12; 10, 22, 23), «*Filii*, obedite parentibus per *omnia*» (Coloss., 3, 20). Licet ergo B. Virgo ad humanum genus pertineat, pro ipsa tamen exceptio locum habere potest, quamvis et ipsa, utpote ad genus humanum, per peccatum corruptum, pertinens, culpam originalem incurrere *debuisset*.

Ergo POTUIT Deus B. Virginem a macula originalis culpae praeservare. Immo praeremptio (i. e. redemptio praeservativa) etiam pro toto genere humano possibilis fuit; a fortiori ergo pro B. Virgine Matre Dei. Cui maius donavit, i. e. maternitatem divinam, ei donare *potuit* et minus, i. e. praeservationem a culpa originali. At, non solum potuit, sed etiam DECUIT.

II. Multiplex est convenientia.

1) **Conveniens est ex parte Dei:** 1) EX PARTE PATRIS: a) *Ratione specialis paternitatis:* B. Virgo enim, erat filia eius et quidem *primogenita* i. e. prima inter omnes eius filias, iuxta illud: Ego, ex ore Altissimi prodivi, *primogenita* ante omnem creaturam (Eccli., 24, 5). Hoc posito, conveniens fuit quod numquam sub Diaboli potestate fuisset sed semper sub Dei potestate. Ipsa ergo fuit «una et sola filia vitae» (S. Dionysium Alex. in Ep. contra Paulum Samos. MANSI, *Conciliorum Collectio*, 1, 1043). «*Maria è sola figlia della vita, a differenza delle altre che, nascendo in peccato, son figlie della morte*» (S. ALFONSUS, *Opere ascetiche*, vol. 6, *Le Glorie di Maria*, p. II, p. 10).

b) *Ratione proprii honoris:* ab aeterno enim Pater illam in Filii sui Matrem elegit; et ideo digna Mater Filii sui esse debuit, quia dedecus Filii, quem infinite diligit, in Patrem etiam redundat. Atqui non fuisset B. Virgo digna mater Filii Dei, ad ipsum speciali modo ordinata, si maculam peccati originalis incurrisset. Ergo...

Quae enim ad Dei servitium ordinantur, sancta et munda esse debent (S. Th., p. I, q. 36, art. 1, c.). «Come dunque possiamo pensare che Dio, potendo far nascere il Figlio da una madre nobile, con preservarla dalla colpa l'abbia voluta far nascere da una madre infetta dal peccato permettendo che Lucifero avesse potuto rinfacciarle l'obbrobrio d'esser nato da una madre sua schiava e nemica di Dio?» (S. ALFONSUS, l. c., p. 14).

c) *Ratione similitudinis:* etenim, Deus Pater illam in generatione Filii sui sibi sociavit, et ideo puritate sibi, qui est puritas et sanctitas per essentiam, similis, quantum fieri potuit, esse debuit. Intelligi enim nequit quomodo Filius, in tali

infinito puritatis abysson seu in sinu Patris aeternae conceptus et aeternae natus, conciperetur et nasceretur temporaliter in sinu Matris iam culpa foedato. Idem enim Filius, ab aeterno a Patre, et in tempore a Matre conceptus est. Similis ergo cum Patre in generatione eiusdem Filii, B. Virgo etiam in puritate Ei similis esse debebat, illa nempe puritate « qua maior sub Deo concipi nequit » (S. ANSELMUS, *de Conceptu Virg.*, c. 18, PL 158, 451). Secus fuisset iniuria sanctissimae generationi Patris illata, quam Pater nullimode permittere poterat.

« Sicchè ben potè dire l'eterno Padre a questa Figlia diletta “ Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias ” (Cant. 2, 2): Figlia, fra tutte le altre mie figlie tu sei come giglio tra le spine, giacchè quelle sono tutte macchiate dal peccato, ma tu fosti sempre immacolata e sempre amica » (S. ALFONSUS, l. c., p. 17).

2) EX PARTE FILII: a) *ratione suae sapientiae et potentiae*: si enim Dei Filius Matrem sibi elegisset seipso indignam (utpote macula originali foedatam), hoc fecisset vel ob defectum sapientiae (quia nescivit) vel ob defectum potentiae (quia non potuit); sed hoc asserere impium est. Igitur « fecit potentiam in brachio suo », et fecit ei « magna qui potens est », inde *ab initio* suae existantiae.

b) *Ratione filialis pietatis*: cum enim illam ab aeterno in Matrem suam elegisset conveniens erat ut illam crearet undequaque et semper dilectione dignam, nihilque in ipsa esset quo propensissimus eius amor in ipsam aut interrumpere-tur aut infirmaretur. Iamvero, si B. Virgo in peccato originali, etiam per unum temporis instans fuisset, Dei Filii dilectio, saltem per illud instans interrupta fuisset quia tunc filia irae et ideo odio digna erat. Amor ergo Filii Matrem protexit. Ex quo Matrem suam a peccato praeservare potuit, convincitur quod hoc fecerit. Si enim filius posset sibi matrem pro libitu eligere, non servam sed liberam imo reginam, non ignobilem sed nobilissimam et omnibus praerogativis ornatam certissime eligeret.

c) *Ratione filialis obsequii*, iuxta illud: « honora patrem tuum et matrem »: iamvero, honori Matris suae non bene consulisset, si ab ignominia a qua praeservare potuit non praeservavit.

« A tutti gli altri figli non si concede di potersi scegliere la madre secondo il loro piacere; ma se a taluno ciò mai si concedesse chi sarebbe quello che potendo averla nobile, la volesse villana? potendo averla amica di Dio, la volesse nemica? Se dunque il solo Figliolo di Dio potè eleggersi la Madre conforme gli piaceva, ben dee tenersi per certo che se la scegliesse qual conveniva ad un Dio. Così parla S. Bernardo: “ Nascens de homine Factor hominum talem sibi debuit eligere matrem, qualem se decere sciebat ”. Ed essendo ben decante ad un Dio purissimo l'averne una madre pura da ogni colpa, tale appunto se la fece... » (S. ALFONSUS, l. c., p. 17).

Ergo « sicut Unigenitus in caelis Patrem habuit quem Seraphim ter sanctum extollunt, ita Matrem haberet in terris quae nitore sanctitatis numquam caruerit » (*Bulla Ineffabilis*).

d) *Ratione segregationis a peccatoribus*: Christus enim nedum a peccatis sed etiam « a peccatoribus » iuxta S. Paulum (Hebr. 7, 26) *segregatus* esse debebat, quia peccatum tollere venerat. « Oportuit eum qui peccata venerat tollere, esse a peccatoribus segregatum quantum ad culpam cui Adam subiucuit, et quem Christus a *suo delicto* eduxit, ut dicitur in Sap. 10, 2 » (S. Th., 3, q. 4, a. 6, ad 2). At, quomodo Christus dici potuisset segregatus a peccatoribus si matrem ipsam peccatorem habuisset?...

e) *Ratione dignitatis suae*. Etenim, « Gloria filiorum patres (et matres) eorum »; et ideo ignominia matris suae, ex diaboli servitute orta, in Filium ipsum redundasset. Ergo « talem creavit eam ut ipse digne nasci potuisset ex ea » (S. PETRUS DAMIANI, *Homil. in Nativ. B. M. V.*, sermo 46, PL 144, 755).

« Non fu già d'obbrobrio a Gesù il sentirsi chiamare dagli Ebrei figlio di Maria per disprezzo, come Figlio di una povera donna; "Nonne mater eius dicitur Maria"? (Matth., 13, 55), mentr'egli venne in terra a dare esempi d'umiltà e di pazienza. Ma senza dubbio all'incontro gli sarebbe stato d'obbrobrio, se da' demoni avesse potuto sentirsi dire: "Nonne mater eius extitit peccatrix?". E che forse egli non è nato da una madre peccatrice ed un tempo nostra schiava? Anche indecenza sarebbe stata il nascere Gesù Cristo da una donna deforme e storpiata di corpo, oppure nel corpo invasata da' demoni. Ma quanto più poi il nascere da una donna deforme un tempo nell'anima, e nell'anima invasata da Lucifero? Ah che questo Dio ch'è la stessa Sapienza ben seppe fabbricare in terra quale gli si conveniva quella casa dove doveva abitare: "Sapientia aedificavit sibi domum" (Prov., 4, 1) "Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus" (Ps., 45, 5, 6) » (S. ALFONSUS, l. c., p. 23).

f) *Ratione perfectissimi mediatoris*. Christus est *perfectissimus Mediator*. Atqui « perfectissimus Mediator habet perfectissimum actum mediandi possibilem respectu alicuius personae, pro qua mediatur; ergo Christus habuit perfectissimum gradum mediandi possibilem respectu alicuius personae, respectu cuius erat mediator; respectu nullius personae habuit excellentiorem gradum quam respectu Mariae; igitur etc.; sed hoc non esset nisi meruisset eam praeservare a peccato originali » (SCOTUS, *Op. Oxon.*, l. 3, d. 3, 3, q. 1, apud BALIÉ, o. c., p. 23).

Crescit vis argumenti si consideretur quod « Primogenita Redemptoris Filii sui fuit beata Virgo. Et plus pro ipsa redimenda venit quam pro omni alia creatura » (S. BERNARDINUS SEN., *Sermo de Immac. V. Conc.*, art. 3, c. 3, Op. Venetiis 1745, 4, p. 88).

g) *Ratione exuberantiae operis salvifici*. Etenim, iuxta S. Paulum, « non sicut delictum, ita et donum »: quae verba exuberantiam operis salvifici, prae Adamicam ruina, innuunt. Iamvero, haec exuberantia operis salvifici exostulare videtur quod sit quaedam creatura quae de Christo Redemptore quam maxime participaverit, nihil vero de Adamico influxu, nisi debiti ligamen. Haec autem creatura nulla alia esse debuit quam ipsius Redemptoris Mater.

h) *Ratione summae obligationis.* Conveniens est ut saltem aliqua persona sit *summe* Christo obligata, conferendo illi summum bonum quod potest per mediatorem haberi. At hoc summum bonum est *praeservatio* a culpa originali *contrahenda*. Ergo...

« Nulla persona summe tenebitur Christo ut mediatori si nullam praeservavit a peccato originali. Et si dices quod aequaliter tenetur persona, cui *remittitur* peccatum, quantum persona, quae *praeservatur* a peccato, propter illud Luc. 7: “ Cui magis dimittitur, magis diligit ” quare ibi responsionem Augustini, quod omnia non commissa, sunt dimissa, ac si essent commissa. Imo excellentius beneficium est praeservare a malo, quam permittere incidere in malum, et ab eo postea liberare. Videtur enim quod, cum Christus multis animabus meruit gratiam et gloriam, et pro his sint Christo debitores ut mediatori, quare nulla anima erit debitorum pro innocentia? Et quare, cum omnes angeli beati sint innocentes, nulla humana anima erit innocens in patria, nisi sola anima Christi? » (SCOTUS, *ibidem*, pp. 26-27). Dum ergo alii habuerunt *liberatores*, B. Virgo *praeliberatores* habuit prout dicit Card. Cusanus (in op. « *Exercitationes ex sermonibus R. P. Nicolai de Cusa* », lib. 8, ex Serm.: « sicut lilium inter spinas » Opera, 1514, fol. 153).

i) *Ratione communicationis carnalis.* Corpus enim Verbi Incarnati ex ipsa carne Virginis a Spiritu Sancto formatum est. Iamvero, concipi nequit quod caro Virginis, ex qua caro Christi sumpta est, animae peccato laetali contaminatae et ideo Dei inimicae, diabolo subiectae, aliquamdiu unita fuerit. ¹

3) EX PARTE SPIRITUS SANCTI: a) *Ratione spiritualis connubii:* B. Virgo enim, iuxta Dei aeternum consilium, non est tantum Dei Mater sed etiam electa Spiritus Sancti Sponsa: Spiritus S. enim, ut sponsus, prolem divinam illi dare de-

¹ Ratio haec perpulchre exposita fuit in poemate quodam italico a iuvene quodam 12 annorum a daemone possesso confecto durantibus exorcismis, anno 1821.

Vera Madre son io d'un Dio ch'è figlio.
 E son figlia di Lui, benchè Sua Madre;
 Ab eterno nacqu'Egli, ed è mio figlio.
 In tempo io nacqui, eppur gli sono Madre.
 Egli è mio Creator, ed è mio figlio;
 Son io Sua creatura e gli son Madre.
 Fu prodigio divin l'esser mio figlio
 Un Dio eterno, e me aver per Madre.
 L'esser quasi è comun fra Madre e figlio;
 Perchè l'esser dal figlio ebbe la Madre.
 E l'esser dalla Madre ebbe anche il figlio.
 Or, se l'esser dal figlio ebbe la Madre,
 O s'ha da dir che fu macchiato il figlio,
 O senza macchia s'ha da dir la Madre.

bebat, iuxta illud: « Spiritus sanctus superveniet in te etc. ». Iamvero, maximi momenti est pro quolibet sponso quod sponsa eius sit puritate semper ornata, a qualibet ignominia immunis et quod nulli, praesertim ex hostibus sponsi subiacuerit. Sic, si princeps decrevisset sumere sibi in sponsam alterius principis filiam, curaret certe quantum posset, ut honestissime et nobilissime inde ab initio rationis educaretur; a fortiori id facere debuit Spiritus Sanctus relate ad futuram sponsam. Ergo, summe conveniens erat ut illam ab originali labe praeservaret. Eo vel magis quod ipsemet Spiritus S. suam sponsam efformare sibi debebat.

« Se un eccellente pittore, — scribit S. Alfonsus — avesse mai a sortir la sua sposa bella o deforme, qual egli medesimo se la dipingesse, qual diligenza ei mai non porrebbe a farla quanto più bella potesse? Chi dunque può dire che lo Spirito Santo abbia operato altrimenti con Maria, che potendo Egli stesso farsi questa sua sposa tutta bella quale gli conveniva, non l'abbia fatto? No, che così gli conviene e così ha fatto, come attestò il medesimo Signore quando lodando Maria le disse: " Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te " (Cant. 4, 7) » (l. c., p. 29).

b) *Ratione specialis dilectionis*: Divinus enim sponsus, Amor substantialis Patris et Filii, i. e. Spiritus S., inde a Virginis initio, « plus amat Virginem quam reliquos sanctos omnes » (SUAREZ, *De Incarn.*, pars II, d. 18, sect. 4, Opera omnia, 17, Venetiis 1746, p. 154, col. 1). Et ideo, inde ab eius initio, singularissimam gratiae plenitudinem ei dare debuit, et praesertim ab originali labe praeservare.

Rationes congruentiae superius allatae ita paucis perstrinxit S. Anselmus: « Decens erat, ut ea puritate, qua maior sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret, cui *Deus Pater* Filium suum ita dare disponebat, ut naturaliter esset unus idemque communis Dei Patris et Virginis Filius; et quam *ipse Filius* substantialiter facere sibi Matrem eligebat; et de qua *Spiritus Sanctus* volebat, et operaturus erat, ut conciperetur et nasceretur ille, de quo ipsa procedebat » (*De Conc. Virg.*, c. 18, PL 158, 451).

II. Conveniens fuit ex parte ipsius Virginis.

a) *Ratione divinae Maternitatis*. Etenim Maria fuit *limus*, ex quo secundus Adam formatus est; decuit autem ut ille limus puritate adaequaret illum ex quo primus Adam formatus fuerat. Insuper: Omnis arbor ex fructu suo dignoscitur. Atqui fructus i. e. Christus, fuit immaculatus; ergo et arbor i. e. Beata Virgo immaculata esse debuit. « Talis ergo Agnus qualis Mater Agni; ex munda mundus, ex Virgine incorruptus... Quoniam omnis arbor ex fructu suo dignoscitur » (*De Verbo Incarnato Collationes seu Disputationes tres*, Collatio 3, inter opera Hugonis a S. Victore, PL 177, 321). Unde idem auctor exclamat: « O digna digni, formosa pulchri, munda incorrupti, excelsa Altissimi! » (*Sermo de Assumptione B. Virg.*, inter opera Hugonis a S. Victore, PL 177, 1212).

b) *Ratione perfectae similitudinis cum Filio.* Decebat enim ut quodlibet obstaculum perfectae similitudinis inter Filium et Matrem, — quale est peccatum originale — quantum fieri posset e medio tolleretur.

c) *Ratione suae missionis.* B. Virgo enim esse debebat iuxta Dei aeternum consilium, *nova Eva*, quae, simul cum Christo, et sub Christo, novo Adamo, prioris Evae casum reparare debebat, daemonis fraudes superare, omnes alios a servitute liberare, Deo reconciliare ac supernaturalem vitam omnibus redemptis, tamquam Corredemptrix, subministrare. Atqui ad hoc ut posset prioris Evae reparare casum, oportebat ut ipsa nunquam fuerit per peccatum originale lapsa; ad hoc ut daemonis fraudes superare posset, oportebat ut nunquam fuerit ab ipso superata; ad hoc ut alios posset liberare, oportebat ut nunquam sub illius servitute fuerit; ad hoc ut Deo omnes reconciliaret, nihil prorsus in se habere debuit quo Deo ingrata redderetur; ad hoc ut vitam omnibus infundere posset, oportebat ut ipsa nunquam vita illa supernaturali, per peccatum, caruerit. Ergo B. Virgo, utpote nova Eva, et Corredemptrix, a macula originalis peccati immunis esse debuit. « Et haec est quidem — iure animadvertit Card. Lépicier — propriissima ratio cur Beata Virgo immaculata esse debuerit: ceterae quippe rationes suadendi, non cogendi vim habent » (o. c., p. 172).

d) *Ratione plenitudinis gratiae et aliorum privilegiorum,* quae, ab initiali sanctitate separata, haud sufficienter explicarentur. Gratia initialis B. Virginis excedit gratiam omnium aliorum, et talem plenitudinem exhibet quae soli plenitudini Christi inferior est, et cuius mens nostra limites percipere nequit. Supposita vero conceptione sine gratia et ideo in peccato, mens nostra limites gratiae B. Virginis facile percipere posset, quin ad Christi plenitudinem usque necessario ascendat. Exemptio ergo a culpa originali nos apparet velut pars integrans oceani gratiarum quae sanctitatem Deiparae constituit. Quinimmo omnia alia Virginis privilegia sine hoc privilegio veluti obscurata apparent.

« Si enim originem, primaeva culpa maculatam, Virgo sicut ceteri homines sortita uisset, quantumvis postea hac culpa emundatam eam Deus praegrandibus atque infabulibus gratiae suae donis ditasset, non tamen his omnibus deleri atque abstergi ex ipsa illud dedecus potuisset, quod sordidior origo nunquam non solet afferre ac veluti notam inurere. Quid enim? Esset quidem illa caeli regina, sed quae olim inferno fuisset subdita; esset mater gratiae, sed olim filia irae; esset peccatorum advocata et patrona, sed olim et ipsa peccatrix; esset caeli ianua, sed olim ab huius ingressu exclusa; esset Verbi Divini genitrix, sed quocum inimicitias olim habuisset; esset Sancti Spiritus sponsa, sed olim serpentis antiqui laqueis implicata; esset adoptiva aeterni Patris Filia, sed olim diaboli servitio mancipata. Quae quidem piorum hominum non modo aures audire, sed et mentes cogitare refugiunt ac reformidant » (*Silloge degli argomenti*, etc. apud SARDI, o. c., vol. 2, p. 46). Iure Suarez scribebat: « Negando Virgini hoc privilegium, enervatur omnis ratio affirmandi quodlibet aliud simile » (l. c., col. 475).

e) *Ratione defectus maioris boni requisiti pro permissione lapsus.* « Nam, Deus non permittit lapsum in culpam, nisi propter maius aliquod bonum, ut tradit Dionysius cap. 4, De divin. nom., et Augustinus in Enchiridio, et per se constat ex bonitate Dei: sed permittere in Virgine hunc lapsum, in B. Virgine non solum non affert maius aliquod bonum, sed etiam impediret multa, et perfectissima bona, quae in praecedentibus rationibus explicata sunt.

Dicetur forte: Propter humilitatem Virginis permisisset hoc; sed contra, primo quia illa ratione deberet etiam permitti Virgini, actualiter aliquando peccare, quia est maior occasio humilitatis, quia habet magis de proprio defectu voluntario: deinde cum humilitas oriri possit ex experientia culpae, vel ex perfecto lumine supernaturali, et cognitione Dei, et propriae conditionis et naturae; in B. Virgine non ponendus est prior modus, sed posterior, qui est multo perfectior, qui etiam fuit in Christo Domino, cui oportuit Virginem esse maxime similem » (SUAREZ, *Tractatus theologicus de Immaculata Conceptione B. M. V.*, apud BOURASSÉ, *Summa Aurea*, t. 8, col. 476).

f) *Ratione immunitatis a peccato veniali.* « Si tanta est maternitatis divinae excellentia, ut, secundum Patrum et Ecclesiae sensum, B. Virgo in decursu vitae suae mortalis, numquam debuerit ulla peccati, etiam *venialis* labe commaculari, multo magis debuit originali macula carere, cuius effectus exitior longe evadit, quam effectus peccati venialis, cum illud privet hominem amicitia Dei, non autem istud » (Card. LÉPICIER, o. c., p. 171). Eo vel magis quod, iuxta doctrinam S. Augustini, inter peccatum originale et actuale est certa et infallibilis connexio.

g) *Ratione tituli Reginae Angelorum:* « Angelis aliis peccantibus, bonos a peccatis servavit, et feminam Matrem suam mox futuram, ab aliorum peccatis exortem servare non valuit? In aeternitate consilii fixum statuit, eam dominatricem et *reginam* fore *Angelorum*, et nunc inferiorem Angelis natam et *consortium acceptam esse credemus* omnium peccatorum? » (EADMERUS, *De Conceptione B. M. V.*, PL 159, 307).

Certe incongruum est ut Angeli undequaque fideles, illi parerent quae aliquando, licet per brevissimum instans, angelorum infidelium potestati subiecta fuisset.

h) *Ratione proportionis privilegiorum.* Scimus enim ex S. Scriptura Ieremiam et Ioannem Baptistam in utero matris, antequam nascerentur, sanctificatos fuisse. Iamvero, B. Virginis excellentia ad ordinem longe altiorem pertinet quam excellentia utriusque prophetae. Ergo oportuit ut per privilegium altioris ordinis B. Virgo ante nativitatem sanctificaretur. Hoc autem privilegium altioris ordinis non aliud esse potest quam praeservatio a culpa originali. « Si igitur Ieremias... in vulva est sanctificatus, et Ioannes... Spiritus Sancti ex utero Matris repletus, quis dicere audeat, singulare totius saeculi propitiatorium, ac Filii Dei omnipotentis dulcissimum reclinatorium, mox in suae conceptionis exordio Spiritus Sancti gratiae illustratione destitutum? » (EADMERUS o. c., c. 305).

i) *Ratione immunitatis ab effectibus peccati originalis.* B. Virgo enim praeservata est ab illis omnibus consequentiis peccati originalis quae in dedecus vergunt et quibus Filius eius subiaceri noluit. In ipsa enim nullus carnis stimulus; nulla vel levissima culpa semideliberata; maternitas eius sine dolore fuit, corpus eius absque corruptione sepulcri, et omnium coronidis instar, Maria, mater effecta est absque detrimento virginitatis. Iamvero, haec omnia privilegia proprias radices in privilegio Immaculae Conceptionis habent, quorum veluti complementum apparet. Etenim, stimulus carnis, communis peccandi fragilitas, dolores maternitatis, corruptio sepulchri sequelae sunt peccati originalis; si ergo in B. Virgine non inveniuntur, evidens est quod neque eorum causa, i. e. originale peccatum, in ipsa inveniri debebat. Si illam a putredine corporis liberavit, quanto magis a putredine animae illam liberare debebat?... Deiparae virginitas certe ex immaculata conceptione non profluit; attamen illam valide confirmat. Ad hoc enim ut digna Mater Dei esset, Virgo nedum corpore sed etiam et praesertim anima esse debebat. Sed virginitas animae, quando est perfecta, immunitatem a qualibet peccati macula postulat. Iamvero, si Deus, omnibus naturae legibus derogavit ad hoc ut Mater eius virginitatem *corporis* intactam servaret, a fortiori legibus iustitiae derogare debuit ad hoc ut Mater eius virginitatem *animae* servaret, quae pro Matre et etiam pro seipso maioris gloriae est. Eo vel magis quod virginitas animae, principium et custos virginitatis corporis esse debebat.

l) *Ratione comparationis cum aliis.* Conveniens est ut, quod aliis (i. e. servis) concessum est, Deiparae (i. e. Reginae) non negetur. Atqui alii etiam creati fuerunt cum iustitia originali (e. g. Adam, Eva, Angeli). Ergo et B. Virgo. Etenim, « non minus fuit digna creari cum iustitia originali, quam fuerit Adam dignus creari cum ipsa iustitia originali » (OPIMO O. S. M., *Comm. in Libros Sent.*, p. 11). Imo, a fortiori, eo quia longe maior est Matris Dei sanctitas, inde ab eius conceptione, quam sanctitas cuiuscumque, etiam supremi, inter Angelos.

m) *Ratione comparationis cum Ecclesia.* B. Virgo a SS. Patribus et ab ipsa Liturgia Ecclesiae comparatur, ob evidentissimam analogiam quae inter utramque deprehenditur. Atqui Ecclesia ob specialem dilectionem Christi est semper « Sancta et immaculata » (Ephes., 5, 27). Ergo et B. Virgo, semper, inde a sua conceptione, sancta et immaculata esse debuit.

II. Conveniens fuit ex parte Generis humani:

a) *Ratione gloriae generis humani:* « Multum enim spectat ad hominum gloriam, et quasi ad complementum beneficiorum Dei, ut sit non solum aliqua humana natura in Christo, sed etiam aliqua persona creata humana in B. Virgine perpetuo innocens, et numquam captiva daemonis; quod etiam suo modo pertinet quasi ad complementum gloriae regni beatorum, tum ob dignitatem Reginae, tum etiam ut in illo regno splendeant omnia genera gratiarum et miseri-

cordiarum Dei » (SUAREZ, *Tractatus Theologicus de Immaculata Conceptione B. M. V.*, apud BOURASSÉ, *Summa Aurea*, t. 8, col. 476). Insuper gloria Matris in filios redundat, imo in totam humanam familiam, et ideo Virgini immaculatae vere dicere possumus: « Tu honorificentia populi nostri ».

b) *Ratione utilitatis pro genere humano.* Ex hoc enim privilegio, genus humanum suae dignitatis sensum rursus accipere potest, promotis etiam undequaque iis quae ad hominis perfectionem in religiosa civilique cultura pertinent (cfr ANIVITTI, *Dei vantaggi che il culto dell'Immacolata Concezione ha recato alla scienza, alla letteratura, all'arte, alla civiltà*, Roma, 1848).

Ergo *decurit* et quidem multipliciter, quod Deus B. Virginem a peccato originali praeservaverit. Agitur vero non de simplici convenientia, id est de convenientia *rei factae*, sed de convenientia *rei faciendae* cuius oppositum *inconveniens* fuisset. Exc. mus Tizzani, qui definitioni dogmaticae Immaculatae Conceptionis contrarius erat, scribere non dubitavit: « Gli argomenti teologici ossia di congruenza sono per me tali e tanti da persuadermi essere stata veramente Maria concepita senza peccato originale » (cfr SARDI, o. c., vol. 1, p. 713).

Si ergo Deus *potuit* B. Virginem a labe peccati originalis praeservare; si *decurit* ut hoc faceret; Ergo — concludere possumus — *fecit*. Vere igitur « Signum magnum apparuit in caelo: Mulier amicta sole et luna sub pedibus eius et in capite eius corona stellarum duodecim » (Apoc., 12, 1). B. Virgo est *amicta sole*, quia luce gratiae seu luce Filii sui, solis aeterni et indeficientis undequaque perfusa. Consequenter B. Virgo *habet lunam sub pedibus eius*, quia iugiter qualibet macula caruit et ideo iugiter lunam calcavit quae emblemata est candoris instabilis et cum macula mixti. Est in capite eius *corona stellarum duodecim* quia ipsa, fulgoribus solis i. e. gratiae iugiter perfusa et ideo qualibet peccati macula iugiter carens, omnium sanctorum agminibus ex duodecim tribubus spiritualis Israel congregatis, ut regina praesidet. Hoc autem signum, vere magnum, in caelo Ecclesiae fulgidior apparuit cum singulare Virginis privilegium solemni oraculo proclamatum est, quod oraculum B. Virgo mirabiliter confirmare dignata est cum S. Bernardinae Soubirous ad rupem Massabielle apparens, respondit: « *Je suis l'Immaculée Conception!* ». Definitio caeli definitionem terrae confirmabat.

APPENDIX

DE POSITIONE B. M. VIRGINIS CORAM LEGE
PECCATI ORIGINALIS

BIBLIOGRAPHIA: ANON., *La Bienheureuse Vierge était elle comprise dans le décret qui nous rendait solidaires du péché d'Adam?* in *Ami du Clergé*, 40 (1923) 429; EVARISTO DE LA VIRGEN DEL CARMEN, *Sobre el débito del pecado original en Maria*, in *Estudios Marianos*, 5 (1946) 293-308.; LE BACHELET, in *Dict. Théol. Cath.*, t. 7, coll. 1156-1160; IANSENS L., O. S. B., *De Deo-Homine*, 2, pp. 34-40; NAULAERTS I., *An fuit in. B. M. Virgine debitum contrahendi peccatum originale?*, in *Vie Diocés.*, 15 (1926) 584-586; OCERIN JAUREGUI B., O. F. M., *Exención del débito y del « fomes peccati » en la V. Maria*, in *Verdad y Vida*, 5 (1947) 419-451; PESCH CH., *Praelectiones Dogmaticae*, 3, nn. 297-299; VAN HOVE., in *Mariale Dagen van Tongerlo*, 7 (1937), pp. 75-87, ubi ampla bibliographia invenitur — Alia scripta in decursu tractationis laudantur.

1) **Tractationis ratio.** Omnes norunt Adam, ob praecepti divini transgressionem, peccatum gravissimum superbiae commisisse quod ad omne genus humanum transmisit per generationem id est per viam originis ab ipso, per virtutem instrumentalem seminis. In Gen. enim (2, 16, 17) clare refertur sive praeceptum divinum eiusque sanctio: « Praecepitque ei dicens: ex omni ligno paradisi comede. De ligno autem scientiae boni et mali ne comedas; in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris »; sive transgressio praecepti: « Mulier... tulit de fructu ... et comedit, deditque viro suo qui comedit » (Gen., 2, 17, 3, 16).

Ob hanc transgressionem praecepti divini omnes homines, ratione solidaritatis cum Adamo, capite naturae, in Adam peccaverunt et in Adam moriuntur (Rom., 5, 12-19).

Existit ergo lex contrahendi peccatum originale ex parte descendentium ex Adam per viam generationis. Iure quaeritur, igitur, quomodo se habeat B. Virgo relate ad hanc legem, utrum nempe sit in ipsa *inclusa vel exclusa*.

2) **Tractationis momentum** ex hoc patet quod ex huius quaestionis solutione sive dignitas Deiparae sive Immaculatae Conceptionis cum universalitate redemptionis conciliatio dependet.

3) **Quid et quotuplex sit debitum peccati.** *Debitum* peccati (quod contraponitur *actui* peccati) definiri potest: ratio necessariae traductionis peccati originalis in Adae posteris existens, ob eorum originem, per seminalem rationem, ab ipso.

Debitum vero distingui solet in *proximum* et *remotum*, secundum quod ponatur B. Virginem *inclusam* fuisse (debitum proximum) vel *exclusam* fuisse (debitum remotum) ab ipsa lege contrahendi peccatum originale, intuitu meritorum Christi Redemptoris.

Si ergo Deus *inclusisset* B. Virginem in *lege* qua statuit ut, Adamo peccante, omnes posteri eius (per seminalem rationem ab ipso procedentes) iustitia originali privarentur, tunc B. Virgo non solum incurrisset debitum remotum *ratione humanae naturae* ab Adam derivatae per naturalem generationem, sed etiam *ratione suae personae* in illa lege inclusae.

Si vero Deus *exclusisset* B. Virginem ab *ipsa lege* contrahendi peccatum originale, tunc habuisset tantummodo debitum *remotum* contrahendi peccatum originale, id est, solummodo ratione humanae naturae ab Adam (ob redemptionem hominum) derivatae. In hoc casu Adam gratiam amisisset pro omnibus suis posteris, non vero pro B. Virgine, quae speciali privilegio, intuitu meritorum Christi ei collato, a tali lege communi excepta fuit.

Posito vero debito *proximo*, et ideo posita inclusione Virginis in lege contrahendi peccatum, B. Virgo exclusa tantum fuisset *ab applicatione* legis. In hoc casu, ergo, Adam, suo peccato, amisisset gratiam etiam pro B. Virgine, quae tamen, in ipso instanti unionis animae cum corpore, speciali Dei privilegio, intuitu meritorum Christi collato, a macula peccati incurrenda praeservata fuit.

Obiectum *directum*, igitur, decreti divini, iuxta assertores debiti *remoti*, fuisset *exemptio ab ipso decreto* et ideo ab ipso debito proximo incurrendi peccatum originale; iuxta vero assertores debiti *proximi*, fuisset *exemptio ab applicatione* decreti seu ab ipso peccato originali proprie dicto.

Hinc, debitum *remotum* appellari potest, et de facto appellatum est debitum *conditionatum, in potentia, debitum debiti* (peccandi); dum e contra debitum *proximum* appellari potest et de facto appellatum est debitum *absolutum, in actu, debitum peccati*.¹

¹ Praestat terminos istos ulterius explicare, ad plenioram quaestionis intelligentiam.

Debitum REMOTUM, ita appellatur, quia ex ipso remote seu *mediate* tantummodo contractio culpae sequeretur; id enim quod *immediate* ex debito remoto sequitur, est contractio debiti contrahendi peccatum, et hoc debito *mediate*, contractio *ipsius peccati*. — Appellatur etiam: a) debitum *conditionatum*, quia ad ipsum *conditionate* tantummodo (non vero absolute) sequeretur peccatum, id est, *si* fuisset inclusa in ipsa lege transmissionis peccati originalis; b) debitum *in potentia* quia non est proprie *debitum peccati* sed debitum *debiti*.

Debitum vero PROXIMUM, ita appellatur, quia ex ipso proxime seu *immediate* sequeretur peccatum, nisi impediatur. Appellatur etiam: a) debitum *absolutum*, quia ad ipsum *absolute* sequeretur peccatum, ob inclusionem in lege transmissionis peccati; b) debitum *in actu*, quia est debitum *ipsius peccati*, non vero debitum *debiti*.

4) **Theologorum sententiae.** 1) *Sententia excludens quodlibet debitum.* Card. Petrus Colonna O. F. M., Galatinus appellatus, opinatus est in Adam et in aliis Patribus, relictam fuisse particulam carnis quae pura conservata fuisset, et formandis corporibus Christi eiusque SS. Matris destinata (*De arcanis catholicae veritatis*, l. 7, Ortona, 1518). At «vana haec et omnino fabulosa» theoria, prout illam appellat Catharinus (*Disputatio pro veritate immaculatae conceptionis B. V. M.*, Senis, 1532, l. 1, p. 142)¹ rabbinicae originis, excluderet omnino quodlibet debitum, sive proximum sive remotum, contrahendi peccatum originale, et ideo etiam quemlibet Redemptionis influxum.

Excluderetur pariter quodlibet debitum in sententia de praedestinatione absoluta Deiparae antecedenter ad praevisionem lapsus primi hominis et simul *absque ulla relatione cum conditione parentum a quibus ortum acceptura esset.*

Hanc sententiam tenuit Ambrosius Catharinus O. P. (*Annotationes in commentaria Caietani*, Lugduni 1143, 290; *De casu hominis et peccato originali*, *Opuscula*, Lugduni 1542, 193), Ioseph Anglés, O. F. M. (*In III Sent.* par. 2, dist. 31, q. 1, App. 6), FRANCISCUS HERRERA, O. F. M. (*Relectio 3 in Scotum*, l. 2, Sent., disp. 24, q. 9), P. DIDACUS MURILLO, O. F. M. (*Vida y Excelencias de la Madre de Dios*, I, Lerida, 1916, pp. 50-59). Saeculo vero XVII, anno 1615 Fr. Ioannes Soria O. F. M. et Fr. Franciscus Fresno O. F. M., in Conventu Toletano, in publica quadam disputatione, sibi quaestionem proposuerunt: «Utrum Virgo Deipara contraxerit debitum incurrendi peccatum originali». Et responsio fuit: «Conclusio est negativa» (cfr FRANCISCUS DEL CASTILLO VELASCO, *De Incarnatione Verbi Domini et Praeservatione Virginis Mariae ab originali*, Antwerpiae, 1641, 525 s.). At ambo delati fuerunt Tribunali Inquisitionis Toletanae. Auditis Theologis praecipuarum Universitatum Hispaniae (Alcalá, Salamanca, Cordoba, Sevilla et Granada) adunatum fuit Supremum Tribunal Inquisitionis Matriti die 22 ianuarii 1616, praeside Archiepiscopo Toletano Bernardo Rojas, et

¹ En verba Galatini: «Quod Mater Messiae non fuerit in peccato originali concipienda; et quod ipsa fuit ante peccatum Adae secundum *materiam* creata, et *caro* ipsius semper ab omni macula peccati praeservata. Ad quorum declarationem notandum est, quod opinio quorundam veterum iudaeorum fuit, *Matrem Messiae* non solum in mente Dei ab initio et ante saecula creatam fuisse, ut paulo superius dictum est; verum etiam *materiam* eius in *materia* Adae fuisse productam, ipsamque gloriosam Messiae Matrem principalem exitisse causam cur eius amore (ut dictum est) mundus creatus sit. Nam cum Deus Adam plasmaret, fecit quasi *massam*, ex cuius parte nobiliori accepit intemeratae Matris Messiae *materiam*... quae postea emanavit ad Seth; deinde, ad Enos; deinde, succedaneo ordine, ad reliquos, usque ad S. Ioachim. Ex hac demum virtute Beatissima Mater Messiae formata fuit... Ex qua quidem opinione aperte concluditur carnem gloriosae Matris Messiae non fuisse peccato originali infectam, sed purissimam a Divina Providentia praeservatam. Quocirca nec anima eius huiusmodi peccatum in conceptione contractura fuit».

Ex hac opinione Galatini, desumpsit procul dubio Rosmini suam doctrinam circa Immaculatam Conceptionem. (Prop. 34 inter 40 propositiones damnatas a S. Officio a. 1887).

ita decretum est: « Propter quod supremum Inquisitionis tribunal definit propositionem hanc defendi posse: Quod B. Virgo Maria etiam nec in primis parentibus fuit obnoxia peccato originali » (cfr IOANNES PERLINUS, *Apologia Scholastica sive controversia Theologica pro magnae Matris ab originali debito immunitate*, Lugduni, 1630, 117). Circa idem tempus etiam in Conventu Minoritico loci Alcalá de Henares, disputatio quaedam locum habuit, dirigente P. Antonio de Velasco O. F. M., in qua Henricus Villegas, Albornoz et Aloysius Montesino immunitatem Deiparae a quolibet debito peccati originalis defenderunt (cfr FRANCISCUS DEL CASTILLO, l. c.). Post sententiam Supremi Tribunalis Inquisitionis, « plures... in hanc sententiam sponte discesserunt » (SALAZAR F. Q. DE, *Pro Immaculata Deiparae Virginis Conceptione defensio*, Compluti, 1618, c. 24, n. 1, p. 152). Iuxta De Vega « Maior Theologorum pars apud Hispanos vel in lecturis privatis vel publicis vel libris editis, docet, Virginem Matrem a peccati originalis debito fuisse immunem: quam partem propugnant et exornant Doctores, praecipue post decretum supremae Inquisitionis, quod ab omni censura liberat opinionem eximentem Deiparam a tali debito » (*Theologia Mariana...*, Lugduni, 1653, 183). Salvator Montalbanus, O. M. Cap., a Catharino usque ad Nieremberg, 62 scriptores numerat qui sententiam hanc defenderunt (*Opus theologicum tribus distinctum tomis in quibus efficacissime ostenditur Immaculatam Dei Genitricem... fuisse prorsus immunem ab omni debito*, Panormi, 1723, II, 72-77). Eusebius Nieremberg, vero, 50 scriptores numerat (*De concordia debiti peccati negati in Deipara cum gratia redemptionis, Opera parthenica*, opus X, Lugduni, 1659, 426 s.).

Nostris diebus sententiam de immunitate Deiparae a quolibet debito defenderunt P. Bernardinus a S. Ioanne Rotundo O. F. M. Cap. (in op. *S. Laurentius a Brundusio et Immaculata Conceptio*, Isola del Liri, 1939, pp. 84-147) nec non P. Bernardinus Ocerin Jáuregui, O. F. M., (art. cit.), qui immunitatem a quolibet debito cum exclusione a lege incurrendi peccatum originale identificare videtur, ita ut qui tenent B. Virginem habuisse tantummodo debitum *remotum* incurrendi peccatum originale, illis omnino aequentur qui *quodlibet debitum* ab eadem excludunt. Haec autem confusio omnino reprobanda videtur. *Aliquod enim debitum* peccati in B. Virgine admitti omnino debet, cum Deus ab aeterno decreverit B. Virginem orituram esse, modo omnibus communi, ex stirpe peccatrice Adae. Vi huius originis, *debuisset*, et Ipsa, peccatum originale incurrere. Quia tamen B. Virgo futura erat Dei Mater ac Eius Socia in opere redemptionis, Deus illam a lege peccati (in qua includi *debuisset*) exclusit, intuitu meritorum Filii sui Redemptoris. Negato quolibet debito incurrendi peccatum originale, negatur etiam necessitas redemptionis ex parte Virginis. Redemptio enim *praeservativa* bene intelligitur pro immunitate a contractione culpae originalis, minime vero pro immunitate ab ipso debito contrahendi peccatum originale, quod debitum supponitur omnino. Inutilis enim evadit redemptio pro illo qui nullo

modo redimi indiget, cum nullo modo sit servituti obnoxius, neque re neque debito. – Si Deus B. Virginem immunem a quolibet peccati debito voluisset, illam virginali modo ab Adam descensuram decrevisset: quod non fecit.

Potest igitur quis sese abstinere a determinatione debiti, utrum nempe sit proximum vel remotum, sed nullimode quis sese abstinere potest a ponendo in B. Virgine, saltem generice, debitum peccati. Post Bullam *Ineffabilis Deus* sententia quodlibet debitum peccati excludens erronea videtur.

Sententia de immunitate Deiparae a quolibet debito peccati originalis est logica sequela illogicae praedestinationis absolutae Deiparae a Scotistis propugnatae. Dixi: *illogicae*, eo quod quamvis ultra fateamur praedestinationem Deiparae (sicut et Christi) *independentem* fuisse a praevisione et permissione peccati, cogimur tamen admittere in praesenti ordine (qui *unus* omnino est) cum praevisione et permissione peccati *connexam* esse: ad quod Scotistae attendere non videntur.

Iure igitur de sententia quodlibet debitum excludens scripsit Aegidius a Praesentatione: « Ego non solum cum Bellarmino existimo non esse tutum in fide... sed addo esse errorem in fide » (o. c., l. 2, q. 3, a. 5).

Admittendum igitur est debitum aliquod contrahendi peccatum ex parte B. Virginis. At *quodnam debitum?*... Quaestio haec de natura debiti, pertractari coepit saeculo XVI, cum proposita fuit distinctio inter debitum *proximum* et debitum *remotum*, iuxta sensum a nobis iam expositum.

2) *Sententia asserens debitum PROXIMUM seu absolutum.* Iuxta hanc sententiam, B. Virgo *inclusa* fuisset in ipsa lege *generali* contrahendi peccatum originale. B. Virgo igitur contrahere debuisset peccatum non solum *ratione naturae* seu ratione propagationis communis ex Adam, sed etiam *ratione personae*, ita ut habuisset debitum non solum *naturale* sed etiam *personale* contrahendi peccatum.

Ita S. ROBERTUS BELLARMINUS (in *De amissione gratiae et statu peccati*, l. 4, c. 16), VASQUEZ (in III p., t. 2, disp. 115), SUAREZ (*De vitiis et peccatis*, disp. 9, sect. 4, n. 10 sq., ed. Vivès, t. 4, p. 614), GREGORIUS DE VALENTIA (*Commentar. theolog.*, Lugduni, 1603, t. 4, disp. 2, q. 1; cfr t. 2, § 3, col. 428), AEGIDIUS A PRAESSENTATIONE O. S. A. (*De immaculata beatae Virginis conceptione ab omni originali peccato immuni*, Coimbrinae, 1617, l. 2), ANTONIUS CORDUBENSIS, O. F. M., (*Quaestionarium theologicum*, q. 44, concl. 5, Venetiis 1604, 353-355), IOANNES DE OVANDO, O. F. M. (*Commentarii in l. III Sent. Subt. Doct. Duns Scoti*, Valentiae, 1597, 129), PHILIPPUS A SS. TRINITATE O. C. (*Maria sicut aurora consurgens*, Lugduni, 1667, disp. 5), SALMANTICENSIS (*Collegii Salmanticensis cursus theologicus*, tract. 13, disp. 15, ed. Palmé, t. 8, p. 85) et recentiores quamplures, inter quos DEL PRADO (*Divus Thomas et Bulla Ineffabilis*, passim), PESCH (*Praelectiones dogmaticae*, 3, nn. 297-299), VAN DER MEERSCH (*Collationes Brugenses*, 1906, pp. 426-429) etc.

3) *Sententia asserens debitum remotum seu conditionatum.* Iuxta hanc sententiam, B. Virgo fuisset *exclusa* ab ipsa lege generali contrahendi peccatum origi-

nale, attamen, ratione naturae seu ratione propagationis communis ex Adam, in lege illa *debuisset* includi: ex quo oritur *debitum*, cuius obiectum *directum* est *inclusio* in illa lege, obiectum vero *indirectum* (remotum, conditionatum) est *peccatum* ipsum.

Ita A. SALMERON S. I., (*Disputationum in Epist. ad Roman.*, l. 2, disp. 45, Coloniae, 1604, t. 13, p. 444), CARD. DE LUGO (*De mysterio Incarnationis*, disp. 7, sect. 3 et 4) qui dicit: « hoc tempore a pluribus recepta est », IOANNES BAPT. LEZANA O. C. (*Liber apologeticus pro immaculata Virginis Mariae conceptione, ubi non modo caruisse peccato originali, sed neque in Adamo peccasse, nec debitum proximum originalis habuisse defenditur*, Madrid, 1616), FERDINANDUS SALAZAR, S. I. (*Pro immaculata Deiparae Virginis conceptione defensio*, Alcalá, 1618, c. sq.), IOANNES PERLIN, S. I. (*Apologia Scholastica, sive controversia theologica pro magna Matris ab originali debito immunitate*, Lugduni, 1630), ADAM BURGHABER, S. I., (*Immunitas B. Virginis M. ab ipso etiam originalis labis contrahendae debito*, Lucernae, 1652), CHR. DE VEGA, S. I. (*Theologia Mariana*, Lugduni, 1653, pal. 5), P. Marcus Strugl O. S. M., (*Theologia universa*, t. 1, p. 552-557) etc. Inter recentiores notatu digni sunt LAURENTIUS IANSENSIS O. S. B. (*De Deo-Homine*, 2, pp. 34-40), et CAMPANA (*Maria nel dogma*, ed. 4, 1936, p. 389).

4) *Sententia asserens debitum simpliciter*. Card. LÉPICIER O. S. M. quem sequitur P. HUGON O. P. (*De Verbo Incarnato*, p. 435, Parisiis 1920), putat distinctionem inter debitum proximum et remotum potius confusionem inducere, et ideo eliminandam esse (o. c., p. 134).¹

5) *Sententiarum discussio*. PRIMA SENTENTIA (i. e. sententia Card. Galatini excludens in B. Virgine *quodlibet debitum contrahendi* peccatum originale, componi nequit cum *universalitate redemptionis* Christi seu cum doctrina certa secundum quam etiam B. Virgo fuit a Filio redempta.

QUARTA SENTENTIA (i. e. Card. LÉPICIER) de *debito simpliciter*, non videtur bene probata. Hoc enim modo Card. Lépicier illam probare conatur: « Quapropter minus recta, confusionem inducens, et consequenter eliminanda est illa distinctio duplicis debiti in Beata Virgine, *remoti* scilicet et *proximi*, quatenus istud ex ipsa generationis lege, illud vero ex Dei voluntate oriatur: non enim poterat seminalis generatio peccatum originale citra^a Dei ordinationem inducere: unde et generaliter non est distinguendum in effectu id quod est causae primae ab eo quod est causae secundae » (l. c., p. 134).

At animadverti potest, quod fundamentum distinctionis inter debitum proximum et remotum, non invenitur proprie in ratione ab Em. Auctore assignata

¹ Huic sententiae accedere videtur etiam cl. P. BALIÈ, O. F. M. in Op. *De debito peccati originalis in B. Virgine Mariae*. Investigationes de doctrina quam tenuit Ioannes Duns Scotus. Romae 1941 (extractum ex *Antonianum*, 1941, pp. 205-252, 317-372). Cfr recensio nostra in *Marianum*, 4 (2942) 146 s.

sed in inclusione, vel minus, B. Virginis in ipsa lege contractionis peccati originalis, prout supra fuse exposuimus. Confusio vero reapse deest.

Remanent, igitur, SECUNDA ET TERTIA SENTENTIA de debito *proximo* et *remoto*.

Utraque haec sententia componi potest sive cum universalitate redemptionis sive cum dignitate Deiparae.

a) Utraque componi potest *cum dogmate universalitatis redemptionis*, postulantis quod B. Virgo *vere redempta* sit per Christum: quod in utraque sententia conceditur. Etenim, sententia de debito proximo exemptionem *ab ipsa lege* tribuit pariter meritis Christi.¹

b) Utraque sententia componi potest plus minusve cum *dignitate Deiparae*, quia utraque, de facto, nullam maculam ponit in ipsa. Sententia enim de debito *remoto*, non solummodo excludit peccatum proprie dictum in persona Virginis, sed etiam id omne quod illud appellare vel requirere videretur.

Sententia vero de debito *proximo*, si bene intelligatur iuxta doctrinam Divi Thomae et Anselmi de Adamo *capite physico* naturae in ordine supernaturali, dignitati Deiparae non detrahit hoc sensu quod nullam importet personalem maculam. Tale enim debitum, licet proximum, in Mariam cadit modo abstracto et incompleto consideratam, id est, in suis relationibus cum Adam, capite generis humani, iuxta illud S. Anselmi: « In Adamo omnes peccavimus quando ille peccavit, non quia tunc peccavimus ipsi, qui nondum eramus, sed quia de illo futuri eramus, et tunc facta est necessitas ut, cum essemus, peccaremus » (*De conceptu virginali*, c. 7, PL 98, 441).²

¹ Fatendum tamen est sententiam de debito *remoto* prout a Scotistis defenditur, aegre componi posse cum meritis Christi *Redemptoris*. Immunitas enim B. Virginis a culpa originali, non videtur procedere *ex morte Filii Dei praevisa*, prout docet Ecclesia, cum *praecedat* — iuxta Scotistas — praevisionem peccati Adae et mortis Christi Redemptoris; Christus, proinde, non posset dici, proprie loquendo, *Redemptor* Matris suae, sed solum *Mediator*. Et scimus quod omnis Redemptor est Mediator (reconciliationis), sed non omnis Mediator est pariter Redemptor. « Terminus huius viae — iure animadvertit Del Prado — cuius initium est Mysterium Incarnationis ac praedestinatio Beatissimae Virginis ad Christi Maternitatem *ante praevisionem peccati*, necessaria et logica deductione est Immaculata Conceptio B. Virginis ante mortem et passionem Christi a Deo decretam et praevisam. Quod quidem ex professo dataque ex opera reperitur traditum atque in terminis assertum et declaratum in diversis scriptis ipsorum discipulorum Scholae Scotisticae » (o. c., p. 150).

² Non bene tamen, imo male sententia de debito *proximo* componi potest cum sententia de peccato originali proposita sive a Billuart sive a Catharino. BILLUART enim, et plures alii cum ipso, docuit Deum *inclusisse omnes voluntates hominum in voluntate Adae*, cum sit Dominus voluntatum. At in hac sententia, peccatum originale esset peccatum *actuale* et *personae*, non vero *habituale* et *naturae*; et ideo vere quis dicere posset: « B. Virgo, in conspectu Dei per plura secula peccatrix mansisset! ». Insuper, non possunt includi voluntates nondum existentes, et dominium Dei nullimode efficit ut voluntas nostra, ipsa repugnante, aliquid velit.

CATHARINUS et alii cum ipso, recurrit ad Adam non solum tamquam caput naturae sed etiam tamquam caput *iuridicum*, ratione *pacti* cuiusdam *positivi* a Deo cum Adamo initi. Etiam

Remanet tamen in sententia de debito *proximo*, *inclusio* Deiparae in lege mortis spiritualis, seu vera *damnatio* ad mortem, quamvis talis damnatio executioni non mandetur: quod dignitati Deiparae aliquomodo repugnare videtur.

6) **Nostra sententia.** Omnibus perpensis, putamus sententiam de debito remoto veram esse, non tamen modo quo a quibusdam Scotistis proposita et vindicata est.

Ratio enim primaria existentiae Christi et Deiparae, prout iam alibi una cum cl. P. I. M. Rocca exposuimus,¹ alia non est quam *libera Dei electio praesentis ordinis* cum omnibus quae in eo continentur (i. e., cum Christo, cum Virgine eius Matre, cum peccato etc.), quae *simul* et *semel* a Dei voluntate decreta sunt. *Simul* ergo, *realiter* voluit Deus et Christum Matremque suam et permissionem peccati. Attamen, concedendum est Deum *virtualiter* prius voluisse Christum eiusque Matrem quam permissionem peccati, ita ut nulla habeatur realis dependentia Christi a permissione peccati, sed e contra habeatur realis dependentia peccati hominis (in sua permissione) sicut et omnium aliarum rerum a Christo. B. Virgo, vi suae praedestinationis, prius fuit *Mater Dei* quam *filia Adae*; et in Adamo *nullimode peccavit*.²

Cum *simul* ergo a Deo ab aeterno volita sint et permissio culpae originalis et existentia Christi eiusque SS. Matris, bene intelligitur quomodo futura Mater Dei a lege ipsa incurrendi peccatum exclusa fuerit *ex praevisis meritis Redemptoris*: quod non habetur, ut vidimus, in sententia Scotistarum.

Cum insuper Beatissima Virgo, vi suae singularissimae praedestinationis ad maternitatem divinam, *ordinem a se constituat*, ab ordine *omnium* aliarum creaturarum omnino distinctum, et tantummodo *ratione naturae humanae* ab Adam derivatae cum aliis hominibus conveniat, sequitur quod ratione *tantum naturae*, non vero ratione personae, debitum peccati originalis contraxerit et redemptione Christi indigerit; sed debitum *ratione naturae* contractum, est, prout omnes concedunt, *debitum remotum*; ergo B. Virgo, tantummodo debitum *remotum* contraxit.

Nec dicatur debitum peccati originalis, si non est *personale*, esse mere chimericum.¹ Debitum enim ratione *naturae* seu descendendae Adamiticae con-

haec sententia cum dignitate Deiparae componi non potest, eo quod aliquo modo B. Virgo *in Adam*, non ratione naturae et in abstracto, sed ratione *personae* et in concreto peccasset. Propterea Catharinus et alii B. Virginem a *debito* eximunt.

¹ Cfr *Mariologia*, t. 2, pp. 19-42.

² Nobis obiici possent verba Apostoli: « in quo (Adam) *omnes* peccaverunt » (Rom. 5, 12). At verba ista prorsus contrarium ostenderent; aperte enim demonstrant B. Virginem in *multitudine hominum* non comprehendendi, et ideo ab ipsa *hominum multitudine* separandam esse, *ordinemque a se* constituere, iuxta illud S. Alberti Magni: « Non cadit (B. Virgo) in numerum cum aliis, quia *non est una de omnibus*, sed *una supra omnes* » (*Mariale*, 90).

tractum est verum debitum. Sic, e. g., si paterfamilias, ob malam rei familiaris administrationem, debitum contrahit, huiusmodi debitum contrahitur etiam realiter a filiis eius, non iam ratione personae (quia eorum voluntas prorsus abfuit) sed tantummodo ratione originis seu descendendae a tali patre. Idem pariter de B. Virgine videtur esse dicendum relate ad debitum peccati originalis.

Iure igitur applicare possumus Reginae nostrae verba illa Assueri ad Esther: « *Non enim pro te, sed pro omnibus haec lex constituta est* » (Esther, 15, 13).

Art. 2 – DE IMMUNITATE B. M. V. A FOMITE PECCATI ²

St. Q. – 1) Quid et quotuplex sit fomes peccati.

Poenalitates seu consequentiae peccati originalis variae fuerunt, videlicet, concupiscentia seu fomes peccati, dolor, mors et ignorantia. Praecipua tamen, inter poenalitates istas, est fomes concupiscentiae qui, statim post protoparentum peccatum, velut flumen, rupto vallo, erupit... Est praecipua quia fomes, maiori proclivitate quam aliae poenalitates, in peccatum inclinatur.

Fomes concupiscentiae nihil aliud est quam rebellio appetitus sensitivi, seu virium inferiorum hominis, contra rationalem appetitum seu rationem. Vocatur etiam concupiscentia seu tendentia vel desiderium in bonum sensibile contra vel ante imperium rationis. Tendentia haec est quid homini naturale, eo quod vires istae inferiores sunt caecae et necessario, in praesentia proprii obiecti sensibilis, sive boni sive mali, agunt, ante vel contra imperium rationis. Cum ergo fomes sit quid homini naturale, sequitur quod exstitisset in homine etiam in statu naturae purae. Attamen, in modo fomes excedit inclinationem naturae purae, et ideo minime rationalem creaturam decet. ³ In statu tamen praesentis naturae lapsae per peccatum originale, fomes concupiscentiae nedum quoad modum sed etiam quoad existentiam, est poenalitas peccati originalis et veluti materiale peccati originalis constituit. In peccato enim originali distingui potest aliquid *materiale* et aliquid *formale*. Primum in defectu originalis iustitiae consistit, seu in dissolutione debitae subiectionis partis superioris (i. e. rationis) ad Deum. Alterum vero consistit in defectu subiectionis appetitus seu virium inferiorum rationi. Secundum ex primo sequitur: sublata enim (per defectum originalis iustitiae) debita subiectione appetitus superioris seu rationis ad Deum, sublata etiam fuit,

¹ Cfr *Estudios Marianos*, 5 (1946) 109.

² Cfr A. VAN HOVE, *De immunitate B. M. Virginis a concupiscentia*, in *Collectanea Mechliniensia*, 14 (1940), 36-42.

³ Quapropter fomes valde differt sive a dolore sive a morte, quae per se non inclinant ad peccatum et legem naturae purae sibi relictas minus excedunt. Consequenter dolor et mors assumi possunt ab illo qui est immunis a peccato originali quin assumentis dignitati noceant; in hoc casu tamen, dolor et mors non erunt *formaliter* poenalitates.

tamquam poena, praeternaturalis et gratuita subiectio appetitus inferioris rationi (cfr I, II, q. 82, a. 3). Per baptismum restituitur iustitia originalis quantum ad primum, non vero quantum ad secundum. i. e. quantum ad fomitem qui, ut ait Conc. Trid. (Sess. 5, c. 5) in renatis remanet *ad agonem*, et eatenus vocatur peccatum (Rom., 7, 27) quatenus *ex peccato est et ad peccatum inclinat*. Renati ergo, concupiscentiae motibus possunt quidem non consentire, at illos non sentire seu carere, minime possunt.

Fomes dupliciter distingui potest: in *actu primo* et in *actu secundo*. *Primus* nihil aliud est nisi *habitualis* concupiscentiae motus seu habitus producens pronitatem ad malum et difficultatem ad bonum. Fomes in actu primo potest *ligari* vel *extingui*: ligatur quando impeditur ne prodeat in actus rationi contrarios, remanente tamen proclivitate facultatis ad ipsos; extinguitur vero quando tollitur ipsa proclivitas facultatis ad actus rationi contrarios. *Secundus* vero est *actualis* concupiscentiae motus in obiectum sensibile malum. Motus actualis concupiscentiae possunt esse *a) primo-primi* si illos nullus voluntatis consensus sequitur, et ideo omni prorsus culpa carent; *b) secundo-primi* si cum imperfecta advertentia et imperfecto consensu fiunt, et sunt venialia peccata; *c) secundi* seu deliberati si cum plena advertentia et pleno consensu fiunt, et, in materia gravi, sunt certe peccata mortalia.

2) **Variae sententiae.** Quod in B. Virgine nullo modo fuerit fomes in actu secundo, et ideo quod omnibus pravis concupiscentiae motibus experts fuerit, omnes admittunt. Pravi enim concupiscentiae motus sunt effectus peccati originalis quia originem ducunt ex ipso et aliquam cum peccato affinitatem habent. « Actualis concupiscentia — ait S. Doctor — est motus peccati » (3, q. 27, a. 3). Unde, cum motus isti ex peccato originali originem ducant, sequitur in B. Virgine omnino defuisse. Primi ergo vitiorum insultus, repentinaeque carnis commotiones quos omnes, etiam Sancti, patiuntur, in Sanctorum Regina prorsus abfuerunt. « Numquam eam concupiscentiae fumus attigit, neque vermis voluptatis laesit » (HESYCHIUS, *Homil. II, de S. Deip.*, Bibl. PP., Lugd., 1677, t. 12, p. 187). Nos vero illos effectus et perturbationes, quamdiu in tabernaculo corporis huius habitamus, et fragili carne circumdamur, moderari et regere possumus, amputare non possumus » (S. Hieron., *Ep. CXXX, ad Demetriad.*, n. 13, PL 22, 1118).

At, quaestio fit inter Theologos de fomite in actu primo. Veteres quidam auctores illum admiserunt. Circa hoc vero *triplex sententia* distingui potest, videlicet: 1) Quidam (ne quid ad perfectionem virtutis pertinens in Virgine subtraheretur) dixerunt in B. Virgine fomitem sublatum fuisse quantum ad id quod facit pronitatem ad malum, non vero quantum ad id quod facit difficultatem ad bonum; 2) Alii vero putaverunt fomitem in B. Virgine sublatum fuisse quantum ad infectionem seu corruptionem personae (prout scilicet, et impellit ad malum

et retrahit a bono) non vero quantum ad corruptionem naturae, prout est causa transmittendi peccatum in prolem; 3) Alii tandem, ut S. Thomas, tenuerunt in B. Virgine, in ipsa prima eius sanctificatione, fomitem remansisse quantum ad essentiam, attamen fuisse ligatum, non quidem per actum rationis, sicut in viris sanctis (quia Angelicus non admittit quod B. Virgo usum rationis in sinu materno habuerit) sed per divinam gratiam et specialem providentiam; postea vero, quando scilicet Dei Filium concepit, fomes in ipsa fuit totaliter sublatus. Angelicus ergo, *duplicem* in B. Virgine recognoscit purgationem a Spiritu Sancto peractam: « primam (quasi praeparatoriam ad Christi conceptionem) quae non fuit ab aliqua impuritate culpae vel fomitis, sed mentem eius magis in unum colligens et a multitudine sustollens; nam et angeli purgari dicuntur, in quibus nulla impuritas invenitur, ut Dionysius dicit (l. I *De Eccles. Hierarch.*, c. 6); aliam vero purgationem operatus est in ea Spiritus Sanctus mediante conceptione Christi, quae est Spiritus Sancti opus, et secundum hoc potest dici quod purgavit eam totaliter a fomite » (S. Th., III, q. 27, a. 4, ad 3m). Cum S. Thoma conveniunt S. Bonaventura, S. Albertus Magnus, Richardus a S. Victore, et maior pars antiquorum Doctorum (vide TERRIEN, *La Mère de Dieu* etc., l. 6, c. 1, p. 99).

Isti omnes ergo peccaverunt *per defectum*, parum perfectioni B. Virginis tribuendo. Remansisset enim in B. Virgine intrinseca possibilitas motuum concupiscentiae.

Alii, e contra, erraverunt per excessum, nimium, si ita loqui fas sit, B. Virginis perfectioni tribuendo. Vega enim posuit carnem B. Virginis *nullo modo* fuisse fomiti obnoxiam, etiam inspecta conceptione tantummodo activa. Et haec videtur fuisse etiam sententia S. Thomae a Villanova scribentis: « Non decebat sanctuarium Dei, domum sapientiae, reliquiarium spiritus, urnam mannae caelestis aliquam in se labem habere; propter quod antequam anima illa sanctissima infunderetur, plene fuit caro illa mundata ab omni faece et labe; et anima cum infusa est, nullam habuit ex carne, neque contraxit labem peccati, sicut scriptum est: FACTUS EST IN PACE LOCUS EIUS, id est domus divinae Sapientiae sine omni fomite peccati formata est » (Conc. 3, *De Nativ. Virg.*, Aug. Vindelic., 1757, col. 572). Hinc ponitur.

Prop.: *B. Virgo I. fomite caruit nedum in actu secundo sed etiam in actu primo; II. attamen caro debuisset esse fomiti obnoxia.*

Est propositio hodie theologice certa et apud recentiores theologos communis. Fomes enim, seu concupiscentia, in praesenti rerum ordine, est sequela peccati originalis; implicite ergo in definitione Immaculatae Conceptionis continetur.¹

¹ Cf. IANSENSIS O. S. B. (*De Deo-Homine*, c., p. 41) ex verbis Bullae Ineffabilis « ab omni originalis culpae labe praeservata immunis » deducit excludendam esse a B. Virgine, *vi defini-*

Prob. I. Pars: I. Auctoritate: 1) S. SCRIPTURAE: continetur enim implicite in omnibus illis locis a nobis adductis ad probandam immunitatem a peccato originali.

2) PROB. AUCTORITATE PATRUM ET SCRIPTORUM ECCLESIAE, qui implicite saltem, immunitatem B. Virginis a concupiscentiae fomite in perfectissima mentis et corporis puritate agnoscunt. In particulari vero textus sequentes magis expliciti afferri possunt, videlicet:

S. EPHRAEM, ita B. Virginem alloquitur: « Tota pulchra, tota immaculata, tota illibata, tota impolluta, tota irreprehensibilis, tota laudabilis, tota incorrupta... » (*Or. IV ad Deiparam*). Pressius, in quodam hymno: « *Santo è il suo corpo, pia l'anima sua, pura la sua mente — la sua intelligenza nitidissima — nel suo senso è compiutissima, — casta, mite, soave, esimia, e piena di bellezza* » (cfr RICCIOTTI, *Inni alla Vergine*, p. 12).

S. HESYCHIUS HIEROSOLYMITANUS, B. Virginem laudat « quam concupiscentiae fumus non attingit, neque vermis voluptatis eam laesit » (Sermo 4, PG 96, 1465-1466).

S. ANASTASIUS I, PATR. ANTIOCHENUS: « Cum omnibus generationibus te solam beatam in mulieribus praedicemus, quam neque sol, voluptatis flammam immittens, adussit, n. 8, PG 106, 817-818). Et alibi: « Quid vero voluptatis praeterea cognitionem commemorem, quam virgo persensisti numquam, seu potius quam non modo experta numquam es, neque fluxa vis lunae noctu laesit » (PG 89, 1377).

S. GERMANUS ad immunitatem a fomite alludere videtur cum celebrat « purissimum ac immaculatissimum Dei Genitricis corpus » (*In S. Marae Zonam*, PG 98, 375); et laudibus celebrat « illud corpus virginale, totum sanctum, totum castum, totum Dei domicilium » (*In Dormit. Deip.*, 1, ib. 346).

S. IOANNES DAMASCENUS: « Ave, liber signatus, libidiosa omni contagione innoxius » (*Homil. 2 in Nativ. B. M. V.*, n. 7, PG 96, 691-692). Et alibi: « Virgo immaculata, quae nil terrenarum affectionum admisit, sed caelestibus enutrita cogitationibus... » (*Homil. 2 in Dormitionem B. V. M.*, ibid., 725-726).

tionis dogmaticae, omnem labem, non solum *moralem* (i. e. peccatum proprie dictum) sed etiam *physicam* (i. e. fomes concupiscentiae). Scribit enim: « Notanda valde sunt haec verba... Essentia originalis culpa est carentia supernaturalis iustitiae iuxta initialem ordinationem divini debita. Haec autem carentia tollitur per gratiam sanctificantem. Proinde per haec definitionis verba declaratur, animam B. M. Virginis in ipso instanti conceptionis suae passivae fuisse *gratia supernaturali illustratam*. Iamvero haec destructio carentiae gratiae ope infusae gratiae, non comportat plus et minus, partem vel totum. Cur igitur definitio dogmatica loquitur de *omni* originalis culpae labe? Istud *omne* vix potest aliud significare, praeter *vulnera* peccati originalis, ac praesertim *concupiscentiae fomitem*, qui in Adamo post lapsum excitatum, per generationem transmissus, corpora immediate inficit » (o. c., p. 41).

GEORGIUS NICOMEDIENSIS, Deiparam vocat « Hortum illum conclusum, in quem vitiosis cogitationibus nullus patet aditus... Vere illum signatum fontem... in quo turbidi luti nullae sunt deprehensae reliquiae » (*Oratio in SS. Deiparae ingressum in templum*, PG 100, 1425-1426).

IOANNES GEOMETRA: « Propter mulierem mulier eligitur... propter corruptam integra virgo... propter inescatam blandimentis voluptatis, ea quae ne cogitationibus quidem contaminata est... » (*Sermo in SS. Deiparae Annuntiationem*, PG 106, 843 s.).

RICHARDUS VICTORINUS: « In reliquis sanctis magnificum habetur quod a vitiis nequeant expugnari; in Virgine mirificum videtur quod a vitiis non posset ipsa, vel in modico, impugnari » (*De Emman.*, l. 2, 31, Rothomagi 1650, p. 312).

Prob. II. Ratione: 1) *Ex perfecta sanctitate B. Virginis.* Perfecta Deiparae sanctitas postulat omnino ut quaelibet moralis deordinatio nec non quaelibet vel minima culpa venialis ab ipsa arceatur. Atqui hoc fieri non potuit absque immunitate a fomite concupiscentiae. Ergo...

Ad Mai. Etenim, B. Virgo non potuisset esse *dignissima* Mater Dei et Mediatrix hominum, prout illam Deus voluit, absque immunitate a qualibet deordinatione morali et a qualibet vel minima culpa actuali. Matris enim et Sociae dedecus in Filii et Socii ipsius dedecus vergunt.

Ad Min. Fomes enim est a) deordinatio quaedam moralis, cum sit pronitas ad malum, et ideo indecentiam quamdam involvit, ob quam ab Apostolo *peccatum* pluries, metaphorice sane, nominatur. Est insuper fomes b) causa peccati venialis quod, plerumque saltem, magis concupiscentiae motibus voluntatem praevenientibus ac ex carne sponte orientibus quam malitiae voluntatis tribuendum est.

2) *Ex similitudine cum Christo.* Iuxta principium *similitudinis*, Deipara debuit esse, quantum fieri potuit, conformis Christo. Iamvero, inter perfectiones humanitatis Christi fuit etiam immunitas a fomite. Ergo...¹

3) *Ex Immaculata Conceptione B. M. V.* Sublata causa fomitis, tollendus est etiam effectus. Atqui causa fomitis, in praesenti ordine, est de facto peccatum originale. Ergo, sublato peccato originali, tollitur etiam effectus eius, id est fomes. Ita communiter.

Cl. Van Hove, de valore huius argumenti dubia quaedam movet. Scribit enim: « De valore huius argumenti aliquatenus dubitamus. Concedendum sane est illud probare concupiscentiam non habere in B. Virgine rationem sive poenae sive elementi materialis peccati originalis, quam rationem in nobis habet. At concupiscentia non est tantummodo

¹ Cfr DIEKAMP, *Theologiae Dogmaticae Manuale*, versio lat. A. M. Hoffmann, II, p. 410, Parisiis 1933.

originalis peccati elementum et poena: est simul homini naturalis, quatenus homo, compositus ex anima et corpore, ex elemento spirituali et materiali, ex ipsa sua constitutione, vires seu tendentias habet inter se discrepantes, eodem iure ac naturaliter homo est mortalis, passibilis, laborans ignorantia aliisque defectibus, ita ut ex praesentia huiusmodi infirmitatum ac defectuum dogma peccati originalis nullatenus demonstrari queat. Cum autem B. Virgo vere naturam humanam habuerit, debuit simul habere eiusdem defectus connaturales, nisi tamen adsint motiva propter quae Deus ipsam immunem ab iisdem defectibus reddiderit. Huiusmodi motivum dari, relate ad concupiscentiam, in omnimoda sanctitate qualis Matrem Dei deceat, supra iam satis est declaratum. Arguendum proinde ex sanctitate, non vero ex Immaculata Conceptione seorsum sumpta.

« Qui argumentum ex Immaculata Conceptione validum reputant, instant tamen asserendo gratiam originalem ac immunitatem a concupiscentia esse in ordine salutis historico de facto coniuncta, hancque coniunctionem in casu B. Virginis perseverare. Respondendum hanc coniunctionem extitisse quidem in primaeva Dei ordinatione, in paradiso; at, nostro iudicio nullatenus est evidens eandem post peccatum perdurasse. Ad praesentem Dei ordinationem pertinet ut omnes qui ex Adamo derivant, peccatum originale et concupiscentiam debeant contrahere et de facto contrahant, nisi quis extraordinarie ob peculiaris motiva praeservetur. Quae praeservatio potest unum respicere quin ad alterum sese extendat: de facto infusio gratiae qua peccatum originale deletur, ac immunitas a concupiscentia sunt duo dona prorsus distincta et separabilia, ut patet ex baptizatis qui peccatum originale iam non habent, bene vero concupiscentiam. B. Virgo, ut derivata ex Adamo, debuisset peccatum originale et defectus ad naturam humanam pertinentes contrahere; Deo prohibente ne maculam peccati incurrat, potuisset tamen donum integritatis, prorsus distinctum et separabile, non obtinere » (l. c., p. 41-42)

At, contra argumentationem cl. Van Hove animadverti posset, coniunctionem immunitatis a concupiscentia cum gratia, post peccatum non amplius perdurasse pro illis omnibus qui *in Adamo peccaverunt*; perdurasse vero pro illa quae in Adamo *numquam, de facto, peccavit*; ideoque praesentem ordinationem pertinere ad omnes, Immaculata Deipara excepta. Hoc autem melius patebit ubi sermo erit de statu iustitiae originalis B. M. Virginis.

Ceterum, ipsemet Van Hove, quamvis teneat immunitatem a fomite *non necessario* derivare ex immaculata conceptione, admittit tamen *convenientissime* cum ipsa coniungi. « Fatemur sane — scribit — argumentum ex Immaculata Conceptione deductum non penitus esse inane. Nempe si tale privilegium est B. Virgini in eius conceptione concessum ut a peccato prorsus praeservaretur, convenientissimum videtur eam simul liberatam iri a quavis inclinatione ad peccatum. *Unum privilegium alterum appellat*. Quod argumentum tamen ex altissima Mariae sanctitate immediatius quam ex eius Immaculata Conceptione derivatur. Insuper concedendum utrumque privilegium fontem habere communem; eximiam nempe sanctitatem quae tum Immaculatam Conceptionem tum immunitatem a concupiscentia includat, exigit altissima dignitas Matris Dei » (l. c., p. 42).

Ex verbis istis patet cl. Van Hove non omnem valorem argumento a nobis adducto denegare, quamvis de valore eius « aliquid » dubitet.

Hinc, triplex recensita veterum Doctorum sententia sustineri non potest.

Prima sententia sustineri nequit: 1) quia eadem est contrariorum ratio; et ideo fomes concupiscentiae repugnat rationi non solum quantum ad inclinationem ad malum, sed etiam quantum ad difficultatem in bono; quapropter utrumque ad ipsam fomitis rationem pertinere patet, et ideo ponere quod fomes remanserit in B. Virgine quantum ad difficultatem in bono, minime vero quantum ad pronitatem ad malum, idem est ac ponere duo opposita simul; 2) quia *falso supposito* innititur: concupiscentia enim, seu potius difficultas ex concupiscentia proveniens nullo modo necessaria est pro acquisitione meritorum, neque *per se* meritum auget. Si enim hoc esset, concludendum esset Sanctorum opera bona minoris meriti esse quam aliorum opera eo quod Sancti ob virtutes morales acquisitas, minores difficultates in bonis operibus exercendis patiuntur. Dicendum est ergo cum S. Thoma (3, q. 27,3) quod difficultas ex carnis concupiscentia seu ex fomite proveniens, ad perfectionem virtutis non pertinet tamquam *causa* perfectae virtutis, sine qua perfectio ipsa haberi non possit, sed tantummodo tamquam illius *occasio*. Non est autem necesse ponere in B. Virgine omnem perfectionis occasionem, sed sufficit ponere perfectam virtutem ex abundantia gratiae. Insuper, duplex operis difficultas distingui potest: *obiectiva* quae ipsi obiecto inhaeret et *subiectiva* quae a voluntatis imperfectione dependet. Prima (i. e. diff. ob.) auget meritum; sic, e. g. qui mille denarios pauperibus distribuit, magis meretur, ceteris (dispositionibus subiectivis) paribus, quam ille qui, pauperibus unum tantum denarium distribuit. Secunda vero (i. e. diff. sub.) non auget sed minuit meritum (*De Ver.*, 14-10-12; *S. Th.*, 1, 2-114.2). In B. Virgine vero, fuit difficultas obiectiva, eo quod tota vita eius crux et martyrium fuit; non vero difficultas subiectiva, eo quod voluntate iugiter et alacriter, magno animi ardore, ob virtutes quibus erat instructa, ferebatur in Deum. Nec dicendum magnum tunc animi ardorem in Deum voluntatis libertatem veluti in B. Virgine minuisse. Habitus enim, non minuit libertatem, eo quod libere est acquisitus et libere conservatur; quin immo habitus bonus libertatem ipsam perficit, cum voluntatem inclinet ad ea expedite peragenda quae sunt rectae rationi conformia. Id ergo quod meritum alicuius operis vere constituit, est puritas intentionis et fervor caritatis quo quis operatur. Hinc, etiam actus minoris momenti et minoris difficultatis si fiat ab aliquo Sancto cum maiori caritatis ardore, magis meritorium erit quam opus magis praestans et magis difficile ab aliqua anima ordinaria positum cum minori gratia et fervore caritatis minus intenso. Carentia ergo fomitis non constituit pro B. Virgine impedimentum pro acquisitione meritorum et quidem incomparabilem. Sublatio fomitis, luctam abstulit, non vero id quod ad verum et copiosum meritum requiritur.

Secunda sententia pariter, sustineri non potest, quia libido per quam peccatum transmittitur in prolem, non posset permanere in quantum pertinet ad corruptionem naturae si totaliter abesset in quantum pertinet ad corruptionem personae: natura, enim, non existit nisi in concreto i. e. in persona.

Tertia sententia, (i. e. sententia S. Thomae) sustineri non potest. Duplex enim ratio ab ipso pro sua sententia adducta, non valet. « *Prima* ratio a S. Doctore adducta — animadvertit Card. LÉPICIER, o. c. p. 202, — est quia talis positio, scilicet fomitem fuisse in Maria totaliter tunc sublato, *derogat, in aliquo, dignitati Christi, absque cuius virtute nullus a prima damnatione liberatur*. — Sed ratio haec, rem sedulo perpendenti vana et inutilis apparet: quandoquidem, quod Beata Virgo nec defectum originalis iustitiae unquam senserit, nec fomitem concupiscentiae ullo modo habuerit, etsi non sit ex instrumentalitate physica humanitatis Christi, cum haec nondum existeret, fuit tamen ex praevisis Christi Domini meritis, qui, sicut potuit redimere antiquos Patriarchas, suos nempe secundum carnem remotos progenitores, eos a peccato redimendo, ita potuit *praeservare* suam Matrem ne unquam sub peccati teneretur potestate; concupiscentia vero peccati rationem materialiter habet: nam S. Paulus iam regeneratus ingemiscens aiebat: *Carnalis sum, venundatus sub peccato*; et rursus: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?*

Nec melior est altera ratio quam tradit Angelicus, ex eo petita quod immunitas damnationis primo apparere debuerit in carne Christi; unde licet per fidem Christi aliqui ante eius Incarnationem sint ab illa damnatione liberati secundum spiritum, nullus tamen immunis esse debuit a *lege carnis* seu a fomite antequam Christus fieret homo, sicut nullus adeptus est carnis immortalitatem antequam caro Christi resurgeret immortalis. — Haec quippe ratio aliud non evincit, nisi quod illorum mirabilium effectuum, gratiae scilicet et miraculorum, qui antea completi fuerunt, humanitas Domini nostri non extiterit causa efficiens instrumentalis, cum repugnet causam efficientem etiam instrumentaliter operari antequam sit; sed bene esse potuit causa meritoria illorum effectuum, secundum quod Christus dicitur et est caput totius Ecclesiae, non solum secundum ordinem et perfectionem, sed etiam secundum virtutem, tum per respectum ad animas hominum tum etiam per respectum ad eorum corpora.

Quocirca sicut Beata Virgo fuit, ex singulari Dei privilegio, in sua conceptione ab omni peccato praeservata immunis virtute meritorum Christi licet non per eius humanitatem tanquam per instrumentum, ita retinendum est ipsam eadem ratione ab omni peccati fomite in sua conceptione fuisse liberatam, quod utique catholice dicendum est, utpote tantae Matri dignius et redemptionis oeconomiae conformius ».

Corollaria: 1) Per doctrinam nuper expositam et vindicatam non excluditur quin B. Virgo *delectabilia sibi* (e. g. escam, potum, somnum), iuxta rationis ordinem naturaliter, sicut nos, concupierit. Hoc enim ad fomitem minime pertinet: fomes enim concupiscentiam delectabilium praeter imo, contra ordinem rationis importat.

2) In B. Virgine fuerunt etiam, indubitanter *passiones* sive appetitus concupiscibilis sive irascibilis. « Licet Deus — ait S. Bernardinus Senensis — perfecta

dispositione disposuerit Matrem suam, et absque omni culpa servaverit eam, nihilominus tamen cunctae passiones illae quae naturam sine peccato sequuntur, quae scilicet sunt materia exercendae virtutis, in ea plenius remanserunt, tam respectu sui, quam respectu Filii. Unde in ea fuit amor, timor, honor, admiratio et huiusmodi, secundum quod in aliquo sine peccato esse possunt » (*Serm. IV de B. M. V.*, art. 3, c. 2 ed. cit., t. 4, art. 3). De se, enim, passiones malae non sunt, quinimmo, bonae sunt si secundum rectam rationem ordinantur. « In disciplina nostra — ait S. Augustinus — non tam quaeritur utrum pius animus irascatur, sed quare irascatur, nec utrum sit tristis, sed unde sit tristis, nec utrum timeat, sed quid timeat: irasci enim peccanti ut corrigatur, contristari pro afflicto ut liberetur, timere periclitanti ne pereat, nescio utrum quisquam sana consideratione reprehendat » (*De Civit. Dei*, L. 9, c. 5, PL 41, 260).

Attamen, passiones istae in B. Virgine, sicut et in Christo, *propassiones* melius quam passiones dici debent. Tripliciter enim propassiones a passionibus, prout sunt in nobis, distinguuntur, videlicet: a) quantum ad *obiectum*, quia in B. Virgine, sicut in Christo, non ferebantur, prout in nobis accidit, ad illicita: b) quantum ad *principium*, quia in B. Virgine, sicut in Christo, iudicium rationis, prout in nobis accidit, non praeveniebant; c) quantum ad *effectum*, quia in B. Virgine et in Christo rationem non secum trahebant, prout saepe in nobis evenit, sed intra ambitum appetitus sensitivi manebant.

3) Probabiliter, etiam in B. Virgine, sicut in Christo, et quidem ob quadruplicem rationem (cfr *S. Th.*, 3, 41, a. 1) non quidem ex parte carnis aut ex parte mundi, sed ex parte diaboli tentationes fuerunt. Attamen etiam in ipsa, sicut in Christo, « omnis diabolica tentatio *foris*, non *intus* fuit » (S. GREGORIUS M., *Homil. XVI in Evang.*, PL 76, 1135).

Prob. II. pars: Beata Virgo debuit esse fomiti obnoxia eo quod debuisset (nisi intuitu meritorum Christi praeservata fuisset) peccatum originale contrahere, et consequenter dono praeternaturali integritatis carere.

Quamvis ergo fomes in B. Virgine numquam fuerit *actu*, neque in actu primo, neque in actu secundo, fuit tamen *in potentia*, eo quod fomiti fuit obnoxia. Et hoc sensu intelligi debent auctores asserentes fomitem in B. Virgine *ligatum* aut *extinctum fuisse*. Ideoque vana videtur sequens animadversio Vega, quem et alii auctores sequuntur, videlicet: « Dicerem ergo in B. Virgine numquam fuisse fomitem ligatum, nec proprie extinctum, quia quod vinculis constringitur, supponitur existere; numquam autem fuit fomes hic in B. Virgine, adeoque neque constringi potuit. Similiter id solum quod aliquando vixit, mori et extinguere dici solet; sed in B. Virgine numquam vixit fomes peccati; ergo perperam dicitur ligatus et extinctus fomes in Virgine Deipara » (Palaestra 9, cert. 1, n. 869). Aliquid enim potest existere et vivere *actu* vel *potentia*. Et etiam si existat vel vivat *potentia*, tolli vel extinguere iure dici potest.

B. Virgo igitur, fuit fomiti obnoxia. « Hoc tamen — animadvertit Card. Lépicier, o. c., p. 199 — non efficit quominus Beatæ Virginis parentes, divina illos protegente gratia, absque actuali fomitis motu, sed solum ex ferventissimo in Deum amoris actu, Beatam Virginem genuerint, sicut in Revelationibus S. Birgittæ habetur, et S. Damascenus ipse tradit, his verbis Virginis parentes alloquens “ Casta enim et sancta conversatione vestra, virginitatis monile protulistis... Par enim erat ut germinans illic ex castitate virginitas solum illud unigenitum lumen corporali ratione produceret ” (Homil. I in Nat. B. M. V., p. 844, t. 2). Unde valde diminuta fuisse dicenda est ista fomitis praeoccupatio in carne Beatissimæ Virginis, non tamen omnino absens, cum sit *sequela* illius dispositionis ex generatione seminali ortæ et peccatum originale adducentis in actu unionis animæ cum corpore; nam sanctificatio *personalis* parentum non transit in prolem carnaliter genitam, quia talis sanctificatio non respicit carnem, sed mentem: siquidem, etiamsi parentes fuissent mundati a peccato originali, nihilominus illud traducere debuissent in prolem, et consequenter fomitis quoque infectionem. Sed quia singulari Dei privilegio Deipara in primo instanti suæ conceptionis passivæ fuit ab originali peccato contrahendo præservata, ideo etiam in illomet instanti caro eius fuit expurgata ab omni *dispositione* ad fomitem, quam tamen de se habebat; ita quod non solum nullo deordinato motu a recto virtutis tramite abduceretur aut ullum inferioris partis conatum unquam pateretur, sed nec phantasia illius mentem a serenissima divinæ contemplationis quiete ullo modo præpediret ».

Opportune tandem animadverti potest quod sublatio fomitis in B. Virgine rationem miraculi non induit. Etenim, in se quidem fomitis sublatio, si numquam citra Immaculatam Conceptionem occurreret, miraculi rationem indueret, cum derogationem ordinis naturæ importet; at, cum in casu B. Virginis hæc fomitis sublatio naturaliter resultaverit ex præservatione peccati originalis, cuius fomes est naturalis consequentia, ideo in Maria miraculum haudquamquam fuit, sed fuit veluti contenta in miraculo Immaculatae Conceptionis.

Conclusio. Ex hucusque dictis consequitur B. Virginem rite proponi posse, sub Christo et cum Christo, tamquam *typum* illius perfectæ et integræ naturæ quam Deus in Adam et Eva primitus con siderat, quamque peccatum foede corrupit. Iure ergo meritoque B. Virgo Immaculata « Paradisus Incarnationis » vocatur (cfr CAMPANA, o. c., p. 307).

Art. 3 - DE IMMUNITATE B. M. V. A QUOLIBET PECCATO ACTUALI¹

Remota a B. Virgine qualibet labe peccati originalis, nec non probata fomitis absentia, sive in actu primo sive in actu secundo, necesse est nunc ostendere immunitatem animæ eius a quolibet peccato actuali, ad hoc ut tractatio de negativa perfectione Deiparæ completa evadat.

¹ BIBLIOGRAPHIA: DUBLANCHY E., DTC 9, art. *Marie* c. 2413-2421. — RICHARD E., DTC 7, art. *Impeccabilité*, c. 1266-1280. — JANSSENS, o. c. II, pp. 160-170.

Contendimus vero probare B. Virginem nedum a peccato proprie dicto, sive mortali sive veniali, sed etiam a quavis vel tenuissima *imperfectioe morali* prorsus immunem fuisse.¹

St. Q. Tria bene determinanda sunt: I. Quaenam peccati immunitas B. Virgini tribui debeat (sensus theseos); II) A quo tempore vitae suae B. Virgo hac immunitate gavisita sit; III) Errores.

I) **Quaenam a peccato immunitas B. Virgini tribui debeat.** Sedulo in primis, distinguere debemus inter *impeccabilitatem* et *impeccantiam*.

1) Impeccabilitas *duplex* distingui potest: directa et indirecta. a) *Directa* procedit immediate ex ipsa absoluta perfectione entitativa illius de quo praedicatur, et involvit sanctitatem absolutam, substantialem. Impeccabilitas haec, solius Dei est, qui « Sanctus, Sanctus, Sanctus » proclamatur. b) *Indirecta* provenit ex aliquo *adiuncto* vel ex aliqua conditione illius cui competere dicitur. Quapropter, in impeccabilitate *indirecta* varii gradus dari aut distingui possunt, et quidem, tum quoad dignitatem, tum quoad ipsam peccandi possibilitatem, non quidem in sensu composito sed in sensu diviso. Ideoque *triplex impeccabilitatis gradus* distingui potest: a) *primus* (qui est nobilissimus) competit *naturae humanae Christi* propter titulum infinitae dignitatis i. e. propter unionem hypostaticam; absolute enim repugnat naturam Verbo unitam aliqua infici labe peccati, eo quod actiones sunt suppositorum, et ideo, si natura humana peccaret, Verbum ipsum peccans redderet. Haec est impeccabilitas *metaphysica*. b) *Secundus* competit *Angelis*, et *Beatis*, quorum impeccabilitas in statu *comprehensoris* fundatur. Impeccabilitas haec (seu confirmatio in bono) fit per *formam* aliquam hominem permanentem in bono defigentem, quae forma *lumen gloriae* vocatur. Haec impeccabilitas, ergo, oritur ex *physica impossibilitate* falso apprehendendi aliquid ut Summum Bonum, dum reapse non est, ipsique adhaerendi: haec est enim peccati natura. Et haec physica impossibilitas ex hoc praecise oritur quod illi qui Deum permanentem facie ad faciem (per lumen gloriae, tamquam per formam permanentem) vident, nequeunt aliquid falso tamquam summum Bonum apprehendere, eo quod lumen gloriae formae contrariae possibilitatem excludit. Haec est impeccabilitas *physica*. Clare S. Thomas docet: « Ex hoc natura rationalis in iustitia confirmatur, quod efficitur beata per apertam Dei visionem, cui viso non potest non inhaerere, cum ipse sit ipsa essentia bonitatis, a qua nullus potest averti, cum nihil desideretur et ametur, nisi sub rationi boni. Et hoc dico secun-

¹ Imperfectio moralis nihil aliud est quam libera transgressio vel omissio alicuius sani consilii Dei aut superiorum in re ad mores spectante, et ex se nec vetita nec imperata, attamen ad meliora impellentis. — Iuxta quosdam, (e. g. Garrigou-Lagrange, Schelling, Creusen, etc.) imperfectiones istae morales, etiam deliberate positae, ne venialiter quidem culpabiles dici possunt. Iuxta alios vero (e. g. Hugueny, Prummer, Ramwer etc.) semper peccaminosae essent.

dum legem communem » (1, q. 100, art. 2). Hucusque de impeccabilitate, quae excludit possibilitatem peccati. c) *Tertius gradus* competit B. Virgini quae ratione maternitatis divinae, in ipsa sua persona titulum gessit ad impeccabilitatem. Haec est impeccabilitas *moralis*. Moraliter enim repugnat Matrem Dei partes umquam habere cum Dei et generis humani hoste.

2) Impeccantia, e contra, ponit tantummodo factum, seu carentiam peccati commissi. Haec autem carentia, rursus, duplicem gradum habet *ratione extensionis*, secundum quod, nempe, excluditur quodlibet peccatum actuale (de peccato enim originali dici non solet ob diversam in hoc peccato rationem voluntarii), vel solum mortale.

Potest enim quis peccatum vitare ex hoc quod ei aliquod gratiae munus conferitur quo, ita inclinetur in bonum ut non de facili ab illo deflectere possit: quo quidem non totaliter adimitur facultas peccandi, remanente radicali inclinatione in malum ex parte virium inferiorum seu ex fomite, et *innata* capacitate in *ratione* ut decipiatur. Iste impeccantiae modus tribuitur Sanctis illis qui fuerunt in bono confirmati, e. g. Apostolis; etenim, cum habuerint peccatum originale, et consequenter fomitem, poterat esse in illis, in parte inferiori, quaedam virium sensitivarum *rebellio* contra rationem, et in *ratione* ipsa quaedam deceptio: ad quae superanda ordinabatur gratia sanctificans, ita tamen quod haec quidem motum virium sensitivarum reprimeret, non vero omnium talium motuum *possibilitatem* reprimeret, quantumvis gratia illa magna esset, quia secus iam fomitem ipsum abstulisset. Existente igitur hac motuum inordinatorum possibilitate, nec non possibilitate alicuius deceptionis in ratione, praedicti Sancti divinam aliquam *adsistentiam* acceperunt sive ex ipsa radice gratiae (ne motus valde inordinati exurgerent quibus postea in mortale peccatum facile labi potuissent) sive, maxime, ex divina *Providentia* eorum voluntati adsistente ne malum amplecterentur.

Hisce praemissis, dicimus:

Privilegium Virginis non fuit impeccabilitas in *primo gradu*, ut patet, quia erat pura creatura. Unde S. Thomas, ubi puritatem B. Virginis summis laudibus effert, moderamen addere solet: « Sub Deo tamen, in quo non est aliqua potentia deficiendi, quae est in *qualibet creatura*, quantum in se est » (3 dist. 17, q. 11, a. 4, 3). Et rursus: « Fuit tamen sub Deo, in quantum erat in ea potentia ad peccandum » (1 dist. 44, q. 1, a. 3).

Nec fuit impeccabilitas in *secundo gradu*, quia licet probabiliter possit retineri Beatæ Virgini aliquando in vita mortali visionem Dei per essentiam concessam fuisse, haec visio tamen non fuit per lumen permanens, sed *transiens*, tale scilicet quod non sufficienter subiectum defigat in bono. Hoc modo, igitur, Christus solus fuit impeccabilis, quia etiam ante suam ascensionem fuit comprehensor et simul viator.

Fuit ergo impeccabilitas in tertio gradu. Fuit insuper summus impeccantiae gradus. Dixi: *summus*, quia impeccantia Virginis differt ab impeccantia quae quibusdam Sanctis concessa fuit, e. g. Apostolis. Cum enim sancti illi habuerint peccatum originale, consequenter *fomitē* etiam habuerunt. At in Beata Virgine fomes prorsus defuit, quapropter, ex gratia ipsi in sua Immaculata Conceptione concessa, habuit — sicut Adam et Eva in paradiso ex originali iustitia — ut nullus umquam inordinatus motus in inferiori parte exurgeret; ideoque ex hac parte, nulla speciali adsistentia indiguit, sed solum ex parte *voluntatis* ne in malum — sicut in Adam et Eva acciderat — deflecteret. « Re quidem vera — animadvertit Card. Lépicier — prima peccati origo in Beatissima Virgine non poterat esse ex deceptione intellectus; nam deceptio quaecumque, etiam levissima, malum quoddam est; sed, innocentia manente, quemadmodum in membris corporis erat quidem carentia perfectionis cuiusdam, puta claritatis, non tamen aliquod malum inesse poterat, ita in intellectu poterat esse carentia cuiusdam notitiae, non tamen existimatio falsi aut deceptio, quae malum est.

Quocirca, sicut in homine in statu innocentiae constituto, prima origo peccati non fuit nisi inordinatio *voluntatis* se amantis et Deum odio habentis, ita in Beatissima Virgine origo peccati alia esse non poterat: at, ex speciali Dei providentia, tam recta iugiter fuit in ea voluntatis inclinatio, et tam efficaciter custodia ne in malum deflecteret, quod numquam peccatum mortale committeret et consequenter omni peccato veniali careret. Quae quidem custodia non debet concipi ad instar formae inhaerentis, quale est in beatis lumen gloriae; sed potius per modum specialissimae actualis adsistentiae, qua Deiparae voluntas propensissimo caritatis fervore ita iugiter continebatur in Deo, ut numquam ab eo averteretur ».

« Ex quibus apparet Beatissimam Virginem, licet modo minus perfecto quam beatos, longe tamen perfectius quam caeteros sanctos, in bono confirmatam fuisse; quia isti quidem, speciali providentia illis adsistente, ab omni voluntario actu malo custodiuntur, non autem ab illis involuntariis motibus qui primo-primi dici solent, quos et ipse S. Paulus se pati testabatur, dum aiebat se videre in membris suis legem repugnantem legi mentis et illum captivantem in lege peccati; a quibus motibus, tanquam a subreptione vetustatis, Ecclesia orat ut expurgemur. Quocirca illi, quantum ad mortalia, fuerunt in bono confirmati, non autem quantum ad venialia. Beata Virgo autem confirmata fuit in bono et quantum ad omnia mortalia, et, consequenter, quantum ad venialia quaecumque. Beatae Virgini, ait S. Thomas, praestitum est ut de caetero non peccaret nec mortaliter, nec venialiter; aliis autem sanctificatis creditur praestitum esse, ut de caetero mortaliter non peccarent, divina eos gratia protegente » (o. c., pp. 210-212).

Hinc impeccantia quam B. Virgini in hac quaestione vindicamus, in hoc consistit quod Deus specialiter eius *voluntati* iugiter adstitit, ne in malum aliquando inclinaretur. Haec autem Deiparae impeccantia (seu confirmatio in bono) spe-

cialissimo *Dei privilegio* ex parte adscribenda est, ut docet S. Thomas (q. c. a. 2). Non enim status innocentiae secumfert de natura sua *confirmationem in bono* seu in iustitia, sicut apparet ex Adam et Eva qui in statu illo peccaverunt, et etiam ex hoc quod si pueri in statu innocentiae nati fuissent, in iustitia confirmati non fuissent, sed quamdiu non fuissent visione Dei beatificati, peccare potuissent. Hinc speciali privilegio haec impeccantia adscribi debet. Dixi: *speciali*, non vere singulari privilegio: quia privilegium hoc etiam S. Ioseph concessum fuisse videtur.¹

II. De tempore quo B. Virgo hoc speciali privilegio gavisata est. Quaeri enim potest: fuit ne ei concessum hoc privilegium inde *ab initio vitae* suae ab illo scilicet instanti quo anima in eius corpus infusa est; an tantummodo *post Verbi Incarnationem*, ut vult Angelicus Doctor, iuxta sententiam de totali fomitis ablatione in Deipara non nisi post Verbi Incarnationem, ut iam vidimus?... Iamvero, tutius affirmatur Deiparam, inde a primo instanti suae personalis existentiae (in quo fuit gratia, suo modo, ut postea dicemus, repleta) fuisse huiusmodi impeccantiae privilegio insignitam. Verbum enim, semper, etiam ante Incarnationem consideravit et dilexit Mariam ut Matrem; sed amor Verbi erga Matrem excludere debuit quidquid talem amorem laedere potuit.

III. **Errores.** Immunitatem B. Virginis a peccato negaverunt *Lutherani, Calvinistae* aliique Protestantes (exceptis forsan Anglicanis) qui omnes mensuram propriae fidei in despectu quo de B. Virgine loquuntur veluti reponere videntur. Sic Calvinus aiebat: « Non magnopere laborandum est ut Mariam purgemus ab omni vitio » (*Hom. circa cap. 1, Luc.*) unde in declarationem Concilii Tridentini vehementissime invehit (*Antid. Conc. Trid.*) Eodem modo loquuntur *Magdeburgenses* Centuriatores (Cent. I, *De Vita Mariae*) *Sarcerius* (in I et II c. Luc.) *Brentius* (In Ev. Dom. Iae post Epiph. et in c. 12 Matth.) *Kemnitius* (Exam. Conc. Trid.). Inter hos non defuerunt qui B. Virginem gravius Eva deliquisse blasphemaverint (cfr S. PETRUM CANISIUM, *De Excell. B. V. M.*). Ex S. Scrip-

¹ Alii, e. g. Keuppens, impeccabilitatem dividunt in *intrinsicam* et *extrinsicam*: a) *Impossibilitas* est extrinseca si eius principium est extra facultatem agentis. Radix huius impeccabilitatis triplex est: 1) diminutio concupiscentiae, 2) abundantia gratiae (hae duae sunt correlativae), 3) specialis divina Providentia arcens occasionem peccati et confortans animam, si quae exurgunt. b) Impeccabilitas est intrinseca, quando aliquid habet in se sufficiens suae firmitatis principium. Radix huius impeccabilitatis est vel ipsa *natura*, et tunc habemus impeccabilitatem *absolutam*, quae soli Deo competit; vel ipsa *facultas*, quae roboratur per aliquam formam intrinsecam divinitus superadditam, hominem permanentem in bono defigentem (i. e. lumen gloriae in Beatis), et tunc habemus impeccabilitatem relativam.

Haec omnia B. Virgini applicans, praefatus Auctor dicit: « Certe teneri debet B. Virginem impeccabilem fuisse *extrinsece*, sive moraliter, eo quod Deus specialiter eius voluntati iugiter adstitit ne in malum aliquando inclinaretur ». Haec impeccabilitas B. Virginis radicitur: 1) in completa extinctione fomitis concupiscentiae; 2) in singulari gratiae plenitudine, et 3) in speciali divina Providentia (*Mariologiae compendium*, pp. 71-72).

tura, praeter locutiones universalitatem peccati etiam actualis affirmantes (Or. Dom.; 1 Io. 1, 8; Jac. 3, 2, 8) quaedam opponuntur Evangeliorum facta sive verba, ex quibus non verentur Mariam culpae, et haud levis, imputare, videlicet: *incredulitatis*, ob interrogationem « Quomodo fiet istud? », *negligentiae*, ob amissum puerum Iesum, *inanis gloriae*, ob instantiam in nuptiis Canae et in Iesu praedicationibus factam etc.

E modernis etiam Protestantibus perplures de B. Virgine non aliter sentiunt. Est ergo magni momenti quaestio. « Interim observa — animadvertit Ianssens — hos christianos Beatae Virginis despectores longe cedere Turcis, nam de B. Virgine in Alcorano legitur: “ O Maria, omnibus viris et mulieribus mundior atque doctior, quae soli Deo studes perseveranter ” (cap. 5). Si ergo illi Lutheri dictamini adhaerent, “ potius Turcae quam Papistae ” saltem de Maria Turcarum more sentiant! » (O. c., p. 165).

Prop.: *B. Virgo nulla unquam actualis peccati labe commaculata est.*

Prob. I: Ex Magisterio Ecclesiastico. Ecclesia aperte docuit et docet hanc doctrinam. Circa notam seu valorem vero dogmaticum huius doctrinae ab Ecclesia propositae, non una est theologorum, etiam hodiernorum, sententia, prout nuper animadvertit P. De Aldama.¹ Pro quibusdam enim est *de fide* (ita Tepe, Herrmann, de Val, Otten, Lépicier, Tanquerey, Alastruey, Jugie, Keuppens, Plessis etc.); pro aliis est *fidei proxima* (ita Hurter, Casajoana, Lercher); pro aliis est *doctrina catholica* (ita Muncunill, Merkelbach, Schütz, etc.). Nec deest qui illam habet saltem *theologicae certam* (ita Mendive, *Inst. Theol.*, 3, tr. 2, diss. 2 cp. 4 a. 1 n. 311s.). Diversus iste sentiendi modus ex diverso valore pendet canonis 23 Concilii Tridentini (sess. VI) tributo. Canon dicit: « Si quis hominem semel iustificatum dixerit... posse in tota vita peccata omnia etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, *quemadmodum de B. Virgine tenet Ecclesia*, anatema sit ». ²

Iamvero, si attendatur ad *historiam* formulationis huius Canonis nec non ad *interpretationem* Theologorum post-tridentinorum, sufficienter apparet privilegium immunitatis B. M. Virginis a quolibet peccato actuali esse *de fide* plus minusve directe definitam in Concilio Tridentino.

Attendendum igitur est, imprimis, ad *historiam* formulationis Canonis 23, ad hoc ut mens Concilii Tridentini circa hoc aperte pateat. In schemate Canonum circa iustificationem,} contra Novatores, examini Patrum proposito die 23 septembris 1546, ita (can. 13) dicebatur: « Si quis hominem semel iustificatum dixerit... posse in vita peccata omnia etiam venialia vitare, nisi ex privilegio Deus

¹ I. A. DE ALDAMA, S. I., El valor dogmático de la doctrina sobre la inmunidad de pecado venial en Nuestra Señora, in *Archivo Teológico Granadino*, 9 (1946) 52-67.

² *Conc. Trid.*, 5, 799.

aliquem praeservaverit, a. s. » (C. T. 5, 427). B. Virgo igitur, in prima formula-tione, explicite non nominabatur. Quare, Andreas de Vega proposuit ut Virginis privilegium explicite in canone includeretur haec verba addendo: « ex privilegio, ut in B. Virgine » (l. c., 432 et 438). Episcopi quidam, seu Card. Gienniensis (l. c., 492), Aquensis (l. c., 442) et Chironensis (l. c., 443) propositionis Andreae de Vega adhaeserunt, et Seripandus,] Generalis Ord. S. Augustini, formulam proposuit quae postea (cum parva accidentali modificatione) approbata fuit, videlicet: « nisi ex speciali divino (in formula definitiva: *Dei*) privilegio, quemadmodum de B. Virgine tenet Ecclesia » (l. c., 490). — Attamen, additio illa Seripandi in canone 22 (antea 13) non placuit Generali Ordinis Praedicatorum. « In canone 22 — aiebat — quod dicitur de B. Virgine *sicut tenet Ecclesia*, non placet; quia illud dicitur teneri ab Ecclesia quod in decreto speciali est definitum; dica-tur *sicut pie sentit Ecclesia* » (l. c., 660). Idem animadvertit Episcopus Fanensis: « Videtur dici — aiebat iste — Ecclesiam hoc determinasse, quod verum non est, et multi doctores tenent quod aliquo modo B. Virgo venialiter peccavit. Posse dici *ut pie credit Ecclesia* » (l. c., 720 et 719). Attamen, cum die 6 ianuarii 1547 proposita fuit praelatis et theologis interrogatio: « an placeat *tenet* [Ecclesia] de B. Virgine, quod non habuerit peccatum actuale etc. », affirmativa responsio data est: « quod cum *omnibus* placeret, probatur et firmatur » (l. c., 761). In Congregatione vero generali diei 11 ianuarii, canon plene approbatum fuit (l. c., 7841), et ita Virginis immunitas a peccato actuali fuit explicite in canone (23) inclusa (l. c., 799).

Ex hac historia canonis 23 apparet: 1) immunitas B. Virginis a peccato actuali, non est tantum *pia sententia Ecclesiae* (prout voluissent Generalis Dominicanus et Episcopus Fanensis), sed est *doctrina Ecclesiae*; 2) definitio tridentina simul cadit supra *legem generalem* peccati actualis et supra *exceptionem* ab hac lege relate ad B. Virginem, quae « ex Dei privilegio » fuit immunis. Et ideo *de fide* est sive lex generalis in canone expressa sive exceptio ab hac lege, seu, de fide est doctrina quam « tenet Ecclesia » circa immunitatem a peccato actuali. Haud solida ergo videtur animadversio I. Mendive, dicentis: « Non declarat autem (Con. Trid.) qua certitudine, an divina scilicet, an vero theologica, id Ecclesia teneat; unde non satis constare videtur veritatem hanc inter fidei dogmata esse computandam » (*Institutiones Theologiae Dogmatico-scholasticae*, 3, tr. 2 diss. 2 cp. 4 a. 1 n. 311 s.). Constat enim eadem certitudine (fidei nempe) Ecclesiam legem generalem et exceptionem a lege tenere. Gradus igitur certitudinis implicite dicitur. — Nec valida insuper videtur haec animadversio P. Merkelbach: « Non tamen est de fide, quia non dicitur Ecclesia id *credere*, sed solum *tenere*... » (*Mariologia*, p. 2, q. 2, n. 63). Etenim, prout pluribus adductis exemplis plene probavit P. de Aldama (l. c., p. 58s.), iuxta modum loquendi Concilii Tridentini, apparet quod verba *tenere* et *credere* unum idemque significant. Ita, e. g. asserit Concilium (in formula *Prof. fidei*); « Constanter *teneo* purgatorium esse » (Har-

duin, 10, 200): ubi verbum *teneo* evidenter significat *credo*, seu, intellectualem veritatis acceptationem. Definitur itaque in canone 23 directe fides Ecclesiae circa hoc Deiparae privilegium, indirecte vero ipsum Deiparae privilegium. Iure animadvertibat Novati: « Pondera illud *tenet*: modus hic loquendi non est referre sententiam pie credendam, sed, veritatem, quam Ecclesia iam amplexa est ex antiqua traditione » (*De eminentia Deiparae*, cp. 3 q. 13).

Interpretatio vero huius canonis 23 data a Theologis sive Tridentinis (qui interfuerunt Concilio, i. e. Dominicus Soto, Andreas de Vega) sive post-tridentinis (S. Petrus Canisius, B. de Medina, Henriquez, Velasquez, Suarez, Novati, Vega, Lugo, Vasquez, Ripalda etc.,¹ unico excepto Sylvio qui contrariam sententiam solummodo temerariam habet.)², interpretationem nostram confirmat.

Pariter in Bulla *Ineffabilis Deus* B. Virgo dicitur « ab *omni* prorsus labe peccati semper libera, ac tota pulchra et perfecta ». Addi etiam potest doctrina Patrum Concilii Basileensis, iuxta quod doctrina asserens B. Virginem immunem semper fuisse ab omni originali et actuali culpa, sanctamque et immaculatam, tanquam pia et consona cultui ecclesiastico, fidei catholicae, rectae rationi et Scripturae ab omnibus Catholicis approbanda est, tradenda et amplectenda, nullique de cetero licitum in contrarium praedicare aut docere.

Tandem, condemnata est propositio Baii 73, in qua mors et afflictiones huius vitae dicuntur in B. Virgine fuisse « ultiones peccati actualis et originalis » (Denz., n. 953).

Prob. II: Ex S. Scriptura.

Veritas haec implicite continetur in duabus veritatibus in S. Scriptura formaliter contentis, videlicet: 1) perfecta sanctitas B. Mariae V. et 2) maternitas divina.

Ad 1. am a) Implicite continetur in verbis Genesis 3, 15: « Inimicitias ponam etc... », eo quod in ipsis quaelibet communicatio Mariae cum diabolo, peccati auctore, excluditur b) Implicite continetur in plenitudine gratiae ab Angelo Mariae significata: « Ave, gratia plena » (Luc., 1, 28). Iamvero, ut animadvertit S. Albertus M. « ubi aliquod de peccato veniali, ibi aliquod vacuum de gratia, sed ipsa [Maria] plena gratia fuit; ergo nihil de peccato fuit in ipsa » (*Mariale*, q. 133).

¹ Videas textus ap. de Aldama, art. c., p. 60-65.

² SYLVIVS, In III, q. 27, a. 4. L. c. p. 65.

Iuxta quosdam auctores, Concilium Claromontanum a. 1095 sub Urbano II celebratum, immunitatem B. Virginis a quolibet peccato veniali tamquam fidei dogma definisset. Attamen in Concilio illo nihil omnino circa hanc rem invenitur. Primus qui de tali re locutus est, videtur fuisse Calvinus qui scripsit: « De speciali Virginis Mariae privilegio, cum caeleste diploma protulerint, credemus quod iactant. Nam Ecclesiam quid appellant, nisi Conc. Claromontanum? » (CALVINUS, *Acta Synodi Tridentinae cum Antidoto*. Corpus Reformatorum vol. 35, Calvini opera, 7) 481.

Et revera gratia plena inventa non fuisset, si peccato, etiam levissimo obnoxia fuisset. c) Implicite continetur in verbis: « Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te » (Cant. 4, 7). « Tota pulchra es — inquit Idiota — Virgo gloriosissima, non in parte, sed in toto; et macula peccati, sive mortalis sive venialis, sive originalis non est in te, nec unquam fuit nec erit » (*In Contempl. Deiparae*, c. 2). Et Richardus a S. Victore: « Tota pulchra fuit quam tota possedit gratia, quia nullum in ea locum habuit peccatum » (Comm. in Cant. 4). Iure hic animadverti potest quod verba « Tota pulchra » nulli alteri, praeter Virginem, competunt, omnes enim saltem peccato originali commaculati fuerunt.

Ad 2.am: Implicite etiam continetur impeccabilitas Virginis in eiusdem divina maternitate: requirebatur enim ad hoc ut esset *idonea* mater Dei.

Contra haec, quaedam *ex ipsa* S. SCRIPTURA obiiciuntur videlicet: 1) Verba a S. Luca relata (1, 34): « Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? » ostendunt B. Virginem *incredulam* sese exhibuisse verbis Angeli.

RESPONDETUR: Responsio B. Virginis non ab incredulitate sed a religione (ob votum virginitatis) inspirata fuit. Quaerebat enim *de modo* (« quomodo...? ») et ideo certa erat, evidenter, *de facto*.

2) Petitio Virginis in nuptiis Canae (Io. 2), fuit superba et ab ambitione inspirata. Et ob hanc causam Christus illam redarguit dicens: « Quid mihi et tibi mulier?... ». Ita interpretatus est verba illa S. Ioannes Chrysostomus: « Volebat enim tum de illis bene mereri, tum seipsam illustriorem per Filium facere » (Homil. in Io., 21, alias 20, PG 59, 130 s.).

RESPONDETUR: Petitio illa, si bene ad omnes circumstantias narrationis attendatur, fuit ab eximia caritate erga proximum inspirata, et discretione et modestia enituit.

Responsio vero Christi non supponit vituperationem ob aliquem defectum a Matre commissum, prout subsecutum miraculum comprobavit. Verba vero S. Ioannis Chrysostomi quae, de cetero, furtim e calamo eius ceciderunt, possunt pie cum S. Thoma (3, 27, 4) eo sensu intelligi quod « in Ea Dominus cohibuisset non inordinatum inanis gloriae motum quantum ad ipsam, sed id quod ab aliis posset aestimari ».

3) B. Virgo, a) puerum Iesum duodennem in templo amittens (Luc., 2) negligentiae peccavit; b) ob amissum Filium supra modum doluit et improbis affectibus succubuit; c) expostulationis et commoti animi vitium ostendit cum Filium suum duodennem in templo compellavit. Et d) ideo Christus ipse illam durius alloqui visus est: « an nesciebatis etc...? ».

RESPONDETUR: a) Nullam intercessisse Virginis *negligentiam* in Filii sui amissione, ipsemet S. Lucas sat evidenter declarat dicens: « *existimantes* illum (Iesum) esse in comitatu » id est, cum sociis itineris, quia in illa occasione, tur-

matim proficisci solebant. Insuper cum B. Virgo et etiam S. Ioseph virtutem et sapientiam Pueri Iesu, nec non eiusdem divinam filiationem bene perspectam haberent, non erat cur de ipso nimis solliciti esse deberent: non egebat enim eorum veluti manuactione et praesidio ad hoc ut in propriam domum incolumis reverti potuisset.

b) Neque *nimius* dicendus est B. Virginis *dolor*, si attendatur ad eius ineffabilem amorem erga Filium, et ideo iustum et naturalem materni cordis affectum manifestare potuit, amissum Filium dolendo et illum sollicite quaerendo. Etiam Christus, in cruce pendens, dolorem suum aperuit exclamans: « Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? » (Matth., 27, 46).

c) Verbis « Fili, quid fecisti etc... » B. Virgo non impatienter de Filio conqueritur, sed ineffabilem sui cordis amorem et dolorem pro Filii absentia, pandere voluit, maternam dignitatem auctoritatemque quodammodo ostendendo, et ideo causam aliquo modo pro tali tantoque dolore humiliter inquirendo.

d) Verba vero Christi non sunt verba reprehendentis; quia nulla fuerat in ipsis culpa, sed sunt verba potius magistri docentis suamque agendi rationem defendentis. Christus enim, praeter subiectionem parentibus in iis quae domesticam vitam spectabant, aliam etiam subiectionem habebat a sua divina missione derivatam, ratione cuius non matri sed Patri coelesti tantummodo subdebatur. Quamvis enim B. Virgo eiusque Sponsus probe cognoscerent, generali quadam ratione, Christum, iis quae Patris sui coelestis erant, attendere debuisse,¹ non bene tamen in particulari perspectum habebant quo tempore, quo loco, qua particulari ratione munus suum esset obiturus. Et de hoc Christus illos amanter edocere dignatus est, ostendens tempus tunc advenisse, a Patre praestitutum, ut primo se manifestaret mundo, licet eos adhuc incertos relinqueret quandonam publicam suam missionem resumpturus foret; et hac de causa S. Lucas subiungit: « Et ipsi non intellexerunt (i. e. perfecte) verbum quod locutus est ad eos » (2, 50). Christus interrogatione rethorica utitur, ad hoc ut veritas altius in eorum cordibus insinuetur. Verba igitur Christi, non sunt verba reprehensionis, sed *instructionis*, docet enim, quod factum est, consilio et mysterio divino gestum esse; *consolationis*, quia causam dolendi et sollicite inquirendi non fuisse dicit; *defensionis*, quia causam illis dolendi et anxie quaerendi se dedisse tacite negat (cfr KNABENBAUER, *Comm. in Ev. sec. Lucam*, Paris, Lethiellieux, 1896, p. 146).

4) B. Virgo *ambitosam* et *importunam* sese exhibuit cum Iesu loquente ad turbas, alios cognatos secum adducens, ad Christum docentem voluit accedere eumque compellere » (Matth., 12, 47). Ita Brentius. Et ipsemet S. Ioannes Chrysostomus, exponens verba: « Quae est mater mea et qui sunt fratres mei » ait:

¹ Cavendum igitur est ne verba Christi hunc sensum habere dicantur: Si diligentius rem consideravissetis, cognovissetis me utique circa Patris negotia occupari debuisse. Etenim, talis considerationis defectus, peccatum quoddam, certe, fuisset.

« Quod illa fecit, ex ambitione proficiscebatur: volebat enim populo sese ostentare ac si imperaret Filio, de quo nihil adhuc magnum imaginabatur, ideoque importune accessit. Vide ergo et eius et fratrum arrogantiam. — Qui etiam Mariae petitionem in Cana explicans, ait: Volebat enim et illos beneficio devincire, seque splendidiorem per Filium reddere et forte humanum quippiam passa est, ut et fratres eius qui dicebant: OSTENDE TEIPSUM MUNDO, quod vellent ex miraculis sibi gloriam comparare; ideo sic illis asperius respondit... QUAE EST MATER MEA, ET FRATRES MEI. Nondum enim eam qua par erat de ipso opinionem habebant, sed quia ipsum pepererat, matrum more, putabat se illi posse omnia praecipere, quae illum ut dominum colere et adorare debuisset, ideo tunc ita respondit » (Homil. 44 in c. 12 Matth., t. 6, p. 313; Homil. 21, al. 20, ex cap. 1, Io., n. 2, t. 9, pp. 329, 330).

RESPONDETUR cum S. Petro Canisio: « Non cadit vel minima suspicio ambitionis in eam Virginem cuius ingens humilitas divino testimonio commendatur. Ambitionis, inquam, suspicio in Mariam non cadit, cum hoc vitium sit plane diabolicum, quod in angelis et in hominibus vel maxime detestatur Deus... Peccavit Brentius haec tam pudenda et nefanda scribendo: non peccavit Maria tale aliquid vel in omni vita cogitando, sibi que vindicando. Nulla illi magis, quam Christi gloria cordi fuit, omnem suam curam et fiduciam in illo uno defixam habuit: nec illi clarius, antiquius, suavius quidquam esse potuit, quam divini nominis gloriam et coelestem regnum Filii sui conatibus egregie promoveri atque amplificari... » (o. c., l. 4, c. 19). B. Virgo, igitur, non se praebet comitem iis qui inordinato affectu ad Iesum accedere voluerunt; nec importunam se praebet, quasi Christum loquentem impedire tentasset. Etenim « Nihil tale — prosequitur S. Canisius — significant verba Evangelistae, qui narrat solum quod Christo de Matris et cognatorum adventu fuerit renuntiatum. Nec est probabile Virginem tam prudentem quam religiosam (si tamen illa nuntium ad Filium destinavit) rem suam sic praepostere instituisse ut docentem Dominum vellet interpellare, aut ad cursum doctrinae abruptum illam ibi praebere occasionem. Quis enim credat, eam vel tam importunam, vel tam imprudentem aut rudem fuisse, ut non cogitaret atque intelligeret divini verbi praedicationem (officium in Ecclesia certe praestantissimum, maximeque necessarium, et Christo a Patre demandatum, ac Ecclesiae pastoribus, quibus vae, nisi evangelizaverint, imprimis commendandum) haudquaquam interrumpi, sed modis omnibus provehi oportere?... Ego vero sic arbitror, Mariam pro sua pietate et sapientia Christum docentem per se vel per alium non interpellasse, sed potius accessum ad Filium propterea expetivisse, ut, quia prae turba non licebat accedere propius, quemadmodum Lucas meminit, locum ad audiendum verbum sibi et cognatis opportunum pararet atque acciperet... Hoc certo constat nullum Evangelistarum expressisse, an et quomodo et quando ad Christum Maria miserit: potuit autem

internuntius, quisquis ille fuit, a Maria non iussus, et omnino praeter et contra eius mentem, Christum praedicationis tempore interpellare. Quid plura? ut fuse dicta in pauca demum contraham, de illo qui Mariae Matris adventum Christo nuntiavit, sic habendum est, quod aut sponte, animo non bono, sed tentandi gratia Dominum concionantem interpellavit, sicut Hieronymus interpretatur: aut quod ab ambitiosis Christi cognatis, non a Matre subornatus accesserit: aut demum, si a Matre missus dicatur, non id quidem factum esse ad sacrum docentis Christi officium impediendum, eumque moleste interpellandum, sed potius ad significandum se quidem prae foribus expectare, ipse vero ut pro suo nutu quid velit decernat ac iubeat. Atque haec sufficere putamus tum ad Mariae Virginis tuendam innocentiam, tum ad improbam adversariorum calumniam depellendam qui certe nimium inhoneste et inciviler faciunt, cum totius honestatis speculum tam graviter accusant, quod inhoneste et inciviler admodum egerit, et propter suam importunam evocationem, de qua nihil certi demonstrare possunt, leges honestatis publice violaverit » (l. c.).

Responsio vero Christi: « Quae est mater mea... » minime detrahit honori debito Matris. Sicut enim olim legitime dixerat: « In his quae Patris mei sunt oportet me esse » (Luc., 2, 49), ita pariter nunc, cum in his esset quae Patris sui erant, dicit: « Quae est mater mea... », insinuans derelinquendum non esse praedicationis officium ad hoc ut cum cognatis colloqui posset, et cognationi carnali praeferendam esse cognationem spirituales qua secum arcte iunguntur quicumque voluntatem Patris sui fecerint, « in quo numero profecto — aiebat S. Augustinus — etiam ipsam sanctam Mariam benignus includit. Faciebat enim et illa voluntatem Patris eius » (Ep. ad Laetum, PL 33, 1058).

Relate vero ad verba Chrysostomi, animadvertendum est tam diserta esse quae alias Chrysostomus docet de Maria, eiusque morali perfectione, ut haec dubia loca sub luce illius generalis doctrinae explicari debeant.

Prob. III: Ex traditione.

Tria veluti stadia distingui possunt: I) a saec. I ad saec. v; II) a saec. v ad saec. XIII; III) a saec. XIII ad saec. nostrum.

I. **A saec. I ad saec. V.** Quatuor prioribus Ecclesiae saeculis veritas haec *implicita* tantum, sicut veritas Immaculae Conceptionis, profitebatur. Sic in Liturgia Orientali (quae a S. Iacobo dicitur tradita et quae fuit a Conc. Oec. VI, can. 32 suscepta), B. Virgo dicitur « purissima, immaculata, omnibus modis irreprehensa ».

II. **A saec. V ad saec. XIII.** Incipit explicita professio immunitatis B. Virginis a quocumque peccato in quolibet vitae suae momento. Insuper, interpretatio magis vera exhibetur illorum textuum S. Scripturae qui, saec. III et IV difficultatem aliquam contra Deiparae impeccabilitatem creaverant. Praecipui sunt:

1) S. EPHRAEM B. Virginem sic alloquitur: « Immaculata et intemerata, incorrupta et prorsus pudica atque ab omni sorde et labe peccati alienissima » (ed. Venet. 1754, p. 571). 2) S. AUGUSTINUS: « Excepta itaque sancta Virgine Maria, de qua, propter honorem Domini, nullam prorsus, cum de peccatis agitur, haberi volo quaestionem: unde enim scimus quod ei plus gratiae collatum fuerit ad vincendum ex omni parte peccatum, quae concipere ac parere meruit, quem constat nullum habuisse peccatum. Hac ergo Virgine excepta, si omnes illos sanctos et sanctas, cum hic viverent, congregare possemus, et interrogare utrum essent sine peccato, quid fuisse responsuros putamus? » (*Lib. de nat. et Grat.*, c. 37, n. 42, PL 44, 267). 3) S. PASCASIUS RADBERTUS (saec. IX) qui explicitè affirmat B. Virginem, toto vitae suae tempore a qualibet culpa immunem fuisse (*De partu Virginis*, l. 1, PL 120, 1371 sq.). 4) EADMERUS non solum idem docet, sed et modum providentiae specialis explicat: « Nulli dubium castissimum corpus et sanctissimam animam eius funditus ab omni fuisse macula peccati, iugi angelorum custodia protectam, utpote aulam, quam suus et omnium Creator Deus corporaliter inhabitaturus et ex quo hominem in suae personae unitate ineffabili fuerat operatione sumpturus » (*De excell. B. Virg.*, c. 3, PL 159, 560). 5) HILDEBERTUS DU MANS († 1133) differentiam explicans inter Mariam Magdalenam et Mariam Matrem Dei, explicitè asserit Deiparam nunquam peccatum cognovisse (Serm. 69, PL 181, 677). 6) S. BERNARDUS: « Ego puto quod et copiosior sanctificationis benedictio in eam descenderit, quae et ipsius non solum sanctificaret ortum, sed et vitam ab omni deinceps peccato custodiret immunem, quod nemini alteri in natis quidem mulierum creditur esse donatum » (epist. 184, 5, PL 183, 420). Idem docent RICHARDUS A S. VICTORE († 1173) (*Explicitio in Cant. Cantic.*, 26, 29, PL 116, 482, 516) et GAUTHIERUS A S. VICTORE (1180) (*Excerpta ex libris contra quatuor labyrinthos Franciae*, PL 119, 1154 ss.).

Mentitur ergo G. Herzog (o. c., pp. 52, 72, 84) asserens quod in prioribus 12 Ecclesiae saeculis traditionalis doctrina B. Virginem in peccato relinquebat. A saec. V enim, usque ad initium saec. XIII, immunitas B. Virginis a quolibet peccato actuali explicitè et communiter admittebatur. Purificatio quae, secundum quosdam auctores, in momento Incarnationis locum habuisset, non requirebatur, iuxta illos, ad hoc ut B. Virgo a labe quadam peccati liberaretur, sed ad hoc ut eius fomes penitus seu radicitus destrueretur, quamvis nullum actum habuisset.

III. A saec. XIII ad dies nostros. Inde a saec. XIII quaestio principaliter poni coepit circa *principium* immediatum seu causam immunitatis B. Virginis ab omni peccato, et simul, consequenter, circa ipsam impeccabilitatem Deiparae.

Saec. XIII S. ALBERTUS M. posuit causam immunitatis B. Virginis ab omni peccato fuisse plenitudinem gratiae qua decorata fuit. (Super « Missus est » 134, *Opera*, t. 20, p. 91). Idem docet ALEXANDER HALENSIS (*Summa Theologiae*, p. III,

q. 9, m. 3, a. 2, Venetiis, 1575, p. 32). Iuxta S. THOMAM, immunitas illa debebatur nedum gratiae sed etiam continuae Providentiae, quae quamlibet occasionem peccati impediabat et voluntatem Virginis ad bonum incessanter inclinabat (*S. Th.*, I, q. 100, a. 2). Iuxta S. BONAVENTURAM, B. Virgo, quamvis semper immunis fuerit ab omni peccato actuali, privilegium tamen impeccabilitatis in ipso Incarnationis instanti recepit. Causam vero huius impeccabilitatis invenit in auxilio quodam divino animae potentias confirmante et omne defectum destruente (*In III Sent.*, dist. 3, p. 1, a. 3, q. 3, t. 3, pp. 77 sq.).

Saeculis XIV et XV admittitur communiter explicatio S. Thomae aut S. Bonaventurae cum aliqua differentia in verbis magis quam in re. Relate vero ad momentum in quo hoc privilegium B. Virgini collatum est, iuxta plures auctores, fuisset momentum primae sanctificationis eiusdem.

A saec. XVI usque ad nostra tempora, cum doctrina theologica immunitatis B. Virginis a quolibet peccato actuali, a Concilio Tridentino iam confirmata fuisset, elaboratio theologica principaliter reposita est in difficultatibus adversariorum fidei catholicae solvendis. Hoc peregit praesertim S. Petrus Canisius in suo *Commentario de Sacrosancta Virgine Maria Deipara*, l. 1, c. 10, l. 4 c. 1 sq., 20, 27. Ingolstadt, 1583, t. 2, pp. 73, 386 sq., 506 sq., 548 sq. Causa vero impeccabilitatis communiter ab auctoribus invenitur, sicut antea, in peculiari adstantia Providentiae voluntati Deiparae.

Quae a Patribus quibusdam (i. e. S. Basilius, S. Io. Chrysostomus etc.) de imperfectionibus B. Virginis dicta sunt, praepropere — monente Petavio (*De Incarnatione*, 14, 1, *De theologicis dogmatibus*, Anvers 1700, t. 6, pp. 210 sq.) — sunt dicta, per transennam, et probabiliter ex idea minus laudabili de imperfictiore indole morali mulierum sunt enata.

Prob. IV: Ratione.

1) *Ex idoneitate ad divinam Maternitatem.*

Prima et fundamentalis ratio ita a S. Thoma (3, q. 27, a. 4) exponitur: Quodcumque Deus aliquem eligit ad quemdam specialem statum, ita electum praeparat atque disponit, ut idoneus inveniatur ad id omne praestandum ad quod eligitur; ita quippe S. Paulus: Sufficientia nostra ex Deo est, qui et idoneos nos fecit ministros Novi Testamenti. Atqui Deus elegerat Beatam Virginem in Matrem Filii sui. Ergo electam suam Matrem per divinam gratiam idoneam fecit, ut ea omnia praestaret, quae ad tantum officium pertinebant. Atqui peccatum Beatam Virginem ineptam reddidisset officio suo adimplendo. Ergo Beata Virgo peccatum minime commisit.

Exponitur argumentum. Sane, a) quemadmodum *gloria filiorum patres eorum*, ita ignominia Matris etiam venialiter peccantis, in Filium quodammodo redundasset. Praeterea, b) cum Christus sit essentialis sanctitas, nec ullam, etiam te-

nuem, peccati ullius maculam admiserit, iuxta illud: *quae conventio Christi ad Belial*, singularis affinitas quam habuit cum Beatissima Virgine minime sinebat ut illa, ex qua carnem assumere non detrectabat, aliqua etiam umbratili labe pollueretur. Rursus, c) quia in malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis, ideo mulier illa praecellens, quae corporaliter et modo quodam permanenti aeternae Sapientiae Incarnatae habitaculum fiebat, non debebat subiici, ullo vitae suae mortalis tempore, peccati insultibus (q. 24 de Verit., art. 9, ad 2). Tandem d) B. Virgo, qua Dei Mater, iugiter a Filio suo diligebatur, et amor Filii perennis, perenniter a Matre peccatum excludebat.¹

2) *Ex exclusione peccati mortalis*. Explicite excluso a B. Virgine quolibet peccato mortali, implicite exclusum manet etiam quodlibet peccatum veniale. Etenim, firmiter tenendum est hominem in innocentia constitutum non prius potuisse peccare venialiter quam peccaret mortaliter; cum veniale peccatum attendatur secundum rebellionem partis inferioris ad rationem, peccatum autem mortale secundum rebellionem rationis ad Deum: porro pars inferior rationi perfecte subdita manebat, quousque ratio ipsa Deo subiiciebatur. Quocirca, excluso in Beata Virgine omni mortali peccato, iam implicite exclusum manet peccatum veniale.²

3) *Ex officio Corredemptricis*. Congruebat enim ut illa quae electa fuerat a Deo socia Christi mediatoris in opere redemptionis hominum, ab omni prorsus peccato libera existeret: peccatum enim ad mediationem corredemptivam et praesertim ad satisfactionem nihil confert, immo virtutem mediationis et satisfactionis evacuat. Iure ergo S. Bonaventura scribebat: « Hoc congruebat, *advocatam* generis humani, ut nullum haberet peccatum, quod eius conscientiam remorderet ». Et rursus: « Congruum etiam erat ut Beata Virgo Maria, per quam auferitur a nobis opprobrium, vinceret diabolum ut nec ei succumberet ad modicum » (*In III Sent.* 3, part. 1, a. 2, q. 1).

4) *Ex continuo sensu divinae Maternitatis*. « Habuit nempe (B. Virgo) actua-lem et experimentalem sensum filiationis Dei, intime cogitando et saporando quanti Filii erat Mater, et quantum Ei obligata erat ». Ita S. Bernardinus Senensis, Serm. 4, *De Concept. B. M. V.*, a. 3, c. 2, tom. 4, p. 91.

B. Virgo, igitur, non pro seipsa sed pro *aliis* tantum illa verba orationis dominicae repetere potuit: « Dimitte nobis debita *nostra* ». Nullum enim debitum cum divina iustitia, toto vitae suae tempore contraxit.

Corollarium. Si quaeratur quid in B. Virgine magis dedecens fuisset, utrum originale peccatum, an actuale veniale (quaestio enim de *mortali* stulte omnino moveretur), respondendum videtur magis dedecere originale quoad habitualement statum quem inducit et influxum quem habet in conditionem prolis generandae; magis autem veniale actuale quoad *personalem* actum a quo est. Unde, *personae* dignitatem in B. Virgine respicientes,

¹ LÉPICIER, l. c., pp. 206-207.

² Ibid., p. 206.

omnes illi Scholastici qui Immaculatam Conceptionem denegabant, immunem nihilo minus eam a quovis peccato actuali praedicabant. E converso autem, nullus boni nominis scriptor, B. Virginem Immaculatam agnovit quin eius impeccabilitatem quoque proclamaverit. Omnes enim rationes quae privilegium Immaculae Conceptionis exposcunt, privilegium immunitatis a peccato actuali a fortiori exigunt (cfr JANSSENS, o. c., p. 166).

CAP. II – DE PERFECTIIONIBUS ANIMAE B. M. V.

Remota qualibet imperfectione ab anima B. Mariae V., et ideo omnimoda sanctitate negativa vindicata, agendum nunc superest de perfectionibus animae B. M. V., et ideo de sanctitate eius positiva.

Perfectiones vero animae B. Virginis, sive ex parte voluntatis sive ex parte intellectus consideratae, sunt: 1) *gratia habitualis*, 2) *virtutes*, 3) *dona Spiritus Sancti*, 4) *fructus*, 5) *beatitudines*, 6) *charismata seu gratiae gratis datae*, 7) *scientia*.

Art. I – DE GRATIA B. MARIAE V.¹

B. Virgo, ante omnia, fuit « gratia plena ».

Tria praenotanda sunt: 1) quid et quotuplex sit gratia; 2) distinctio inter Christum et B. Virginem relate ad gratiam; 3) Divisio praesentis quaestionis.

I. Quid et quotuplex sit gratia. *Originative*, gratia $\chi\acute{\alpha}\rho\iota\varsigma$ dicitur id quod est indebitum, seu gratis concessum. Iamvero, omnia quae nobis insunt (esse, conservari, vivere) a Dei liberalitate pendent, et sub hoc respectu gratuita sunt, et dici possunt gratia. At semel supposito Deum voluisse nos in esse producere, haec omnia sunt *naturae debita*, nec omni ex parte remanent gratuita.

Quocirca, ex usu apostolico et ecclesiastico, gratia proprie dicitur quod nequit ex natura oriri, quodque et vires et exigentias totius naturae excedit. Proprie, igitur, gratia est ens supernaturale, et definiri potest: « Donum supernaturale creaturae rationali a Deo concessum in ordine ad vitam aeternam ».

Ratione *causae finalis gratia* dividitur in gratiam gratum faciens et gratis datam: a) gratia *gratum faciens* est illa quae per se in subiecti recipientis utilitatem ordinatur, ipsumque Deo gratum et amicum reddit, sive *inchoative* (ut gratiae actuales quae ad iustificationem praeparant) sive *formaliter* (ut gratia habitualis quae animam formaliter Deo gratam reddit) sive *consummative* (ut actus meritorii qui ex statu gratiae procedunt). Hinc gratia gratum faciens nihil aliud est nisi gratia *actualis* (quae subiectum tangit per modum actionis transeuntis) vel *habitualis* (quae subiecto inhaeret per modum qualitatis permanentis).

¹ Utiliter consuli potest pro hac quaestione RAVAGNAN B., *De Mariae plenitudine gratiae*, Vicenza 1941 (extractum ex *Marianum*, t. 3, 1940). — Cfr etiam GUTIERREZ S., O. S. A., *La plenitud de gracia de la Santísima Virgen*, in *Estudios Marianos*, 5 (1946) 165-204. — NAULAERTS I., *De gratiae plenitudine in Maria*, in *Collect. Mechlin.*, 3 (1929) 33-39.

b) Gratia vero *gratis data* est illa quae primario et per se in salutem aliorum et in Ecclesiae utilitatem ordinatur (e. g. donum miraculorum).

In praesenti quaestione agimus de gratia habituali. Gratia haec, quae dicitur etiam sanctificans, nos efficit filios Dei adoptivos cum iure ad haereditatem Patris, nec non, consequenter, consortes divinae naturae, per specialem et supernaturalem assimilationem (longe transcendens naturalem similitudinem tum vestigii, quae omnibus creaturis inest, tum imaginis, quae animae humanae et angelo imprimitur) et unionem qua Spiritus S. seu tota Trinitas singulari modo (non solum ratione immensitatis divinae) personaliter habitat in anima, id est, sicut cognitum est in cognoscente et amatum est in amante (*S. Th.*, I, q. 43, a. 3), ita ut Eam vere possideamus, Eaque vere fruamur.

Hinc, animae gratiam possidenti, mirabilis inest pulchritudo: siquidem claritate et gloria divina refulget, quemadmodum purissimi crystalli globus lucet atque resplendet lumine solis.

II. **Distinctio inter Christum et B. Virginem** relate ad plenitudinem gratiae: gratia Christi, inde a primo Eius conceptionis instanti, talem plenitudinem habuit qua maior esse non potuit, et ideo nullimode, saltem de potentia Dei ordinata, augmenti capax fuit. Gratia vero B. Virginis non talis fuit, inde a primo eius conceptionis instanti, quae augeri, temporis decursu, non potuit, et ideo profectum usque ad mortem admisit. Et huius rei ratio est quia B. Virgo, durante tota sua vita, simpliciter viatrix remansit, et solummodo post assumptionem statum comprehensorum obtinuit. Quare, Maria non habuit nec potuit habere plenitudinem gratiae *absolutam* « *intensive* », quia non habuit gratiam in summa excellentia qua potest haberi; neque *extensive*, quia illam non habuit ad omnes effectus gratiae (*S. Th.* III, q. 7, a. 10). Haec enim gratiae plenitudo absoluta, intensive et extensive, est propria Christi, qui fuit caput mystici corporis seu Ecclesiae. B. Virgini proinde gratiae plenitudo *relativa* tribui debet, illa nempe quae suae maternae missioni congruebat. Ad rem S. Thomas: « B. Virgo... dicitur fuisse plena gratiae per comparisonem ad seipsam, quia, scilicet, habebat gratiam sufficientem ad statum illum ad quem erat electa a Deo, ut scilicet esset Mater Dei » (*S. Th.*, III, q. 7, a. 5, ad 1). Igitur « post eum (Christum) habuit maximam plenitudinem gratiae B. Maria, quae ad hoc est electa ut esset Mater Christi » (*Comm. in Ep. ad Rom.*, c. 8, lect. 5).

III. **Divisio quaestionis.** Triplex quaestio, ut patet ex dictis, hic institui potest, videlicet: I) de gratia quam habuit B. Virgo in sua prima sanctificatione, seu in primo instanti suae personalis existentiae, paucis verbis, *de gratia initiali* B. M. V.; II) de gratia quam habuit B. Virgo *in suo progressu et in fine*; III) *de natura* huius gratiae.

I) De gratia initiali B. M. V.

Circa gratiam initialem B. M. V. tria quaeri possunt: 1) *an fuerit* ei collata seu de existentia gratiae initialis; 2) *quomodo* fuerit ei collata, 3) *quanta fuerit*.

1) De existentia gratiae initialis B. M. V.

Circa hoc nulla dubitatio oriri potest, ut ex dictis in praecedenti quaestione patet. Cum enim praeservatio ab originali peccato citra gratiae sanctificantis infusionem fieri non possit, hinc in ipso actu praeservationis a culpa originali, B. Virgo gratia sanctificante donata est. Quapropter Immaculata Virginis Conceptio non distinguitur re sed ratione tantum a prima Deiparae sanctificatione per gratiae infusionem, iuxta illud: «(Patres Ecclesiaeque scriptores) affirmarunt eandem beatissimam Virginem fuisse per gratiam ab omni peccati labe integram, ac liberam ab omni contagione et corporis, et animae, et intellectus, ac semper cum Deo conversatam, et sempiterno foedere cum Illo coniunctam, numquam fuisse in tenebris, sed semper in luce; et idcirco idoneum plane extitisse Christo habitaculum, non pro habitu corporis, sed pro gratia originali » (*Bulla Ineffabilis*).

Prop.: *In primo instanti suae conceptionis passivae B. Virgo sanctificata fuit seu gratiam habituales accepit.*

Prob. I. Auctoritate: 1) S. SCRIPTURAE: De tabernaculo testimonii, quod profecto Mariae figura fuit, dictum est quod, postquam cuncta in illo perfecta fuerunt, nubes « operuit et gloria Domini implevit illud » (Exod., 40, 32). A pari, ergo, cum cuncta in B. Virgine perfecta fuerunt, scilicet et corpus et anima, recte dicitur sanctificata fuisse, iuxta illud: « Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus » (Ps., 45, 5), i. e. in primo conceptionis eius instanti.

2) PATRUM, quorum plura testimonia iam attulimus in decursu quaestionis de Immaculata Conceptione.

II. Ratione: « Cum Deus — scripsit Card. Lépicier —¹ hominem ita constituerit, ut eum ad ordinem supernaturalem gratuito elevaret, hinc necesse est ut vel in gratia Dei existat, vel eius inimicus fiat; impossibile enim est, eum in statu quodam neutrali permanere; unde, sicut impossibile est, secundum ordinem a Deo praestitutum, hominem gratia divina carere, quin peccato inficiatur, ita impossibile est eum peccato carere, quin gratia divina exornetur. Quapropter et ipsa Immaculata Conceptio Beatae Virginis sanctificatio vocari potest, licet peccatum nunquam antecesserit, sicut et Christus de se ipso dicebat: *Quem Pater sanctificavit*;² at propter huius vocis abusus, ex parte eorum qui volebant festo Conceptionis coli ab Ecclesia solummodo Virginis sanctificationem, Summi Pontifices illam pro designanda Immaculata Conceptione merito proscripserunt ».

¹ O. c., p. 220.

² Io., 10, 36.

2) **De modo collationis gratiae initialis B. M. V.**

Circa modum collationis gratiae initialis B. M. V., haec, in primis, cum Card. Lépicier, animadvertenda sunt: « Cum unumquemque secundum modum suum Deus moveat; parvuli autem usum rationis nondum adepti, sint incapaces eliciendi actum voluntatis, hinc sequitur quod de lege ordinaria et modo consueto, Deus, illos in sacramento baptismatis iustificet absque illorum cooperatione. At, cum nobilior sit ad gratiam accedere proprio motu, quam tantummodo motu alieno, aliunde cum iam noverimus animam Christi Domini proprio voluntatis motu ad gratiam se praeparasse, modo quaeritur utrum et hoc Beatissimae Virgini sit concedendum, ita ut ad gratiam in illo primo instanti suae conceptionis passivae se proprio actu disposuerit, sub influxu actualis motionis gratiae divinae, quam utique, ubicumque sermo est de iustificatione, nunquam praetermitti debere novimus ». ¹

Prop.: *In primo instanti suae conceptionis passivae, B. Virgo sanctificata fuit proprio motu liberi arbitrii, quem saltem transeunter habuit.*

Propositio haec est communis, et theologice certa dici potest. Ei enim suffragantur S. Vincentius Ferreri (*Manuscript. Tolos.* 346), S. Bernardinus Senensis (*Serm. IV, de B. M. V.*, a. l. c. 2, t. 4, p. 86), S. Franciscus Salesius (*Serm. 38, in fest. Purificat.*), S. Alfonsus (*Glorie di Maria*, p. II, II discorso, II punto), Suarez (*De Myst. vitae Christ.*, disp. 4, sect. 7 et 8), Vega (*Theol. Mar.*, n. 956), Contenson (*Lib. 10, diss. 6, cap. 1, specul. 2, octavo*), Miechow (*Collat. 93, super Litan. B. V.*). Quibus adhaerent communiter recentiores e. g. Lépicier, Hugon, etc... P. Terrien declarat duos tantum adversarios, Gersonem nempe et Muratori, se nactum fuisse (o. c., l. 2, p. 27).

Prob.: 1) *Ex dignitate Deiparae.* « Huius veritatis potissima ratio — scribit Lépicier ² — ex eo deducitur, quod decuit Beatam Virginem, propter summam divinae maternitatis dignitatem, modo huic dignitati magis congruo, proindeque nobiliori, sanctificari. Atqui, comparatione instituta, nobilior invenitur sanctificatio, quae fit in aliquo subiecto se ad illam liberis suis actibus disponente, quam quae perficitur citra subiecti cooperationem, sicut etiam iustificatio adultorum nobilior est quam iustificatio puerorum. Ergo Beata Virgo fuit sanctificata in momento suae conceptionis, per proprium motum liberi arbitrii.

« Exponitur. Revera, gratia in anima Deiparae nullo modo cessit gratiae angelorum aut gratiae primorum parentum, non solum secundum quantitatis mensuram, sed etiam secundum adipiscendi modum. Atqui Angeli in primo momento suae creationis libere

¹ O. c., p. 221.

² O. c., pp. 221-222.

gratiae consenserunt, utique sub operatione Dei illos ad se convertentis, iuxta illud S. Augustini: ¹ (Bonam voluntatem) *quis fecerat* (in angelis), *nisi ille eos, cum bona voluntate, id est cum amore casto quo illi adhaerent, creavit, simul eis et condens naturam et largiens gratiam?* ² Primi quoque nostri parentes gratiae consensere: cum motus voluntatis non sit continuus, nihil prohibet, etiam in primo instanti suae creationis, primum hominem gratiae consensisse, ait Angelicus. ³

« Ad huius rei intelligentiam advertendum est quod, cum *mutationes sunt instantaneae, simul et in eodem instanti potest esse terminus primae et secundae mutationis, sicut in eodem instanti in quo illuminatur luna a sole, illuminatur aër a luna. Manifestum est autem quod creatio est instantanea, et similiter motus liberi arbitrii in angelis... unde nihil prohibet simul et in eodem instanti esse terminum creationis et terminum liberi arbitrii.* ⁴ Praeterea, motus liberi arbitrii non temporis antecessione, sed naturae ordine praecedat consecutionem gratiae. ⁵

« Praeterea recolendum venit quod, cum nullum peccatum in Beata Virgine praecessisset, ideo ad eius sanctificationem non requirebatur motus liberi arbitrii in peccatum, sed tantummodo motus liberi arbitrii in Deum, scilicet per fidem et caritatem. Porro, dispositio quae praexigitur ut Deus gratiam infundat, alia non est, nisi quam ipsemet facit; tanto autem citius materia disponitur, quanto virtus agentis fuerit fortior: *cum igitur virtus divina sit infinita, potest quamcumque materiam creatam subito disponere ad formam, et multo magis liberum arbitrium hominis, cuius motus potest esse instantaneus secundum naturam* ». ⁶

2) *Ex comparatione Deiparae cum S. Ioanne Baptista.* « Quod vel paucis mortalium est concessum, fas non est credere tantae Virgini esse denegatum » (S. BERNARDUS, in *Ep. ad Can. Lugd.*, PL 182, 334). Atqui privilegium hoc fuit S. Ioanni Baptistae concessum. Ergo.

Maior est principium mariologicum communiter admissum.

Ad Minorem. Quod S. Ioannes Baptista usum rationis habuerit in utero matris suae, vix ambigendum est. In Evangelio enim legitur: « Et factum est, ut audivit salutationem Mariae Elisabeth, *exultavit* infans in utero eius, et repleta es Spiritu Sancto Elisabeth » (Luc., I, 41). Gaudium illud infantis, prout animadvertit Caietanus (Comm. in III p., q. 27, a. 3) non fuit de re sensibili sed de Christi adventu, et ideo spiritualement requirit cognitionem seu usum liberi arbitrii. « Saltum illum et exultationem in sancto Ioanne Baptista naturales fuisse contendit Calvinus; naturale enim est, ait, ut dum mater prae gaudio gestit, exultet et infans. At, contra, communis Patrum traditio hanc exultationem uti superna-

¹ L. XII *De civ. Dei*, cap. 9, t. 7, col. 2.

² Cfr I, Quaest. 62, art. 3.

³ Ibid., Quaest. 95, art. 1, ad 5.

⁴ I, Quaest. 63, art. 5.

⁵ I, II, Quaest. 113, art. 8, ad 2.

⁶ I, II, Quaest. 113, art. 10.

turalem habet, cui Origenes, Ambrosius, Euthymius, S. Irenaeus, S. Leo, alii- que usum rationis addunt, quibus suffragari videtur etiam S. Augustinus, dum Ioannem se tanquam prophetam in visceribus maternis manifestasse dicit, exultatione corporis, non declaratione vocis; ¹ propheta autem proprie non est talis censendus, docet Angelicus, *nisi illuminetur eius mens ad iudicandum*. ² Similiter S. Gregorius Magnus ait de Baptista quod prophetiae spiritu intra matris uterum impletus est; ³ quinimmo de eodem Ecclesia canit: ⁴

Ventris obtruso recubans cubili
 Senses regem thalamo manentem;
 Hinc parens nati meritis uterque
 Abdita pandit ». ⁵

3) *Ex fecunditate gratiarum collatarum*. Magna gratiarum copia B. Virgini statim in initio collata, non erat conveniens ut sterilis et otiosa remaneret. Atqui nisi in initio admittatur in B. Virgine usus liberi arbitrii, illa gratiarum copia, superior gratia consummata aliorum Sanctorum, sterilis et otiosa remansisset. Ergo...

Huiusmodi usus rationis certe fuit *miraculosus*, utpote praeter ordinem rerum. « Nec defuit — animadvertit Card. Lépicier — huic effectui visibilitas, quae est conditio necessaria ad hoc ut opus aliquod miraculum dici possit; quandoquidem, etsi haec illuminatio caeteros latuerit, non latuit tamen ipsam Deiparam; ad miraculum vero satis est uni hominum, sin minus ipsimet in cuius gratiam fit, visibile reddatur. Porro Beata Virgo potuit tunc reflexe cognoscere quid ipsamet tunc cogitaverit et voluerit, id quoque serius cognoscere potuit, quando nempe iam ad annos discretionis perveniens, speciem praecedentium cogitatorum in se denuo excitavit, ad laudandum et magnificandum Creatorem suum et Dominum, a quo tot et tanta beneficia acceperat » (l. c., p. 227).

« Ex doctrina hucusque vindicata consequitur quod Beata Virgo in primo instanti suae conceptionis potuerit mereri: nam, cum motus liberi arbitrii gratia sanctificante informatus sit meritorius, Beata Virgo autem fuerit primo sanctificata secundum proprium motum liberi arbitrii in Deum, ideo ipsa, non secus ac Christus eius Filius, in primo instanti suae conceptionis potuit mereri » (Card. LÉPICIER, o. c., pp. 222-223).

Attamen, gratia haec quae est extraordinaria si consideratur in se et absolute, non est talis si status B. Virginis in illo primo instanti consideretur. In illo enim

¹ Serm. 291, n. 1; 223, n. 2.

² 2.a 2.ae, Quaest. 173, art. 2.

³ L. 3, *Moral.*, c. 5, t. 1, p. 45 B.

⁴ In hymno festi S. Ioannis Bapt., ad Vesp.

⁵ Card. LÉPICIER, o. c., pp. 224-225.

primo instanti B. Virgo simul cum gratia Immaculatae Conceptionis, magnam gratiarum copiam recepit quae infructuosa remanere non poterat. Attenta ergo hac donorum plenitudine, usus liberi arbitrii in primo illo instanti, de se extraordinarius, quodammodo *connaturalis* evasit.

OBICITUR: 1. S. Thomas hic (q. 27, a. 3) negat hoc Virginis privilegium dicens: « Non habuit B. Virgo usum liberi arbitrii adhuc in ventre Matris existens: hoc enim est speciale privilegium Christi ».

RESPONDETUR: Privilegium Virginis nihil omnino detrahit privilegio Christi. Etenim: 1) Christo, tale privilegium debetur iure proprio et nativo, tamquam sequela quaedam unionis hypostaticae; Mariae, e contra, debetur per specialem quamdam et omnino gratuitam Dei dispensationem, et quidem, intuitu meritorum Christi, ad hoc ut *idonee* praepararetur ad divinam maternitatem. 2) In Christo tale privilegium fuit simul cum visione beatifica: in B. Virgine, e contra, fuit solum per scientiam infusam, seu per species a Deo ipso infusas (non vero per species acquisitas, et per conversionem ad phantasmata, quorum naturaliter incapax erat). Ratio ergo adducta a S. Thoma contra hoc Virginis privilegium, non valet. Nec mirandum si S. Thomas verba illa scripserit. Tunc enim temporis, cum privilegium Immaculatae Conceptionis in plena luce positum nondum esset, non clare apparebant rationes quae usum liberi arbitrii in B. Virgine, inde ab illo primo instanti, ex postulabant.

Diximus in propositione quod B. Virgo, in ventre matris, usum liberi arbitrii *saltem transeunter habuit*. Potest enim fieri *QUAESTIO*: usus liberi arbitrii, quem B. Virgo habuit (simul cum gratia) in primo instanti suae personalis existentiae, *perseveravit* ne in ipsa?... Respondendum est non constare omnino, eo quod de hac re Scriptura et Traditio silent. Affirmant tamen non pauci, ut Suarez, S. Franciscus Salesius, S. Alfonsus, Terrien, Sauv e (*J sus intime*, t. III, p. 262). Card. L pici er, e contra, scribit: « utrum rationis usum, quem diximus Deiparam in momento suae conceptionis habuisse, permanenter postea ipsa retinuerit, asserere non audeam, nulla existente ratione sufficienti ad ponendam huius rei continuationem; maxime cum infantis natura, adhuc in utero matris et iuvenilibus vitae suae mensibus potius sit, ut dormitet, aut ad summum vitam mere animale[m] explicet; aliunde satis fuit ut Beata Virgo constanter in gratia cresceret quando iam ad annos discretionis pervenit, quin etiam tunc usum liberi arbitrii in somno habere debuerit, ut quibusdam visum fuit. Nimirum, a Suaresio discedendum nobis videtur, ponente usum rationis Beatae Virgini in primo instanti collatum in ea semper durasse; et potius cum Caietano decernendum censemus usum rationis, quem Maria pro primo instanti habuit, fuisse per modum revelationis prophetae et transeuntis. Nec obstat quod *sine poenitentia sunt dona ...Dei* cum privilegium illud Deus Beatae Virgini non intenderit nisi modo transeunte concedere. Cum hoc tamen stat quod specialibus quibusdam temporibus usus iste liberi arbitrii Deiparae infanti iterum concedi potuerit, ut inde gratiae

augmentum acciperet: quo sensu etiam intelligi potest id quod de S. Ioanne plures ex Patribus decernunt, illum videlicet in gratia crevisse, ex praesentia Beatæ Virginis, illis tribus mensibus quibus apud Elisabeth mansit ». ¹

P. Hugon (o. c., p. 453) *probabilem* censet sententiam affirmantem, pro qua duplicem rationem congruentiæ affert, videlicet: 1) quia si privilegium illud in B. Virgine non perstitisset, mox post primum instans Ipsa imperfectior evasisset, utpote incapax actus humanos eliciendi: quod concipi non potest; quinimmo potius contrarium concipi debet, videlicet B. Virginem semper profecisse et ideo rationis usum in ipsa permansisse. II) Secunda ratio est quia excellentia status initialis in B. Virgine requirebat ut gratiæ, virtutes et dona, vim suam exererent et propriam fecunditatem depromerent; cum enim fuerint divinitus et præter legem concessa, sterilitate laborare non poterant. At, veram fecunditatem non obtinuissent, sed potius sterilia permansissent, si usus liberi arbitrii in Ipsa defecisset. Ergo, credere licet huiusmodi usum perseverasse.

3) De quantitate gratiæ initialis B. M. V.

Post ea quæ diximus circa *existentiam* gratiæ in Beata Virgine inde a primo instanti suæ existentiae et circa *modum* quo tunc Ei gratia collata est, necesse est ut inquiremus de *quantitate* gratiæ, quam in illo primo instanti B. Virgo accepit.

Iamvero, circa gratiæ initialis quantitatem quatuor quæri possunt, videlicet: gratia initialis B. M. V. fuit ne maior 1) gratia *initiali* et etiam 2) gratia *finali* seu consummata *cuiuslibet* sancti vel angeli; 3) gratia *initiali* et etiam 4) gratia *finali* seu consummata *omnium* sanctorum et angelorum simul sumptorum?...

Prop.: *Gratia initialis B. M. V. maior fuit non solum 1) gratia INITIALI et 2) gratia FINALI cuiuslibet sancti vel angeli; sed etiam 3) gratia INITIALI et 4) probabiliter gratia FINALI seu consummata omnium sanctorum et angelorum simul sumptorum.*

Prob. I. pars: *Gratia INITIALIS B. M. V. maior fuit gratia initiali cuiuslibet sancti vel angeli.*

Est sententia certissima et a theologis communiter admissa.

Prob.: 1) *Ex principio mariologico:* quaelibet gratia alicui creaturæ a Deo concessa, Mariæ etiam, et in maiori quantitate, concessa est.

2) *Ex dilectione divina.* Gratia proportionatur Dei dilectioni (est enim effectus dilectionis divinæ). Atqui Deus inde a primo instanti existentiae B. Virginis, imo ab æterno ipsam præ qualibet alia pura creatura dilexit. Ergo præ qualibet alia pura creatura maiorem gratiam ei concessit.

3) *Ex speciali destinatione B. M. V.* « Unicuique a Deo datur gratia secundum hoc ad quod eligitur » (*S. Th.*, III, 27, 5). Atqui B. Virgo, electa ad divinam ma-

¹ O. c., p. 227.

ternitatem, quae destinationem cuiuslibet purae creaturae excedit. Ergo B. Virgini, prae qualibet alia pura creatura, Deus maiorem gratiae copiam dedit.

4) *Ex accessione ad Deum.* « Quanto aliquid magis appropinquat principio in quolibet genere, tanto magis participat effectum illius principii » (*S. Th.*, III, 27, 5). Atqui B. Virgo inde ab initio fuit Deo, gratiae principio, prae qualibet pura creatura, propinquissima, utpote ad Divinam Maternitatem destinata. Ergo..

5) *Ex signo:* Intensitas gratiae ex eiusdem effectibus manifestatur. Iamvero, unus ex effectibus gratiae initialis B. M. V. fuit perennis praeservatio ab inclinatione ad malum seu extinctio fomitis, et perfecta confirmatio in bono ex gratiae abundantia causata: quod nulli homini vel angelo, in eorum prima sanctificatione, concessum est. Habuit ergo, B. Virgo, inde ab initio gratiam copiosiore gratia cuiuslibet purae creaturae.

Nec dicatur sufficere talem gratiae perfectionem collatam fuisse in illo momento in quo Dei Mater effecta est, quin exigatur inde a primo eiusdem conceptionis instanti. Inde enim ab illo momento Deus illam respexit et dilexit *ut Matrem*, ad quam dignitatem etiam remote disponi debebat. Principium enim debet respondere termino et fundamentum aedificio. « Non enim homini sed Deo aedificabatur domus, cuius fundamentum esse debuere lapides pretiosi omnium gratiarum ». ¹ Iure ergo P. Terrien scribebat: « Cette proposition brille d'une telle évidence qu'il est inutile de s'y arrêter plus longtemps » (o. c., t. 1, p. 386).

Prob. II. pars: *Gratia INITIALIS B. M. V. maior fuit gratia FINALI seu consummata cuiuslibet Sancti vel Angeli.*

Est sententia communiter a Theologis admissa et dici potest theologice certa. Hanc doctrinam docent, inter alios, Suarez, Miechow, Vega, Contenson, S. Alfonsus, P. Terrien, Card. Lépiciér, P. Godts, Hugon, Merkelbach, etc.

Prob.: 1) *Ex Matris Dei dignitate.* Ad Matris Dei dignitatem, praeparatio idonea non fuisset gratia finalis seu consummata cuiuslibet sancti vel angeli (quia divina maternitas est in ordine superiori, seu hypostatico, excedente ordinem gratiae et gloriae). Ergo gratia initialis B. Virginis (qua disponebatur ad Matris Dei dignitatem) superare debuit gratiam consummatam cuiuslibet angeli vel hominis.

2) *Ex dilectione Dei.* Cum gratia sit effectus dilectionis Dei, dilectioni Dei proportionatur et ideo Deus maiorem gratiam illi tribuit quem magis diligit. Atqui Deus B. Virginem inde ab Eius conceptione magis dilexit quam singulos sanctos vel angelos, etiam in eorum termino. Ergo...

Ad Mai. Dicit enim Angelicus: « Illi sunt meliores et magis dilecti, qui plus habent de gratia » (*Sum. Theol.* I, q. 20, a. 4, ad 4).

¹ DE RHODES, *Disp. Th. De Virg. Deipara*, p. 4, S. 3, a. 1.

Ad Min. De B. Virgine idem fere dici potest ac de Christo: « Deus Christum diligit non solum plusquam totum genus humanum sed etiam magis quam totam universitatem creaturarum; quia scilicet ei maius bonum voluit » (I. c., I, q. 20, a. 4, ad 1).

Hinc pii quidam auctores, verba Psalmi 86: « Fundamenta eius in montibus sanctis, diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob », hoc sensu Beatae Virgini accommodant: quod est mons et terminus in ceteris, est fundamentum et veluti initium in sanctitate B. Virginis, ita ut ibi B. Virgo incipiat, ubi alii desinunt.

Prob. III pars: *Gratia INITIALIS B. M. V. maior fuit gratia INITIALI omnium Sanctorum et Angelorum simul sumptorum.*

Haec tertia Pars solidè probari potest sive duobus rationibus in praecedenti parte adductis, sive rationibus in quarta parte adducendis, eo quod rationes istae a fortiori etiam pro ista tertia parte, prout patet, valent.

Prob. IV pars: *Gratia INITIALIS B. M. V. maior fuit gratia FINALI seu CONSUMMATA omnium creaturarum simul.*

Haec pars non ab omnibus admittitur. Impugnata enim fuit a Tostato, Muratori, Theophylo Raynaud, Terrien, Card. Lépicier, et nuper a Baudiment.¹ Admissa tamen fuit a S. Alfonso, a S. Vincentio Ferreri, a Ven. Ianuario M. Sarnelli C. SS. R., a B. Claudio de la Colombière, a Ven. Druzbi, a S. Ioanne Eudes, a Valentia, De los Rios, Vasquez, Binet, De Rhodes, Velasquez, Vega, Viva, Bordoni, Billot, Rogerio Freddi, Legnani, Bucceroni, a Iustino de Miechow, Racinchelli, Contenson, De Godoy, Billuart, Monsabré, Hugon, Francisco de Paola C. SS. R., Card. Dechamps, Harte, Hermann, Saintrain, Brouchain, Urbany, Laurent, Lejeune, Priuli, Gervasio, Siuri, Sedlmayr, Moraës, Chatel, Vincent, Depoix, Janssens, Jamar, Petitalot, Lagarde, Sala, Coppola, Stamm, Tanquerey, Perriot, Mannens, Humphrey, Combalot, Maréchaud, Hamon, Cappellazzi, Godts, Campana, Lahitton, Neubert, Merkelbach, Dourche, Keuppens, Garrigou-Lagrange, Dillenschneider, Ravagnan, etc.² (Cfr GODTS, C. SS. R., *La sainteté initiale de l'Immaculée*, 1904, pp. 194-227). Huic sententiae, praeter auctoritates nuper laudatas, suffragari videntur Romani Pontifices nec non rationes theologicae.

1) *Ex auctoritate RR. Pontificum:* A) Pius IX in Bulla *Ineffabilis* asserit: « *Ab initio* et ante saecula Unigenito Filio suo Matrem... elegit atque ordinavit, tan-

¹ *De quelques outrances de la théologie mariale contemporaine*, in *L'année théologique*, 6 (1943) 105-115. Ipsi respondit P. P. E. VADEBONCEUR, C. SS. R., art. *Quelle est cette outrance?*, in *Rev. de l'Université d'Ottawa*, 16 (1946) 209*-226*.

² Falsa igitur est assertio P. Terrien: « Les autorités se contrebalancent, et c'est même du côté de l'opinion négative qu'elles se portent plus généralement », (o. c., I, 391).

toque prae *creaturis universis* est prosecutus amore, ut in illa *una* sibi propensissima voluntate complacuerit. Quapropter illam longe ante *omnes* angelicos spiritus *cunctosque* Sanctos caelestium *omnium* charismatum copia de thesauro divinitatis deprompta ita mirifice cumulavit, ut Ipsa... eam sanctitatis plenitudinem prae se ferret, qua maior sub Deo nullatenus intelligitur, et quam praeter Deum nemo assequi cogitando potest... Et quidem decebat omnino ut perfectissimae sanctitatis splendoribus *semper* ornata fulgeret... tam venerabilis Mater ».

Circa quae verba, sequentia animadvertere iuvat, videlicet: a) *Deus* « *ab initio* » B. Virginem dilexit « prae *creaturis universis* »: ergo prae omnibus Angelis et hominibus simul sumptis. *Deus* insuper « in illa *una* sibi propensissima voluntate complacuit ». Iamvero amor Dei non supponit sed ponit bonitatem in rebus quas diligit, seu est gratiae effectivus. Ergo *Deus*, inde « *ab initio* », maiorem gratiae quantitatem in B. Virgine posuit quam in omnibus aliis *creaturis* simul sumptis.

b) *Deus* « longe ante *omnes* angelicos spiritus *cunctosque* sanctos » B. Virginem « caelestium omnium charismatum copia... mirifice cumulavit ». Sat evidenter hic agitur de initio existentiae B. Virginis. eo quod Pontifex, per illam abundantiam, ipsam Immaculatam Conceptionem probare vult.

c) B. Virgo, inde a sua conceptione, talem « sanctitatis plenitudinem » prae se tulit « qua maior sub Deo nullatenus intelligitur ». Iamvero, si gratia seu sanctitas B. Virginis maior non fuisset gratia et sanctitate omnium angelorum et sanctorum simul sumptorum, facili negotio « maior sub Deo » gratia intelligi potuisset, id est gratia quae fuisset maior gratia consummata omnium *creaturarum* simul sumptarum. Videtur ergo opinio haec in ipsa Bulla *Ineffabilis* implicite contenta.

B) Eamdem doctrinam inculcare videtur Leo XIII in Encyclica « *Magnae Dei Matris* » (t. 3, p. 143) in qua dicitur tantam fuisse gratiae copiam, ut « longe Ipsa cunctis hominum et angelorum ordinibus antecellat, Christo una omnino proxima ».

Haec autem « gratiae copia », « inde ab initio donata est » a Deo B. Virgini, ad hoc ut « digna Eius Mater existeret ». « Magnum enim in quolibet Sancto, quod habet tantum de gratia quod sufficit ad salutem multorum: sed quando haberet tantum, quod sufficeret ad salutem omnium hominum de mundo, hoc esset maximum; et hoc est in Christo et in Beata Virgine ».

C) Etiam Pius XII, in Encyclica « *Mystici corporis Christi* » scribebat: « Veracem erga Ecclesiam amorem omnibus impetret Deipara Virgo, cuius sanctissima anima fuit, magis quam caeterae una simul a Deo creatae, divino Iesu Christi Spiritu repleta » (*AAS* 35, 1943, 247). Et in nuntio radiophonico pro coronatione B. Virginis de Fatima, die 13 maii, aiebat: « E l'empireo vide che Ella era veramente degna di riceverne l'onore, la gloria, l'impero — perchè *più ricolma di grazie, più santa, più bella, più sublime, incomparabilmente più dei mag-*

giori santi e degli angeli più eccelsi, soli o tutti insieme uniti...» (*Osservatore Romano*, 19 maggio 1946).

2) *Rationes theologicae* desumi possunt ex duplici munere ad quod B. Virgo a Deo praedestinata fuit, ex munere nempe Matris Dei et Mediatrix hominum.

a) *Ex munere Matris Dei.* Gratia per quam persona aliqua *idonea redditur* ad hoc ut sit Mater Dei, est praestantior gratia consummata omnium creaturarum simul sumptarum. Atqui gratia initialis B. M. V. illam *idoneam* reddebat ad hoc ut esset Mater Dei. Ergo...

Ad mai. Gratia enim proportionatur dignitati. Iamvero dignitas maternitatis divinae B. Virginem in ordine quodam, ordine omnium creaturarum superiori, collocat cui gratia etiam consummata omnium creaturarum dispositio *proportionata* esse non potest.

Ad Min. Gratia initialis B. Virginis licet non fuerit dispositio *proxima* ad divinam maternitatem, erat tamen praeparatio *idonea* ad illam, iuxta illud S. Thomae: «Prima quidem [perfectio gratiae] quasi dispositiva, per quam reddebatur *idonea* ad hoc quod esset Mater Christi». Quamvis in initio Conceptionis B. Virgo non fuerit actu mater Dei, tamen, iam tunc creabatur et praeparabatur ad tantam dignitatem et ideo *dispositive* iam tunc Mater Dei dici poterat. Inde enim a sua Conceptione, B. Virgo considerabatur a Deo ut futura Verbi sui Mater: et non ex filia Adae facta est Mater Dei, sed ad hoc ut esset Mater Dei facta est filia Adae.

Ratione autem divinae maternitatis, inde a primo instanti suae existentiae, Deus Illam magis dilexit quam omnes Angelos et homines, quia diligebatur ab Eo ut mater et ideo erat Ei carior omnibus creaturis; consequenter contulit ei maiorem gratiam, in primo instanti suae existentiae, quam omnibus Angelis et hominibus simul sumptis; amor enim Dei non est sicut amor noster, mere affectivus, sed effectivus et boni communicativus; gratia ergo amori proportionatur, iuxta illud S. Thomae; «Deum diligere magis aliquid nihil aliud est quam ei maius bonum velle; voluntas enim Dei est causa bonitatis» (I, q. 20, a. 4).

b) *Ex munere Mediatrix hominum.* Ipsa enim praelecta fuit ut esset universalis gratiae Mediatrix, ita ut omnia bona ab Ipsa in nos derivarent. In ipsa ergo esse debebat plenitudo fontis ex qua omnia bona derivarentur in homines. Atqui plenitudo fontis omnem plenitudinem ex ipsa fonte manantem incomparabiliter excedit. Ergo... «Cet argument de Saint Alphonse — scribit P. Godts — est péremptoire: Si tous les enfants reçoivent de leur mère tout l'argent qu'ils ont, il est évident que la mère est plus riche que tous les enfants réunis. Mais Marie a été Mère des hommes dès l'origine: cette maternité, cette médiation entre Dieu et les hommes est même sa raison d'être. Par conséquent des son origine Marie eût plus de grâces que tous les Saints ensemble». ¹

¹ *La sainteté initiale de l'Immaculée*, p. 171, Bruxelles, 1904.

Ratione huius officii, id est universalis mediationis, B. Virgo omnes homines Deo gratos reddere debebat; necesse ergo erat ut carior et gratior Deo esset omnibus simul hominibus.

Gratia initialis, ergo, B. Virginis superat gratiam consummatam omnium hominum et Angelorum simul sumptorum. Iuxta P. De los Rios, B. Virgo « omnium gratiarum fuit veluti compendium... Maria est microcosmus gratiarum » (*Hierarchia Mariana*, l. 5, c. 19, p. 548).

OBICITUR 1: Sententia haec (de gratia initiali Deiparae gratiam omnium Sanctorum simul sumptorum superante) nullam habet significationem.¹ Summam enim facit gratiae Sanctorum et Angelorum. Atqui huiusmodi summa peragi nequit: gratia enim, ad praedicamentum *qualitatis*, non vero ad praedicamentum *quantitatis* reducitur.²

RESPONDETUR distinguendo inter quantitatem *dimensivam* et *quantitatem virtutis* « quae attenditur secundum perfectionem alicuius naturae vel formae, quae quidem quantitas designatur secundum quod dicitur aliquid magis vel minus calidum » (*Summ. Theol.* I, q. 42, a. 1, ad 1). Hoc principium ad caritatem applicando, Angelicus scribit: « Dicendum quod caritati non convenit quantitas dimensiva sed solum quantitas virtualis » (op. c. II-II, q. 24, a. 4, ad 1). Iamvero idem et de gratia dici potest. Non convenit gratiae quantitas dimensiva sed convenit ei quantitas virtualis. Hoc concedit etiam Baudiment, cum asserat gratiam Deiparae superare gratiam maximi inter Sanctos. Hoc non obstante, tenet praedictus Auctor sententiam a nobis vindicatam nullam significationem habere (« paraît un non-sens »). At hoc verum non videtur. Ad hoc rite intelligendum, attendendum est ad duplicem plenitudinem gratiae, *intensivam* nempe et *extensivam*. Ad rem S. Thomas: « Huiusmodi autem quantitas virtualis attenditur primo quidem in radice, idest in *ipsa perfectione formae* vel naturae, et sic dicitur magnitudo spiritualis... Secundo autem attenditur quantitas virtualis *in effectibus formae*. Primus autem effectus formae est esse... Secundus autem effectus est operatio, nam omne agens agit per suam formam » (op. c. I, q. 42, a. 1, ad 1). Sive ergo intensive, sive extensive, quantitas virtualis gratiae Deiparae collatae excedere potuit quantitatem gratiae aliis omnibus sanctis collatae. Vi huius singularis plenitudinis gratiae B. Virgo « omnium virtutum opera exercuit » dum, e contra « alii sancti specialia quaedam: quia alius fuit humilis, alius castus, alius misericors; et ideo ipsi dantur in exemplum specialium virtutum... Sed Beata Virgo in exemplum omnium virtutum » (Opusc. 6, ed. Vivès, t. 27, p. 200). Gratia igitur Deiparae virtutem habuit producendi actum virtutum non alicuius aut aliquorum Sanctorum tantummodo, sed omnium. Vi etiam singularis plenitudinis gratiae, Deiparae merita sicut et gloria caelestis,

¹ Ita Baudiment: « Cette énoncé... nous paraît un non-sens » (art. cit., p. 105).

² L. c., p. 105.

incomparabiliter excedunt merita et caelestem gloriam¹ non solum alicuius aut quorundam Sanctorum sed omnium omnino. Ipsa enim, sicut et Christus, prout docet S. Thomas, « tantum (gratiae habuit) quod sufficeret ad salutem omnium hominum de mundo » id est « maximum » (L. c. p. 200).

OBICITUR 2: Si B. Virgini tanta conceditur gratia inde a primo vitae suae instanti, iam excluditur in eius gratia et sanctitate progressus, qui tamen omnino admitti debet.

RESPONDETUR negando consequentiam. Quaelibet enim gratia, etiam gratia finali omnium hominum et Angelorum praestantior, semper remanet *finita* (i. e. finita participatio naturae divinae) et ideo iugiter, usque ad ultimum terminum, qui morte praestituitur, augeri et perfici potest, eo quod numquam exhauritur participabilitas Dei ad extra. Gratia enim Deiparae infinita dici nequit sive *in ordine entis* (quia quaelibet gratia, utpote accidens creatum, est et remanet semper aliquid essentialiter finitum), sive *in ordine moralitatis* seu in esse moris (quia actus Deiparae, utpote non theandrici, infinitam perfectionem, sicut actus Dei-Hominis, induere non possunt), sive *in ordine ipsius gratiae* (quia gratia in Deipara non habuit quidquid pertinere potest ad ipsam rationem gratiae, sicut in Christo).

Hoc posito, iam aperitur via ad quaestionem de gratia Deiparae in suo progressu pertractandam.

II) De gratia B. M. Virginis in suo progressu et in suo fine

St. Q. 1) Quotuplici modo gratia augeri possit.

Progressus in gratia ex duplici capite attendi potest, videlicet, ex *opere operantis* seu per viam meriti, et ex *opere operato*, seu per sacramenta. Ex utroque autem capite B. Virgo crescere potuit in gratia.

2) **Opiniones.** Plures veteres, ut PETRUS VENERABILIS (*Epist. VII*, l. 3, PL 189, 287), putarunt tantam fuisse gratiam B. Virgini in conceptione Christi collatam, ut fuerit deinceps (i. e. inde a Conceptione Christi) incapax augmenti. Idem docuit Richardus a S. Victore (*De Emman.*, l. 2, c. 80, Venetiis 1592. Cfr SUAREZ, disp. 18, sect. 3). Idem pariter docuit S. BEDA VEN. (PL 189, 283). SCOTUS vero dubitante: hanc sententiam proposuit: « Quia forte — ait — habuit in conceptione Filii sui illam plenitudinem gratiae ad quam Deus disposuit eam pervenire » (*In IV Sent.*, dist. 4, q. 6, ad 1). At sententia haec hodie ab omnibus iure reicitur.

¹ Aiunt enim Salmanticenses: « Visio beata animae Christi Domini est longe perfectior quacumque visione cuiusvis Angeli, imo sola ipsa singillatim sumpta est nobilior omnibus aliis in unum collectis » (*Cursus theologicus*, Parisiis-Romae 1870, t. 1, p. 255). « Antecedens — addunt — est D. Thomae locis citatis, et communiter docetur a Theologis » (ibid.).

Prop.: *B. Virgo* 1) *toto vitae suae tempore, etiam post Christi Conceptionem, crescere POTUIT in gratia, et de facto iugiter crevit* 2) *sive ex OPERE OPERANTIS sive* 3) *ex OPERE OPERATO.*

Pars I: *B. Virgo, toto vitae suae tempore, crescere potuit in gratia.*

Prob. I. Auctoritate: 1) CONCILII TRIDENTINI docentis gratiam sanctificantem in hominibus viatoribus, capacem esse augmenti (Sess. 6, c. 32). Atqui *B. Virgo, toto vitae suae mortalis tempore, etiam post Christi conceptionem, fuit viatrix. Ergo...*

2) SCRIPTORUM ECCLESIAE: RUPERTUS ABBAS scripsit quod «*Virgo, in sua prima sanctificatione fuit ut aurora, in Filii conceptione ut lux, in morte ut sol*» (l. 6, in *Cant.*, PL 168, 936). S. THOMAS: «*In B. Virgine fuit triplex perfectio gratiae: Prima quidem quasi dispositiva, per quam reddebatur idonea ad hoc esset mater Christi: et haec fuit perfectio (primae) sanctificationis. Secunda autem perfectio gratiae fuit in B. V. ex praesentia Filii Dei in eius utero incarnati. Tertia autem perfectio finis, quam habet in gloria*» (III, q. 27, a. 5, ad 2). DOMINICUS SOTO: «*Quis enim ambigat, cum merita praemium praecedant, per tam egregia virtutum omnium officia, quae post sacratissimum partum accumulavit, cumulatior etiam in dies et excellentior illi accresceret gratia? Fuit quidem gratia plena ante conceptionem Filii, quantum par erat ut fieret Christi Mater; attamen, gratia illa non fuit eo modo summa, ut non posset deinceps meritis augeri*» (in IV, dist. 5, art. 2).

II. Ratione. Ratio theologica huius rei desumitur ex differentia inter Christum et *B. Virginem*. Et revera, in Christo gratia augeri non potuit nec ex parte *obiecti* seu ex parte ipsius gratiae, neque ex parte *subiecti* gratiam participantis.¹ «*Non ex parte gratiae, quia finis gratiae est unio creaturae rationalis ad Deum: non potest autem intelligi maior unio creaturae rationalis ad Deum, quam quae est in persona; ideo initialis gratia Christi pertingit ad summam mensuram gratiae. Non ex parte subiecti, quia a primo instanti suae conceptionis, Christus fuit*

¹ Recolatur quod augmentum in formis attendi potest dupliciter: uno modo, ex parte *subiecti*, secundum quod forma illa magis minusve in subiecto radicatur, sicut aër dicitur magis vel minus calidus; alio modo, ex parte ipsiusmet *formae*, secundum quod forma ipsa quamdam latitudinem admittit, sicut scientia, quae in se considerata potest recipere augmentum per additionem conclusionum.

Porro, evidens est gratiam accipere posse augmentum ex parte *subiecti*, puta in hominibus viatoribus, qui possunt magis magisque reduci in actum gratiae; sed consequenter, ex parte ipsius gratiae, augmentum haberi potest: non quod de ratione ipsius gratiae sit ut accipiat magis et minus, nam omnis gratia, etiam minima, coniungit creaturam Summo Bono, sed quia cum gratia sit accidens, accidentis autem esse sit inesse, ex eo quod quis magis reducitur ad actum gratiae, propinquius attingit ad summum gratiae gradum (cfr Quaest. 23, de Verit., a. 5).

verus et plenus comprehensor. At, unio divinae maternitatis cedit, ut dictum est, unioni hypostaticae: et Beata Virgo fuit pure viatrix, etiam post Christi Incarnationem. Ergo toto vitae suae decursu in gratia crescere potuit, non solum ex parte subiecti, sed etiam ex parte ipsiusmet gratiae » (LÉPICIER, o. c., p. 236).

OBICITUR: 1. S. Thomas docuit gratiam B. Virginis in conceptione Filii Dei fuisse consummatam. Scripsit enim: « In conceptione autem Filii Dei consummata est eius gratia, confirmans eam in bono » (III, q. 27, a. 5, ad 2). Idem pariter docuit S. Albertus M.: « Credimus, sine praeiudicio melioris sententiae, B. Virginem in conceptione Filii Dei, charitatem talem et tantam accepisse, qualis et quanta percipi poterat a pura creatura in statu viae » (Sup. *Missus*, resp. ad quaest. 49).

RESPONDETUR: « Haec et similia loca intelligenda esse non de consummatione gratiae, qualis quidem fit per hoc quod quis extra augmenti possibilitatem ponitur, sed de consummatione illius mensurae gratiae ad quam B. Virgo praedestinata fuerat ut congrue esset Mater Dei. Unde nec S. Thomas absolute dicit gratiam Virginis tunc fuisse consummatam, sed solummodo quatenus haec gratia illam confirmaverit in bono; licet nobis certius visum sit Beatam Virginem, statim post suam conceptionem, in bono fuisse confirmatam. Quapropter, distinctio fieri potest: Beata Virgo, in momento Incarnationis, tantam gratiam recepit quantum recipere potest creatura viatrix, dispositive, *conc.*; perfective et terminative, *nego*.

« Ex hisce apparet, diverso modo plenitudinem gratiae praedicari de Christo et de Beata Virgine. Christus enim est plenus gratia, non solum ex parte subiecti, sed etiam ex parte ipsius gratiae, cum pertingat ad summum gratiae, tum quantum ad essentiam gratiae, habens illam in maxima excellentia qua haberi potest, tum quantum ad virtutem, scilicet per respectum ad omnes effectus illius. At Beata Virgo dicitur plena gratiae solum ex parte subiecti, quia scilicet habuit gratiam sufficientem ad statum illum ad quem erat electa a Deo ut esset Mater Unigeniti eius: non autem habuit gratiam in summa excellentia qua potest haberi, nec ad omnes effectus eius; ideoque gratia eius ex hac parte potuit augeri. Unde, stante hac subiectiva plenitudine gratiae ad Matris Dei dignitatem commensurata, potuerunt ex Virginis actibus novae accessiones iugiter fieri, praesertim cum, succrescente tempore, nova munia, puta Christi sociae in passionibus, hominum Matris, Apostolorum consolatricis et privatae magistrae, obire debebat » Ita Card. LÉPICIER, o. c., pp. 237-238.

2) B. Virgo in ipsa die Annuntiationis salutata fuit ab Angelo « *gratia plena* ». Si ergo habebat iam plenitudinem gratiae, quomodo in gratia crescere potuit?

RESPONDETUR: B. Virgo, nedum in die Annuntiationis sed inde a primo vitae suae instanti fuit « *gratia plena* ». Attamen, fuit « *gratia plena* » non *absolute*, sicut Christus, sed *relative*, id est relate ad capacitatem suam subiectivam. Et ideo, quamvis fuerit « *gratia plena* » sive in initio vitae suae sive in momento Incarnationis, sive in termino vitae suae, tamen una plenitudo fuit alia perfectior. In primo vitae suae instanti, illam plenitudinem habuit quae tamquam dispositio requirebatur ad *futuram* Matris Dei dignitatem; in momento Incarnationis Verbi, illam plenitudinem habuit quae *actuali* Deiparae dignitati proportionata esset; et in ultimo vitae suae instanti, plenitudinem habuit

plenitudine gloriae coronatam, talem plenitudinem, nempe, quae in suo genere infinita, latu sensu, dici posset.

Nec dicatur: Quum vas quoddam usque ad summum repletum est nihil ei adiungi potest. Atqui B. Virgo fuit « gratia plena » inde a primo vitae suae momento. Ergo nihil Ei adiungi ulterius potuit. Etenim, si vas iam repletum id quod est remanere pergit, nihil ei certe adiungi potest; at si capacitas cum ipso liquoris augmento continuo augeatur, continuo ei aliquid addi potest. Et ita relate ad B. Virginem fuit. « Plena gratia » inde a primo vitae suae instanti, potuit nihilominus crescere in gratia eo quod capacitas eius cum ipsa gratia recepta continuo augebatur. Et ita vere potuit in gratia proficere usque ad ultimum vitae suae momentum. « In ogni momento della sua vita Maria fu penetrata dai raggi della divina grazia... ma col procedere negli anni, l'essere di Maria si sviluppava, i suoi sentimenti diventavano più profondi e più estesi. Tutto ciò determinava in Lei una maggiore capacità di grazia: questa capacità veniva subito colmata, e per tal guisa si aveva il continuo cammino di Maria sulle vie della santità e della intima unione con Dio. Questa ascensione di Maria verso l'ideale della santità era continua, uniforme, non a scatti, senza alcuna sospensione. Come nella illuminazione del giorno si passa gradatamente, senza soste e con un movimento continuo dall'alba all'aurora, al mattino, fino al meriggio, così in Maria, tutta la sua vita ebbe un movimento in avanti, non mai interrotto verso la perfezione consumata » (CAMPANA, o. c., p. 604). Ita etiam semita B. M. V., sicut « Iustorum semita, quasi lux splendens procedit, et crescit usque ad perfectam diem » (Prov., 4, 18).

Pars II. B. Virgo, de facto, crevit in gratia, ex OPERE OPERANTIS seu per propria merita.

Prob. I. Auctoritate. 1) CONCILII TRIDENTINI iuxta quod Iusti, per bona opera, mereri possunt de condigno augmentum gratiae (Sess. 6, c. 32). Motio enim alicuius moventis sese extendit non solum ad ultimum *terminum* motus sed etiam ad totum progressum in motu. Iamvero, terminus ultimus gratiae est vita aeterna, progressus vero in hoc motu est secundum augmentum caritatis vel gratiae.¹ Atqui dubitari non potest Beatam Virginem, toto vitae suae tempore, actus meritorios perfecisse. Ergo...

B. Virgo insuper gratiae augmentum meruit *omnibus et singulis* suis actibus humanis, eo quod ratio eius — prout docet S. Albertus Magnus, *Mariale*, q. 135 — in discernendo non potuit errare, et voluntas eius non potuit eligere malum. Omnia igitur et singula peracta fuerunt a B. Virgine propter optimum. Item: sicut anima se habet ad corpus, ita caritas se habet ad animam. Iamvero, anima elicit omnes et singulas operationes a corpore. Ergo et caritas, quae in B. Virgine ha-

¹ Recolatur hic doctrina de modo quo gratia per bonos actus in nobis augetur ad hoc ut augmentum gratiae in B. Virgine rite intelligatur (cfr Card. LEPICIER, o. c., p. 246). Gratia ex vi habitus praeeistentis augetur, per actus meritorios intensos, ita quidem ut in habentibus caritatem, omnis actus qui non est peccatum veniale, sit semper meritorius.

buit plenitudinem formae, elicit omnes et singulas operationes ab anima illasque meritorias reddidit.

Triplex conditio ad actum meritorium habendum (i. e. status gratiae, dominium propriorum actuum, et moralis bonitas eorundem) plenissime fuerunt in B. Virgine. Fuit enim, inde a sua conceptione, plena gratia; plenissimum semper habuit suarum actionum dominium, eius autem *opera* fuerunt 1) *obiective* excellentissima, 2) *subiective* perfectissima et 3) *numericè* vero innumerabilia, seu melius, continua.

Opera eius fuerunt: 1) *obiective excellentissima*. Tota enim vita B. M. V. in tres veluti periodos dividi potest, videlicet: a) ab eius Immaculata Conceptione usque ad Verbi Incarnationem, b) ab Incarnatione Verbi usque ad Ascensionem D. N. I. C., et c) ab Ascensione D. N. I. C. usque ad assumptionem.

a) In primo vitae suae periodo praevaluerunt in Ipsa actus vitae contemplativae. In Templo enim, in quo, prout fert traditio, ab aetate trium annorum usque ad aetatem quindecim annorum permansit, per iugem contemplationem flammam caritatis erga Deum et proximum in corde suo excitavit.

b) In secundo vitae suae periodo, praevaluerunt in Ipsa opera vitae activae, cum «perpetua Iesu sectatrix» — prout dicit S. Epiphanius¹ — effecta est, in eiusque servitium incumbens, actibus caritatis aliarumque virtutum iugiter intenta.

c) In tertio vitae suae periodo praevaluerunt rursus opera vitae contemplativae; tunc enim — prout asserit S. Laurentius Iustinianus² — «desideriorum cremabatur incendio, crebris suspiriis augebatur, ac suavissimis cogitationibus exercebatur». Nec praetereunda sunt egregia verba S. Ambrosii, Deiparae vitam describentis: «Quid ego exequar ciborum parsimoniam, officiorum redundantiam; alterum ultra naturam superfuisse, alterum pene ipsi naturae defuisse: illic nulla intermissa tempora, hic congeminos ieiunio dies? Et si quando reficiendi successisset voluntas, cibus plerumque obvius, qui mortem arceret, non delicias ministraret. Dormire non prius cupiditas quam necessitas fuit; et tamen cum quiesceret corpus, vigilaret animus; qui frequenter in somnis aut lecta repetit, aut somno interrupta continuat, aut disposita gerit, aut gerenda praenuntiat». ³

Sed ulterius, opera B. M. V. fuerunt 2) *subiective perfectissima*, id est, maximo caritatis ardore informata et a maxima puritatis intentione inspirata, iuxta mensuram gratiarum actualium abundanter a Deo collatarum. Nihil pariter in Ipsa erat quod perfectam eiusdem cooperationem ad gratiam aut impediret aut retardaret, cum sine fomite et absque ulla potentiarum deordinatione ac lassitudi-

¹ *Haeres.* 78, n. 13, PG 42, 718 D).

² *Serm. in Assumpt. Virg. M.*, Brixiae, 1556, t. 2, fol. 49.

³ L. 2, *De Virg.*, c. 2, n. 8, t. 4, col. 213.

tudine esset. « Fragrabat passim odore boni operis Maria, intendebat ad sublimia intentione continua cordis (S. PETRUS DAMIANUS, *Serm. III, de Nativ. Mariae*, PL 144, 754).

Insuper, cum actiones sint suppositorum, ideo maior personae merentis dignitas, ad maius meritum de condigno conducit, quemadmodum Christi opera infiniti valoris fuerunt propter infinitam personae dignitatem. Quapropter Matris Dei dignitas fuit in B. Virgine ratio maioris meriti et ideo maioris gratiae augmenti.

Tandem, opera bona B. M. V. fuerunt 3) numerice *innumerabilia*, imo *continua*. B. Virgo enim, per omnes suos actus *humanos* (non vero per actus mere *naturales*, sive corporis e. g. ferri deorsum, sive animae vegetativae e. g. nutritio, augmentum, quae actiones nullo modo, saltem *directe*, rationi, subiciuntur) meruit. Hoc est certum, saltem si agatur de B. Virgine in statu vigiliae. Et ideo in B. Virgine, inde a primo vitae suae momento usque ad ultimum vitae instans, nulla fuit dies, nulla hora, nullum instans fuit, in quo eius merita aucta non fuerint.

Duo enim ad hoc requiruntur, et sufficiunt, videlicet: 1) usus continuus liberi arbitrii et 2) continua adhaesio voluntati divinae. Iamvero, utrumque Beatissima Virgo habuit: Habuit continuum usum liberi arbitrii ratione scientiae infusae quae, utpote supernaturalis, exerceri potuit independenter a conversione ad phantasmata; nulla proinde in B. Virgine admittenda est actuum huius scientiae interruptio nec aliqua defatigatio ex continuo ipsius scientiae exercitio, quia haec omnia proveniunt in nobis ex intimo et naturali commercio animae intellectivae cum phantasia et cum ceteris facultatibus sensitivis ad materiales conditiones alligatis. Habuit etiam continuam adhaesionem voluntati divinae ratione immaculatae conceptionis, seu ratione privilegii vi cuius omnes potentiae semper Deo subderentur ita ut nullus exurgeret motus in Deum, finem ultimum, non ordinatus.

B. Virgo, igitur, « quocumque motu merebatur ». Quod ita probat S. Albertus M.: « Apostolus ad Coloss. 3, 17: " Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Iesu Christi. " Et 1 Cor. 10, 11: " Sive... manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite ". Aut ergo aliquis implet, aut nullus. Si nullus: ergo frustra praecipitur, vel consulitur, vel monetur. Si aliquis, ergo beatissima Virgo: ergo, in omni eo quod fecit, merebatur » (Quaestiones super *Missus*, q. 135, *Opera*, Lugduni, 1651, 20, p. 91, coll. 1, 2).

Actus ergo meritorii B. Virginis continui seu ininterrupti fuerunt saltem in vigilia. At quaeri potest: interrupti ne fuerunt etiam tempore quo B. Virgo somno indulgebat?... Negant Gerson (Tr. 5 super *Magnificat*), Abulensis (super Matth. 1, q. 56) et inter recentiores Lépicier. Plures tamen affirmant, ut S. Bernardinus Senensis (Serm. 51), Dionysius Cartusianus (in Cant., l. 6), S. Petrus Canisius

(o. c., l. 1, c. 13), S. Franciscus Salesius (*Traité de l'Amour de Dieu*, l. 3, c. 8), Contenson (o. c., l. 10, diss. 6, c. 1, Specul. 2), Suarez (in 3, disp. 18, sect. 3), Vega (o. c., Pal. 29, cert. 3), S. Alfonsus (*Glorie di Maria*, p. IV, par. 2), Terrien (o. c., l. 7, c. 1), Hugon (*De Verbo Inc.*, p. 458), Gorrino (o. c., p. 69) etc. Sententia haec, sive propter auctoritatem, sive propter rationem solide probabilis videtur. B. Virgini, enim, inde a primo instanti suae existentiae, data est scientia per se infusa, quae, ut iam diximus, probabiliter perduravit et quae, utpote independens a phantasmatibus et a sensuum operationibus, potuit, durante somno, phantasia et sensibus externis sopitis, exerceri, et ideo B. Virgo potuit, durante somno, caelestium rerum contemplationi et amori Dei vacare illud Cantici usurpans: « Ergo dormio et cor meum vigilat » (Cant., 5, 2). Usus iste liberi arbitrii durante somno est utique extraordinarius, miraculosus; at, supposito primo miraculo in ipso instanti conceptionis, dicendus est quodammodo connaturalis, ne tot et tantae divitiae supernaturales, ut iam diximus, infructuosae remanerent.

At, dato etiam quod meritum B. Virginis per somnium interruptum esset, tam brevis dicenda esset illa interruptio ut quaedam moralis continuatio seriesque tunc haberetur. B. Virgo enim, ob optimam sui corporis dispositionem, nec non ob temperantissimam vivendi rationem, exiguo somno indigebat, et ideo magnam temporis partem, quae somno destinari debuisset, orationi et caelestium rerum contemplationi tribuebat. « Dormire — scribit S. Ambrosius — non prius cupiditas quam necessitas fuit » (*De Virgin.*, l. 2, c. 2, n. 8, t. 4, col. 213).

Quaeri autem posset: positis in B. Virgine innumerabilibus istis virtutum actibus, sive subiective sive obiective perfectissimis, *quam proportionem* B. Virgo iugiter in gratia crescebat?...

P. DE RHODES, post Suarez et alios Theologos, dixit quod supputatio meritorum Virginis, et consequenter eiusdem augmentum in gratia, quodlibet verbum, quamlibet intelligentiam, quamlibet arithmetica supputationem excedit. « Gratia B. Virginis — scribit — ita crevit sine interruptione ut per quemlibet eius actum semper duplo maior effecta fuerit ». Ita etiam docent Suarez (disp. 18, sect. 4, Concl. 1), Vega (*Palestra* 16, art. 1), et alii multi.

Ratio evidens est, posito duplici principio. Primum videtur indubitatum quod actus bonus producit gratiam sibi omnino aequalem in numero graduum. Actus v. g. intensus ut centum, producit centum gradus gratiae. Alterum principium est, quod Maria semper operata est secundum totam activitatem gratiae et virtutum habitus, quia gratia in ea nunquam fuit vacua; imo voluntas eius totam activitatem gratiae semper exaequabat; alioquin fuisset aliqua imperfectio in ipsa.

« Ex his duobus principiis sequitur omnino quod gratia Mariae semper fuit duplicata per singulos eius actus. Quod sic probo. Tunc gratia crescit secundum proportionem duplam, quando crescit secundum latitudinem et activitatem gratiae praecedentis; ita ut si haberet nunc centum gradus, actus amoris esset ut centum, et produceret cen-

tum gradus gratiae; sequens actus, adaequans activitatem ducentorum graduum, produceret ducentos; tertius produceret quadringentos. Actus autem Mariae semper producebat secundum adaequatam virtutem gratiae ac habitus. Ergo gratia Mariae crevit semper secundum proportionem duplam; imo aliquando potuit illam excedere, quia interdum ea novo impetu amoris potuit operari supra perfectionem praecedentem. Quae supputatio superat omne quod lingua dicere, quod arithmetica numerare, quod intellectus potest cogitare » (*De Rhodes*, l. c., pp. 247-248).

P. MIECHOW, O. P. sequentem tabulam conficiebat: « Soit le premier acte: cent. Les suivants seront deux cents, quatre cents..., six mille quatre cents, douze mille huit cents, etc. En procédant de la sorte, vous arrivez pour le trentième seulement à un total de vingt-six milliards quatre cent quarante-deux millions sept cent quarante-cinq mille six cents. Et que serait-ce si nous voulions calculer jusqu'au centième, jusqu'au millième, etc. Donc (à la fin de sa vie) cette argumentation devient inexplicable et incompréhensible » (137 conf. sur les litanies).

« Et encore — animadvertit P. HUGON — pour ce calcul nous sommes partis d'une base peu élevée, afin de ne pas trop déconcerter l'intelligence; mais l'intensité du premier acte est déjà prodigieuse, plus que mille, plus qu'un milliard, puisqu'elle dépasse les mérites des Anges et des hommes ensemble » (*La Mère de grâce*, p. 123).

Quidquid sit, certum omnino est gratiam finalem B. Virginis maiorem fuisse quam quae aestimari posset et, in suo genere, pene infinitam fuisse.

Pars IV: *Gratia B. V. crevit etiam EX OPERE OPERATO seu per Sacramenta.*

At quaenam Sacramenta B. Virgo recepit? Discurramus per singula. Sacramenta sunt Veteris et Novae Legis.

1) **Quoad Sacramenta V. Legis** « dici potest Beata Virgo habuisse illud auxilium quod pro feminis, tamquam remedium ad delendum originale peccatum fuerat provisum; quod probabiliter erat oblatio a parentibus Deo facta, cum actu protestativo fidei in Christum venturum, quod quidem et in lege naturae tam pro masculis quam pro feminis in usu fuerat. Ritus iste, qui correspondebat circumcisioni pro masculis institutae, gratiam quidem conferebat ex opere operato, non tamen instrumentaliter seu per effectivum influxum, sed moraliter tantum, seu per modum causae finalis » (Card. LÉPICIER, o. c., p. 239).

Nec huic rei obstare videtur immaculata Virginis conceptio. Etenim parentes eius probabiliter privilegium propriae filiae ignorabant, ideoque legi huius sacramenti, iuxta traditionem maiorum sese conformare debuerunt. Ceterum, sacramentum illud B. Virgo recipere debuit non ut a labe peccati mundaretur, sed ad hoc ut Ecclesiae visibili illius temporis incorporaretur, et ad hoc ut gratia sanctificans in ipsa augetur. Ob hanc rationem etiam Ioannes Baptista, quamvis a peccato originali ante nativitatem liberatus fuerit, ritui circumcisionis procul dubio subiucuit.

2) Quoad Sacramenta N. Legis:

1) B. Virgo suscepit BAPTISMUM, ob triplicem rationem: a) Baptismus enim ad hoc proprie institutus est ut baptizati, per impressionem characteris, incorporentur Christo capiti tamquam membra eius, habilesque reddantur ad alia sacramenta recipienda, cum baptismus sit sacramentorum ianua. Et licet adultus qui fidem et caritatem in Christum habet, iam sit ipsi mentaliter incorporatus, adhuc tamen oportet ut ei per visibile sacramentum incorporetur corporaliter; unde, concludit S. Thomas, « quod illi qui sunt sanctificati in utero consequuntur quidem gratiam emundantem a peccato originali; non tamen ex hoc ipso characterem quo Christo configurentur et propter hoc, si aliqui nunc sanctificarentur in utero, necesse esset eos baptizari, ut per susceptionem characteris aliis membris Christi conformarentur »: ¹ quod proportionaliter dicendum est de praedicto ritu sub lege mosaica.

b) Cum baptismus homini iam iustificato confertur, augmentum gratiae illi praebet; ideo etiam sub hoc respectu Beata Virgo baptismum suscipere potuit.

c) B. Virgo baptismum suscipiens, Christi, Filii sui, vestigia sequebatur, qui a Ioanne in Iordane baptizari voluit, et humilitatis exemplum christianis praebebat, legi baptismi, sicut legi purificationis, obsequens.

Si vero quaeratur *quando* et *a quo* B. Virgo baptizata fuerit, responderi potest:

a) Relate ad *tempus*, probabiliter B. Virgo, sicut et Apostoli, baptizata est ante Christi passionem et mortem (quamvis baptismus ante Christi mortem necessarium non fuisset): Apostoli enim, et probabilissime etiam B. Virgo, Eucharistiam ante Christi Passionem et mortem susceperunt, et de lege ordinaria nemo non baptizatus est sacramenti alicuius capax, a qua lege ordinaria non constat Apostolos a Christo dispensatos fuisse. Probabiliter ergo Apostoli a Christo baptizati fuerunt.

b) Persona vero quae B. Virginem baptizavit, probabiliter, honoris causa, fuit ipsemet Christus. Euthymius Zigabenus (flor. saec. XII) cui assentitur Suarez (in 3, disp. 19, sect. 1), ait quosdam, apostolorum temporibus proximos, scripsisse quod Christus Petrum et Virginem Mariam baptizaverit, Petrus vero reliquos omnes Apostolos. ²

2) Relate ad CONFIRMATIONEM, tenendum est B. Virginem non quidem *sacramentum* ipsum (seu sacrum aut sensibile signum) sed *rem* sacramenti (seu Spiritus S. gratiam et robur ad fidem profitendam) in die Pentecostes recepisse, cum illam ipsam receperint Apostoli et discipuli, prout testatur Eugenius IV in decr. pro Armenis (Denz., n. 697). Legitur enim in Actibus Ap.: « Hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, et Maria Matre Iesu » (I, 14).

¹ III, 69, art. 4.

² *Comment. in cap. III Ioannis*, Lovanii, 1544, t. unic., p. 455.

3) B. Virgo EUCHARISTIAE Sacramentum ferventissime recepit, et quidem frequentissime, imo quotidie, iuxta praxim priscorum fidelium, de quibus legitur: « Quotidie perdurantes unanimiter in templo, et frangentes circa domos panem » (Act. 2, 46). Christi enim Matrem fideles in fervore non sequi sed praecedere oportebat. Eo vel maxime quod ob eius mediationem et intuitu eius praesertim (ad hoc ut suae praesentiae desiderium in eius corde leniret), SS. Eucharistiae sacramentum Christus instituit.¹ Insuper eius amor erga Filium, illam ad sacram Communionem enixe impellebat et in ipsa Christus hospitium mundissimum et ideo dignissimum inveniebat. Quapropter putamus B. Virginem, in ultima Coena, statim post Apostolos, et quidem, sub utraque specie, Eucharisticae mensae participem fuisse. Eo vel magis quod agnus paschalis comedendus erat per familias et domos (Exod., 12, 3) et ad familiae praesidem pertinebat immolatio eius; quia vero S. Ioseph iam mortuus erat, caput sacrae familiae remanserat Christus, et comestioni agni interfuit eius Mater quae procul dubio tunc Hierosolymis erat (cfr LÉPICIER, *Diatessaron*, Sect. 270, q. 13). Commode vero B. Virgo potuit deinde quotidie ad sacram mensam accedere eo quod S. Ioannem, filium suum adoptivum, iugiter comitem habuit.

4) Ob defectum cuiuslibet materiae, sive remotae (i. e. peccata actualia post baptismum commissa), sive proximae (i. e. actus poenitentis se dolorose accusantis pro absolutione obtinenda), B. Virgo nunquam POENITENTIAE sacramentum recepit, imo nec recipere potuit. Ipsa enim numquam vel levissimum peccatum commisit, et ideo nec dolere de peccato, nec illud confiteri potuit. Quod si Deipara voluit purgationis observantiam implere, hoc, ait Angelicus, non fuit propter indigentiam, sed propter legis praeceptum; non quasi obligaretur ad impletionem illius praecepti, sed quia voluntarie purgationis observantiam implevit (3, q. 37, art. 4).

5) Relate ad sacramentum EXTREMAE UNCTIONIS disputatur inter Theologos. Quidam ut S. Albertus M. (*Mariale*, q. 43), S. Petrus Canisius (o. c., l. 1, c. 9), Suarez (in 3, disp. 18, sect. 3), Vega (o. c., Pal. 21, 20, cert. 4), S. Antoninus (3 P., tit. 13, c. 8, par. 3), Bernardinus de Bustis (*Mariale*, P. IV, serm. 11, p. 3, fol. 121) Sedlmayr (o. c., p. III, q. 3, a. 9) tenent B. Virginem ante mortem sacramentum hoc recepisse; licet enim nec peccatum nec peccati reliquias habuerit, gratiae tamen corroborantis adversus illas reliquias, si adfuissent, capax erat; et quamvis nulli subiecta fuerit morbo, deficientia tamen corporalium virium sufficiens corporis infirmitas esse poterat ad tale sacramentum valide suscipiendum. B. Virgo, igitur, sacramentum illud suscepisset sive propter fructum eius, sive ut fidelibus humilitatis et vitae christianae exemplum praeberet...

¹ Cfr ROSCHINI O. S. M., *Maria SS. e l'Eucaristia*, Torino, L.I.C.E., 1935, pp. 7-14.

Si quis obiiciat hoc sacramentum ordinari ad reliquias peccati tollendas a quibus B. Virgo totaliter immunis extitit, responderi potest cum Francisco Sylvio,¹ aliisque probatis auctoribus, proprium et primum huius sacramenti effectum non esse remissionem peccatorum: non peccatorum *mortalium*, ad quae ordinatur per se sacramentum poenitentiae; non *venialium*, cum nullum sacramentum Novae Legis directe sit institutum contra peccatum veniale, quod potest tolli per sacramentalia, puta, per aquam benedictam, vel aliquid huiusmodi. Praeterea, dicente S. Iacobo:² *Et si in peccatis sit, remittentur ei*, ex eiusdem Apostoli mente eruitur, posse illum qui hoc sacramentum suscipit, omni peccato carere; unde etiam sancivit Ecclesia, posse extremam unctionem aliquando immediate post baptismum adulto conferri.³

« Quapropter, proprius et primarius effectus sacramenti Extremae Unctionis est gratia confortans hominem in ultima pugna contra insidias inimici, et spiritualem alacritatem conferens ad ferenda mortis incommoda, laetique animo adventum Domini exspectandum; secundus autem effectus est sanitas corporalis, si id quidem Deo placuerit, necnon remissio peccatorum et abstersio reliquiarum peccati. Ergo ad hoc ut quis valide possit sacramentum Extremae Unctionis recipere, non est necesse ut aliquando peccaverit, sed sufficit ut in mortis articulo constitutus, confortari indigeat modo explicato ». ⁴

Alii tamen, ut Paludanus (In 4, dist. 22, q. 3, a. 2), Gabriel Biel (In 4, dist. 30, q. 1, a. 3), Vasquez (In 3, disp. 119, c. 8), Card. Lépicier (o. c., pp. 241-242), Paquet (*De Sacramentis*, disp. 5, q. 2, a. 3), Hugon (o. c., q. 2, a. 3), Campana (o. c., p. 632), Gorrino (o. c., p. 70) etc. negant omnino B. Virginem Extremam Unctionem, sacramentum spiritualiter convalescentium, suscepisse. Et huic secundae sententiae adhaeremus, ob sequentes rationes:

a) *Ratione subiecti* huius sacramenti, quod est solus aegrotus periculose decumbens; atqui B. Virgo numquam fuit nec esse potuit aegrota; ergo...

b) *Ratione formae* huius sacramenti, quae est: « Indulgeat tibi Deus quidquid per visum... *deliquisti* »; atqui Beata Virgo numquam deliquit; ergo...

c) *Ratione effectus* huius sacramenti, id est, peccatorum reliquias abstergere, et peccata si quae sint, remittere; atqui B. Virgo nec peccatum nec peccatorum reliquias (i. e. pravae dispositiones ex peccato relictæ) habuit; ergo...

Alius huius sacramenti effectus est alleviatio animae eiusque contra daemones ultimas insidias et mortis angores roboratio; atqui B. Virgo talibus effectibus non indiguit (daemon enim semper procul ab ipsa fuit; eiusque mors, si revera

¹ In *Supplem.*, Quaest. 30, art. 1.

² C. 5, 15.

³ LÉPICIER, o. c., p. 242, *S. Congr. de Prop. Fide*, 26 sept. 1821.

⁴ LÉPICIER, o. c., p. 242.

mortua est, fuit placidissima amoris extasis; laeto animo adventum Domini expectavit).

6) Sacramentum ORDINIS B. Virgo non recepit, eo quod mulieres, iure divino, ab hoc sacramento excluduntur; unde Innocentius III¹ aiebat: « Licet Beatissima Virgo Maria dignior et excellentior fuerit Apostolis universis; non tamen illi, sed istis Dominus claves regni coelorum commisit ». Et in Constitutionibus apostolicis² dicitur: « Mariae permissum fuisset munus docendi, nisi officia sacerdotalia omnibus retro saeculis novae et antiquae Legis mulieribus vetita fuissent ». « In quo — animadvertit Card. Lépicier — discrimen deprehenditur inter verum cultum, et cultum ethnicorum aut etiam haereticorum, quos inter Cataphrygae, Peputiani et Collyridiani, teste S. Epiphanio, fuere, qui mulieres quoque ad officium sacerdotale admittere consueverunt » (l. c., p. 243).

Si vero interdum Deipara, *Virgo Sacerdos* appellatur, hoc non nisi lato et improprio sensu intelligi debet, quatenus Christum, Sacerdotem simul et Victimam nobis libere dedit, et in ara crucis una cum ipso Christo, pro nobis obtulit.³

Quamvis vero Deipara Sacramentum ordinis non susceperit, huius tamen sacramenti rem abundantissime recepit, prout exponit S. Antoninus: « Licet autem Beatissima Virgo Maria sacramentum ordinis non receperit, quicquid tamen dignitatis vel gratiae in ipsis (ordinibus) confertur de hoc plena fuit. Confertur in eis septiformis gratia Spiritus Sancti, qua omnifaria plena fuit. Item cum tria sint in Sacramento Ordinis, scilicet dignitas ministerialis, potestas spiritualis, administratio executionis, haec autem tria Beata Maria aequipollenter habuit et excellenter. Ministri Ecclesiae habent dignitatem beneficalem per characterem excellentiae; Beatissima autem Virgo habet coronam regni Ecclesiae militantis et triumphantis; unde et summus ministrorum Papa dicitur servus servorum Dei: haec autem est domina Angelorum et imperatrix totius mundi. Item in ministris est potestas spiritualis, temporalis delegata a Deo vel subdelegata et vicaria: in ipsa enim est plenitudo potestatis caelestis ex auctoritate ordinaria. Item in ministris est executio ligandi et solvendi, potestas ad ligandum et solvendum per imperium. Et sic quicquid est in ordinibus dignitatis et gratiae constat Beatae Mariae minime defuisse » (p. IV, tit. 15, c. 16, Venet., 1581, p. 320, r. col. 2).

7) Tandem, relate AD MATRIMONIUM, patet B. Virginem, illud non suscepisse prout est Novae Legis sacramentum cum fuerit coniuncta, et quidem vero et proprio matrimonio rato, Sancto Ioseph, sub Veteri Lege. In hypothesis tamen quod Sanctus Ioseph supervixerit institutioni huius sacramenti nec non susce-

¹ Cap. *Nova*, Extra, de Poenit.

² Lib. 3, c. 6.

³ Cfr HUGON, *La Vierge-Prêtre*, examen théologique d'un titre et d'une doctrine. Paris,

ptioni baptismatis ex parte B. Virginis, matrimonium sub Lege Veteri ab ipsis celebratum, evasisset statim verum novae Legis sacramentum, cum, baptismo superveniente, ipsemet naturalis contractus, adhuc moraliter perseverans, statim fiat sacramentum. Attamen, communiter tenetur S. Ioseph mortuum fuisse antequam Christus Baptismi sacramentum institueret et contractum naturale ad sacramenti dignitatem elevaret.¹

Non omnia ergo sacramenta, prout ex dictis patet, B. Virgo suscepit. Attamen, ut ait S. Albertus M., « quidquid dignitatis vel gratiae est in sacramentis Ecclesiae, plenitudini gratiae, quae fuit in beata Virgine, omnino nihil deesse, sed eam hoc totum vel in gratiis sacramentalibus, vel excellentius, plenarie possedisse » (*Mariale*, q. 44).

Praeter sacramenta, prodixerunt augmentum gratiae ex *opere operato* (i. e. ultra dignitatem meriti ipsius, non tamen independenter a qualibet dispositione vel libera cooperatione) mysteria quaedam quae fuerunt in ipsa Virgine operata, praesertim a) mysterium conceptionis Christi, b) mysterium Calvariae et c) mysterium Pentecostes.

a) *Mysterium conceptionis Christi*, vi sua intrinseca, magnam gratiae copiam in B. Virgine causare debuit ob novam intrinsecam, physicam et miram coniunctionem cum ipso gratiae fonte Christo. Etenim iuxta illud S. Thomae: « Quanto aliquid magis apropinquat principio in aliquo genere, tanto magis participat effectum illius principii ». Atqui tunc B. Virgo coepit esse coniunctissima, physice et moraliter, cum ipso gratiae fonte i. e. Christo. Ergo...

Quod autem de conceptionis instanti dicitur, extendi etiam debet ad totam aetatem infantiae Christi, qua perdurante B. Virgo quotidiana et intima Christi familiaritate usa est. Iure ergo S. Augustinus aiebat: « Lactabis infantem proprium; Creatori succum porrigis lactis, et cibis caelestibus satiaris » (Serm. 14, *de tempore*, PL 39, 2104). Et clarius adhuc S. Petrus Canisius: « Per crebram divinae carnis contrectationem ipsa subinde mundior, sanctior atque diviniore effecta est » (*De Deipara*, lib. 4, c. 26). Difficile tamen est determinare gradum et mensuram gratiae quae tunc Virgini conferebatur.

b) *Mysterium Calvariae* etiam fuit pro Virgine causa gratiae. Tunc enim B. Virgo Mater generis humani declarata est, quod quidem officium correspondentem gratiam exposcit. Maternitas insuper spiritualis, consecrarium et veluti complementum fuit maternitatis divinae. Sicut ergo maternitas divina adnexam habuit gratiam, ita et maternitas spiritualis gratiam adnexam habere debuit. Tunc enim materna pietatis viscera erga homines Deus ei conferre debuit.

c) *Mysterium Pentecostes* quod Apostolos in gratia confirmavit, in B. Virgine praestantissimos effectus operari debuit.

¹ Cfr LÉPICIER, o. c., pp. 244-245.

Ex hucusque dictis patet gratiam quam habuit B. Virgo sub fine vitae suae mortalis incommensurabilem fuisse, cum illius augmento terminus aliquis assignari non possit. Certe supremum gradum attingere debuit ad quem pura aliqua creatura pertingere valet. Hinc est quod Patres B. Virginem passim appellant « gratiae abyssum », « caeleste prodigium », « gratiae oceanum », « mirandum spectaculum »... « admiratio saeculorum ». « En cette sainte âme — scribit P. Bernard — la vie de grâce a commencé par une Immaculée Conception, et s'est terminée par une Assomption, et par un couronnement de gloire. Un triomphe de la grâce pour commencer, un triomphe pour finir. Et dans l'intervalle une constante sanctification, comme parle St. Thomas (3, q. 27). un état qui n'a fait que croître et embellir à chaque instant et qui, à chaque phase de son magnifique développement, a réalisé la perfection, et apporté en Marie une pleine mesure de vie divine, d'abord la plénitude qu'il fallait à cette bienheureuse Vierge pour se préparer à être la Mère du Christ, puis celle qu'il lui a fallu pour l'être en toute vérité, premièrement dans ce monde, et finalement dans l'autre » (in *La Vie Spirituelle*, 1930). Dulce est pro nobis cogitare huius mirabilis sanctitatis cognitionem futuram esse partem deliciarum nostrarum in omnem aeternitatem.

III) – De natura gratiae B. M. Virginis

Praesens quaestio quae nostris diebus agitari coepit, utilitate non caret. Posito enim quod gratia, in suo sensu magis amplo, sit « supernaturalis communicatio, creaturae facta, realitatum quae propriae sunt divinitatis », iure quaeri potest: quanam species communicationis supernaturalis in maternitate divina quae tali verificatur? Estne huiusmodi gratia eiusdem vel diversae speciei ac gratia ordinaria aliis omnibus Dei filiis concessa?

1) Recens quaedam sententia

Communiter tenetur gratiam Virginis benedictae eiusdem esse speciei ac gratia aliorum filiorum Dei. At nuper P. Ioachim Alonso, C. M. F., in dissertatione quadam in Societate Mariologica Hispanica habita, demonstrare conatus est gratiam Virginis diversae esse speciei ac gratia aliis collata.

Ad hanc suam thesim probandam, exponit, imprimis, conceptum gratiae, uti ait, sub respectu trinitario, qualis nempe a Theologia graeca (non vero a theologia latina) expositus est.

Opus sanctificationis (opus *ad extra*) — iuxta A. — non solum est *commune* tribus personis divinis (prout tenet theologia latina) sed est etiam proprium uniuscuiusque personae divinae, ita ut quaelibet persona SS. Trinitatis, in quaelibet actione *ad extra*, aliquid proprium seu personale ponat. Gratia igitur esset relatio quaedam viva et personalis, primario et directe ad Spiritum Sanctum, et per Spiritum Sanctum, secundario, ad alias duas personas pertinens. Com-

municationes igitur divinae *ad extra*, sunt reflexus communicationum *ad intra* propriasque rationes formales inveniunt in illis. Dum ergo theologia latina, in actionibus *ad extra*, contemplatur communicationem essentiae seu naturae divinae quae secum trahit tres Personas divinas *simul et eadem ratione*, theologia graeca, e contra, contemplatur communicationem tamquam projectio quaedam vitae trinitariae: sunt enim personae divinae quae actuant, in nobis, iuxta rationem personalem ipsis propriam, communicationem esse divini in nobis.

Haec autem principia Deiparae applicando, P. Alonso haec statuit: etiam gratia Deiparae considerari debet sub respectu trinitario superius exposito, hoc sensu: Fecunditas Patris reflectitur in fecunditate Matris; aeterna Filiatio Filii reflectitur in Filiatione temporali Incarnationis; Amor aeternus Patris et Filii reflectitur in tempore in eorum erga creaturas amore. Gratia igitur Deiparae in ipso suo *esse maternali* consistit, et ideo est *gratia maternalis*, quae proinde a simplici gratia *adoptionis*, aliis communi, *specificè* differt, et ideo omnino singularis apparet. *Fundamenta* vero huius gratiae maternalis sunt: 1) aeterna et singularis praedilectio ratione cuius Pater communicare decrevit Mariae, in tempore, attributum propriae fecunditatis aeternae; 2) actuatio, in tempore, huius aeternae praedilectionis inde a primo instanti existentiae B. Virginis, in qua Pater Filius et Spiritus Sanctus semetipsos Deiparae donant iuxta specialem uniuscuiusque rationem trinitariam.¹

2) Praefatae sententiae refutatio

Sententia haec quae diversitatem specificam ponit inter gratiam B. Mariae Virginis et gratiam nostram, non videtur sustineri posse ob plures rationes, quarum quaedam solutae iam fuerunt a P. Alonso, at modo — ut nobis videtur — parum vel nihil satisfaciendi. Praecipuas rationes hic exponimus.

1) *Fundamenta* huius novae sententiae parum solida nobis videntur. Si enim in operationibus *ad extra* aliquid proprii personarum divinarum (praeter *vestigium* vel imaginem) reflecteretur, dogma Trinitatis ex rebus ipsis, humano rationis lumine, cognosci posset: quod concedi non potest. Sequitur ergo quod admitti debeat unitas actionis *ad extra* personis divinis minime propria, in potentia quae est communis, seu, in essentia *una* fundata, prout omnes Scholastici tenent.

P. Alonso respondet argumentum hoc *ad hominem* retorquendo, et dicit: « Sicut essentia est *trina*, deberemus videre in operatione trinum illud quod essentiam constituit » (l. c., p. 109). At haec assertio videtur simpliciter falsa, cum essentia divina aliquid *absolutum* non vero aliquid relativum subsistens per se dicat. Trinitas enim non praedicatur de essentia. Stat ergo difficultas.

¹ Cfr *Naturaleza y fundamentos de la gracia de la Virgen*, in *Estudios Marianos*, 5 (1946) 11-110.

2) Praeter fundamenta parum solida, quae principia novae huius sententiae constituunt, eorum ad gratiam Deiparae *applicatio* non videtur sustineri posse. Si enim gratia Deiparae non esset eadem specie cum gratia filiorum eius, minime Deipara vera mater nostra in ordine supernaturali esset, cum mater cooperari debeat ad eandem specificè naturam communicandam quam ipsamet habet.

Huic obiectioni P. Alonso respondet distinguendo: in tali casu Deipara nobis non comunicat eandem specificè naturam *formaliter*, concedo; *causaliter-virtualiter*, nego. At etiam haec responsio non satisfacit. Inter veram matrem enim et verum filium eius vera eiusdem specificae naturae communicatio requiritur. Non sufficit ergo quod mater naturam illam *causaliter eminenter* possideat, sed requiritur etiam ut illam ipsam formaliter revera comunicet.

3) Nova sententia, tandem, asserere aut saltem supponere videtur in B. Virgine gratiam divinae maternitatis et gratiam sanctificantem unum idemque constituere: quod non videtur admitti posse, cum gratia divinae maternitatis ad genus gratiae *gratis datae*, dum gratia sanctificans ad genus gratiae *gratum facientis* pertineat. Quidquid denum sit, maternitas divina et gratia sanctificans sunt res omnino diversae, et ideo commisceri non debent.

Cum agatur igitur de sententia quae, quamvis abilissime proposita, contra communem theologorum sententiam militat, sustineri non posse videtur.

Tenendum igitur est immensurabilem Deiparae gratiam eiusdem speciei fuisse ac nostra.

Art. 2 – DE VIRTUTIBUS B. M. V.¹

Organismus vitae supernaturalis. Simul cum gratia habituali seu sanctificante, conferuntur homini virtutes, sive theologicae, sive morales, dona et fructus Spiritus Sancti, nec non beatitudines. Etenim 1) quemadmodum *radix* vitae naturalis est essentia animae (principium remotum operationis), ita *radix* vitae supernaturalis est gratia habitualis quae se habet ut *habitus entitativus* dans animae esse divinum.

2) Quemadmodum ex *essentia* animae profluunt *potentiae* et *actiones* vitales, ita et ex gratia habituali. Essentia enim non est immediate operativa sed operatur per facultates. Hinc per modum *essentiae* supernaturalis habetur gratia sanctificans. Ex hac essentia vero profluunt:

1) *per modum potentiarum*: a) virtutes *theologicae*, quae perficiunt hominem in ordine ad Deum; b) virtutes *morales*, quae perficiunt quatuor principales

¹ Cfr ELIAS DE LA DOLOROSA, C. P., *Virtutes y dones del Espíritu Santo en la Santísima Virgen*, in *Estudios Marianos*, 5 (1946) 205-248.

potentias animae, c) *dona Spiritus S.*, quae hominem disponunt ut sit facile mobilis a Spiritu Sancto;¹

2) *per modum operationum*: a) *fructus Spiritus S.*, qui sunt opera virtuosa in quibus homo delectatur; b) *beatitudines* quae sunt opera perfecta quae in summitate vitae spiritualis consistunt et sunt veluti inchoationes futurae beatitudinis.

Haec, quoad sua varia elementa, mirabilis vita filii Dei adoptivi.

Exposita ergo quaestione de gratia B. V. M., logice transitus fit ad expositionem illorum donorum quae ex gratia tamquam ex radice profluunt, a virtutibus incipiendo.

Quid et quotuplex sit virtus. Virtus est habitus inclinans hominem ad bonum operandum et ad malum vitandum.

Virtutes autem, pro duplici actuum humanorum ordine et fine (naturalis et supernaturalis) dividi possunt in *naturales* et *supernaturales*: primae (naturales) propriis actibus acquiri possunt; secundae vero (supernaturales) a Deo infunduntur.

Virtutes naturales subdividuntur in *intellectuales* et *morales* secundum duplex operationis humanae principium: intellectum (intelligentia, sapientia, scientia, ars, prudentia) et voluntatem (virtutes morales).


Virtutes autem *morales* subdividuntur in *principales* seu cardinales et *secundarias* seu adiunctas: primae (*cardinales*, sic dictae a cardine circa quem ostium volvitur) sunt illae in quibus, tamquam in cardinibus, tota volvitur vita moralis, et sunt quatuor: prudentia, iustitia, fortitudo et temperantia; secundae vero (i. e. secundariae et adiunctae) sunt illae quae a cardinalibus profluunt et ad illas triplici modo referuntur, videlicet: a) ut partes *integrantes* (sine quibus virtutis exercitium non esset perfectum et integrum), b) ut partes *subiectivae* (in quas virtus cardinalis tamquam genus in species, subdividitur), c) ut partes *potentiales* (quae, utpote non habentes totam potentiam virtutis principalis, ad aliquos secundarios actus vel materias ordinantur).

Virtutes supernaturales dividuntur in supernaturales *simpliciter* et ratione sui et *sec. quid* seu ratione causae: a) *supern. simpliciter* sunt virtutes *per se* infusae quae propter eorum intrinsecam supernaturalitatem, numquam possunt homini inesse nisi ei a Deo infundantur; b) *supern. sec. quid* seu ratione causae, sunt virtutes naturales (quae idcirco actibus naturalibus acquiri possunt) infusae a Deo.

¹ Virtutum moralium infusarum *plena evolutio* in nobis, exigit, ob *difficultates* originale peccatum consequentes, *concursum* virtutum moralium *acquisitarum*, quem *concursum* (dum eo virtutes morales infusae utuntur) elevant.

Virtutes vero theologales et dona Sp. S. auxilio seu concursu virtutum naturalium minime indigent. Demum, caritas sola, alias virtutes supernaturaliter viventes reddit, et ideo primatum obtinet. Cfr MARMION, *Cristo vita dell'anima*, pp. 325-326, ed. 5.

Virtutes vero supern. simpliciter subdividuntur in *theologicas* et *morales*: *primae* (i. e. theologicae) habent pro objecto, immediate Deum ipsum, finem ultimum supernaturalem (fides, spes, caritas); *secundae* vero (i. e. morales) habent pro objecto immediato mores seu actus honestos rectae rationi conformes (prudencia, iustitia, fortitudo et temperantia). Schematice:



In praesenti agimus de virtutibus B. M. V. sive in genere, sive in specie et quidem sive naturalibus sive supernaturalibus sive theologis sive moralibus, sive principalibus seu cardinalibus, sive secundariis seu adiunctis, saltem praecipuis.

I) De virtutibus B. M. Virginis in genere

Prop.: *In B. Virgine fuerunt excellentissime omnes virtutes.*

Prob. I.: Auctoritate: 1) PONTIFICUM: a) LEO XIII in Encycl. *Magnae Dei Matris*: « Ecce autem in Maria virtutis omnis exemplar vere bonus et providens Deus constituit nobis aptissimum illudque oculis et cogitatione intuentes, non animos, quasi divini numinis fulgore perstricti, despondemus, sed ex ipsa allecti communis propinquitate naturae, fidentius ad imitationem enitumur » (cfr *Lettres Apostoliques de S. S. Léon XIII*, Paris, Bonne Presse, t. 3, p. 150).

b) PIUS X in Enc. *Ad diem illum*: « Divina lex est ut, qui aeternae beatitudinis munere potiri cupiunt, formam potentiae et sanctitatis Christi, imitando, in se exprimant. Nam, quos praescivit, et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus (Rom. 8, 29). At quoniam ea fere est infirmitas nostra, ut tanti exemplaris amplitudine facile deterreamur, providentis Dei numine, aliud nobis est exemplar propositum quod, quum Christo sit proximum, quantum humanae licet naturae, tum aptius congruat cum exiguitate nostra. Eiusmodi autem nullum est praeter Deiparam » (*AAS*, 1, 82-84).

2) PATRUM ET SCRIPTORUM: S. AMBROSIVS: « Sit igitur in vobis tamquam in imagine descripta, virginitas, vita Mariae; de qua velut speculo refulgeat species

castitatis et forma virtutis. Hinc sumatis licet exempla vivendi, ubi tamquam in exemplari magisteria expressa probitatis, quid corrigere, quid effingere, quid tenere debeatis ostendunt... *Talis fuit Maria, ut eius unius vita omnium sit disciplina* » (l. 2, *De Virgin.*, c. 2, n. 6, PL 15, 212-214).

S. THOMAS AQUINAS: « Ipsa [Maria] omnium virtutum opera exercuit, alii autem sancti specialia quaedam: quia alius fuit humilis, alius castus, alius misericors: et ideo dantur in exemplum specialium virtutum: ... sed *Beata Virgo in exemplum* [datur] omnium virtutum » (Opusc. 6, in *Salut. Angelic.*, t. 16, p. 133).

S. BONAVENTURA asserit: « Verum est, quod Virgo gloriosa perfectissime habuit omnes virtutes » (Serm. 1, *de Purif.*, Op. 9, 638 a). « Talis fuit Virgo Maria, quae illustrat totam Ecclesiam et machinam mundanam... illustrat enim suis exemplis omnia tamquam lucerna super candelabrum mundi posita » (Serm. 2, *de Nativ. B. M. V.*, Op. 9, 710).¹

RICHARDUS A S. LAURENTIO: « Quidquid pulchritudinis habent alii sancti in parte, habet Maria in toto. Nemo enim sanctorum inventus est similis illi in gloria... Similis inquam in humilitate, in sanctitate, in charitate, et sic de caeteris virtutibus, quas omnes habuit in superlativo, et quot virtutes, tot habuit in se pulchritudines... nulla ei defuit virtus, nec puritas angelorum, nec fides patriarcharum, nec scientia prophetarum, nec zelus apostolorum, nec patientia martyrum, nec sobrietas confessorum, nec innocentia aut humilitas virginum » (*De laudibus B. M. V.*, libri 12, inter op. S. Alberti M., ed. Vivès, t. 36, p. 182).

S. THOMAS A VILLANOVA: « Hunc puritatis librum digito Dei intus et foris scriptum, assidue perlegite. Legite in eo sanctimoniam, legite pudicitiam, legite prudentiam, legite charitatem, legite mansuetudinem, legite humilitatem, legite denique omnium virtutum plenissimam plenitudinem » (*Conc. 1 de Annunt. B. M. V.*, n. 9).

Pulchre PALLAVICINUS: « Omnes in se virtutes, — se in omnibus virtutibus multiplicans — singularem effecit. — Mariam dixisses — unam virtutum omnium fuisse virtutem; — Imo, migrantibus virtutibus in miracula, — Miracula in virtutes remigrarunt » (Elog. 9).

II. Ratione: Quanto perfectior est gratia in aliqua persona, tanto etiam perfectius inveniuntur in illa virtutes ad perficiendas singulas animae potentias ad omnes animae actus. Atqui in B. Virgine fuit perfectissima seu excellentissima

¹ Perpulchre omnino Dantes Aligherius B. Virginem tamquam omnium virtutum exemplar exhibet. In unoquoque enim ex septem Purgatorii circulis in quibus septem vitia capitalia expiantur, inter exempla virtutum vitiis expiandis contraria, exhibetur iugiter, primo loco, exemplum virtutis ex vita Deiparae desumptum (cfr LÉPICIER, *La Vierge Marie dans le poème de Dante*, Rome, 1934, pp. 33-40).

gratia (prout in quaestione praecedenti demonstravimus). Ergo in B. Virgine fuerunt excellentissime omnes virtutes.

Ad Mai. Est enim axioma: « Quanto aliquod principium est perfectius, tanto magis imprimit suos effectus »; etenim, omne agens agit in quantum est in actu, et ideo modus operandi (perfecte vel imperfecte) principii perfectioni proportionatur. Iamvero gratia sanctificans est principium ex quo virtutes omnes supernaturales derivantur, et ideo, quanto altior est gratia, tanto perfectior imprimit suos effectus, seu virtutes causat.

« Hanc excellentiam virtutum — animadvertit Card. Lépicier — in Deipara, Ecclesia credenda est voluisse sancire in litanis lauretanis, in quibus nobilia quaeque epitheta hoc pacto multiplicata inveniuntur, quasi licet singula vera sint, tamen imparia reputentur perfectionibus Deiparae significandis, et sic eorum cumulus existimationem minus indignam de Sancta Virgine ingeneret » (o. c., p. 266).

II) De virtutibus B. M. Virginis in specie

I) DE VIRTUTIBUS THEOLOGALIBUS

A) De Fide B. M. V.

1) **Quid sit fides.** Est virtus supernaturalis, qua, Dei aspirante et adiuvente gratia, quae Deus revelavit et per Ecclesiam nos docuit, vera esse credimus non propter intrinsicam rei veritatem naturali rationis lumine perspectam, sed propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest.

2) **Errores.** ORIGENES docuit B. Virginem fidem christianam amisisse in Passione Filii sui, aut de illa dubitasse, eo quod si ipsa aliquo modo non peccasset, Iesus non fuisset mortuus pro ipsa (Homil. 17 in Luc., PG 13, 1845).

B. Virginem fidem semper habuisse negavit BRENTIUS qui dixit Mariam in Passione Filii sui a fide excidisse, eo quia Dominus (apud Matth., 26, 31) dixit: « Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte » (In Io. 19).

Alii autem excellentiam fidei B. Virginis labefactare conati sunt. Ita LUTHERUS (apud Canisium, o. c., l. 4, c. 2) asseruit fidem B. Virginis a fide Centurionis superatam fuisse, eo quod Dominus noster dixit: « Non inveni tantam fidem in Israel » (in Matth., 8, 10). ERASMUS finxit B. Virginem non statim post partum Filium suum adorasse, eo quia non constat tunc illum tamquam Deum agnovisse (Ibid.).

Contra hos omnes sequentem propositionem ponimus:

Prop.: *B. Virgo I) habuit semper fidem, et quidem II) excellentissimam.*

Prima pars. Prob.: I. Auctoritate. 1) S. SCRIPTURAE: « Beata es Maria — dixit ei Elisabeth — quae credidisti, quoniam perficientur ea quae dicta sunt

tibi a Domino » (Luc., 1, 45). « Fides autem Mariae haec fuit, quod crediderit perficienda esse in ea omnia quae Angelus annuntiabat, se Virginem superna virtute concepturam, quae erat res stupenda sine ullo in SS. Litteris exemplo praevio, filium fore magnum, filium Altissimi, etc. » (KNABENBAUER, *Comm. in Ev. sec. Luc.*).

« Profecto — scribebat Pius X — si Mariae dicitur: Beata quae credidisti... ut nempe Filium Dei conciperet pareretque; si idcirco illum excepit in utero, qui Veritas natura est, ut novo ordine, nova nativitate generatus... invisibilis in suis, visibilis fieret in nostris (S. LEO M., Serm. 2, *De Nativ.*, c. 2): quum Filius Dei, factus homo, auctor sit et consummator fidei nostrae; opus est omnino sanctissimam eius Matrem mysteriorum divinorum participem ac veluti custodem agnoscere, in qua tamquam in fundamento post Christum nobilissimo, fidei saeculorum omnium extruitur aedificatio » (*Ad diem illum; AAS*, 1, 71).

2) PATRUM: S. IRENAEUS: « Quod Eva ligavit propter incredulitatem, hoc Maria solvit per fidem » (*Contr. Haereses*, l. 3, c. 22, PG 7, 958-960).

S. AMBROSIIUS: « Vides non dubitasse Mariam, sed credidisse, et ideo fidei fructum consecutam » (In Luc., l. 1, PL 15, 1642).

II. Ratione: Fides est de non visis. Atqui B. Virgo in hac vita saltem permanenter Deum intuitive non vidit. Ergo...

Insuper: B. Virgo iustificata est, inde a sua conceptione passiva consummata, more adulatorum seu motu liberi arbitrii gratiae divinae consentientis. Atqui talis motus liberi arbitrii praerequirit actum fidei, quae est radix et fundamentum iustificationis. Ergo...

Haec autem fides in B. Virgine fuit omnino compossibilis cum evidentia credibilitatis mysterii Incarnationis quam ipsa habuit. Aliud enim est mysterium aliquod esse *evidenter credibile* (ratione, scilicet, testimoniorum extrinsecorum) et aliud est idem mysterium esse *evidenter verum* (ratione, scilicet, intrinsecae evidentiae). Iamvero non evidentia credibilitatis sed tantummodo intrinseca veri evidentia fidem excludit.

Ad obiectionem Brentii respondendum est ipsum perverse omnino verba Domini ad solos discipulos directa, ad B. Virginem extendisse, cum eadem B. Virgo steterit iuxta crucem constans, intrepida, invicta, ac proinde omnibus tormentis superior. Ad rem faciunt verba Pii X dicentis: « Quamvis autem deceat filios Matris sanctissimae nullam praeterire laudem quin imitentur, illas tamen eiusdem virtutes ipsos fideles assequi prae ceteris desideramus, quae principes sunt ac veluti nervi ac artus christianae sapientiae: *fidem*, inquit, spem, et caritatem in Deum atque homines, quarum quidem virtutum fulgore etsi nulla in Virgine vitae pars caruit, maxime tamen eo tempore enituit quum nato emoriendi adstitit. Agitur in cruce Iesus, eique in maledictis obiicitur quia filium Dei

se fecit (Ioan., 19, 7). Ast illa, divinitatem in illo constantissime agnoscit et colit. Demortuum sepulcro infert, nec tamen dubitat revicturum » (*Ad diem illum*, AAS, I, 84).

Secunda pars. Prob.: I. Auctoritate: DOCTORUM: a) S. ALBERTUS M.: « Fidem habuit in excellentissimo gradu, quae tam immensae rei sibi promissae fidem habuit, quae etiam discipulis dubitantibus, non dubitavit; quae omnia possibilis esse credenti certissima fuit » (In Luc., I). b) S. ALFONSUS fidem B. Virginis ita exultat: « Dice il P. Suarez che la S. Vergine ebbe più fede che tutti gli uomini e tutti gli angeli. Vedeo Ella il suo Figliolo nella stalla di Betlemme, e lo credeva Creatore del mondo. Lo vedeva fuggire da Erode, e non lasciava di credere che Egli era il re dei regi. Lo vide nascere, e lo credè eterno. Lo vide povero, bisognoso di cibo, e lo credette Signore dell'universo: posto sul fieno, e lo credette onnipotente. Osservò che non parlava, e credè che Egli era la Sapienza infinita. Lo sentiva piangere, e credeva esser Egli il gaudio del Paradiso. Lo vide finalmente nella morte vilipeso e crocifisso, ma benchè negli altri vacillasse la fede, Maria stette sempre ferma nel credere che Egli era Dio. *Stabat iuxta crucem Iesu Mater eius*. Sulle quali parole scrisse S. Antonino: 'Stabat Maria fide elevata, quam de Christi divinitate fixam retinuit'. Che perciò dice il Santo nell'Ufficio delle tenebre lasciarsi una sola candela accesa » (*Glorie di Maria*, p. II, p. 288, *Opere ascetiche*, vol. 7, Roma 1937).

II. Ratione: Fides B. Virginis excellentissima fuit sive *obiective* sive *subiective* inspiciatur: *obiective*, quia ad plura explicita fidei obiecta sese extendebat, tum quia ipsi, utpote intime associata operi redemptionis, plura a Deo, prae ceteris, revelata fuerunt, tum quia Christum ipsum, per multos annos Doctorem et Magistrum habuit, et conservavit omnia « in corde suo » (Luc., I, 51), ideoque in divinarum rerum cognitione ita profecit ut apostolos et theologos omnes qui in Ecclesia Dei fuerunt superaret (SUAREZ, *De Incarn.*, p. II, disp. 19, Sect. 1); *subiective* vero, excellentissima fuit Deiparae fides, tum ex parte intellectus, ob firmiorem adhaesionem veritatibus revelatis, tum ex parte voluntatis ob maiorem promptitudinem: actus enim fidei procedit ab intellectu sub imperio voluntatis (*S. Th.*, 2, 2, q. 5, a. 4).

Ad obiectionem vero *Lutheri*, respondendum est, Christum non comparasse Centurionem cum omnibus et singulis qui in ipsum crediderunt, sed cum his tantum quibus ipse praedicaverat et coram quibus miracula patraverat, inter quos Centurio ipse, vel simpliciter, vel saltem proportionaliter (cum Gentilis esset et neque ex Scripturis neque ex maiorum traditione instructus esset) excelluerat (cfr SUAREZ, in 3, disp. 19, sect. 1).

Ad obiectionem *Erasmii* respondendum est certissime B. Virginem Christum natum adorasse cum ab angelo didicisset filium suum esse Sanctum et Filium

Altissimi, nempe Deum praeter ordinem naturae conceptum; unde Elisabeth B. Virginem « Matrem Domini sui » iam ante ipsius partum vocabat (Luc., I, 43). Audiverat, insuper, statim post partum, voces multitudinis coelestis decantantis: Gloria in excelsis Deo...

Sententia tandem Origenis est peregrina omnino.

QUAERI hic potest: Utrum in sola B. Virgine fides *christiana* (seu in mysteria a Christo praedicata) remanserit in triduo passionis et mortis Christi.

RESPONDETUR: Disputatur. Interpretes quidam, uti Iansenius (Concord., c. 133), Cornelius a Lapide (In Matth., c. 26), Lucas Burgensis (In Matth., c. 26), Sà (In Matth., c. 26), etc., respondent *affirmative*, innixi verbis Christi: « Omnes vos scandalum patiemini in me in nocte ista ». Talis fuit etiam sententia S. Antonini scribentis: « Sola B. Virgo stabat fide elevata et fixa de eius divinitate, expectans indubie suam, tertia die, resurrectionem, ut merito dicatur *maris stella* a stando, et lumen fidei mundo naufrago retinendo. In huius signum, triduo officio dominicae passionis, cum quindecim candelae accensae firmentur ante altare, paulatim et successive omnes extinguuntur; sola una accensa absconditur, quae post officium omnibus praefertur ad illuminandum: quindecim candelae accensae designant duodecim Apostolos et tres Marias: Magdalenam, Salome et Alphei, quae prae ceteris cum Apostolis videbantur fide illustratae et firmatae. Sed in illo triduo omnes extincti sunt lumine fidei deitatis Christi: solum in Virgine mansit lumen fidei occultum, quod postea omnibus patefactum est ad omnes suo exemplo illuminandum. Et hinc est quod non accessit mane dominica suae resurrectionis ad monumentum cum praefatis Mariis; non quia minus arderet amore ad Filium, sed quia expectabat eum resuscitatum se esse visuram ante omnes; et ideo non quaerebat viventem cum mortuis ut illae » (*Summ. Theol.*, p. IV, tit. 15, cap. 41, par. 1, Veronae 1760, 4, col. 1226).

At auctores communiter *negant*. Ita, e. g. Melchior Canus: « Dicere apostolos in universum omnes fidem perdidisse, non cum ratione solum, sed etiam cum sacris Litteris pugnat » (*De Loc. Theol.*, l. 4, c. 5). S. Robertus Bellarminus: « Videtur periculosum dicere in sola Virgine mansisse veram fidem » (*De Controv.*, l. 3, *De Eccl. milit.*, Op. omn., t. 2, p. 104, Neapoli 1857). Bañez: « Videtur nobis haec sententia errori proxima, si non est error » (*De fide, spe et charitate*, q. 1, a. 10).

Videtur itaque distinguendum inter *substantiam* fidei et *perfectionem* seu integritatem eiusdem.

Si ergo fides in Christum accipiatur *quoad substantiam*, tunc tenendum est non in sola B. Virgine, in illo triduo passionis, mansisse; si vero accipiatur *quoad perfectionem*, quatenus quemlibet mutationis defectum excludit, tunc dicendum est in sola Virgine talem fidem remansisse. Licet enim Apostoli et discipuli in Christo scandalum passi fuerint (Matth., 26, 31) et Christum solum reliquerint

(Ioan., 16, 32), non tamen fidem ipsam, sed potius animi fortitudinem ad fidem exterius profitendam amiserunt. Pluries, enim, Christus Apostolis passionem suam, voluntarie susceptam, praedixerat, et ideo eius passio potius fidem ipsorum confirmare quam infirmare debebat. Si Petrus tam scandalose defecit, statim, in atrio sacerdotis flevit amare; Ioannes insuper Christo in Cruce morienti adstitit. Insuper, non pauci, sive Hierosolymis sive in Galilea et Iudaea erant fideles et iusti. Tandem, si vera esset sententia contraria, sequeretur quod Ecclesia, quamvis nondum perfecte constituta, in triduo illo defecisset: quod admitti non posse videtur, eo quod Ecclesia est populus et regnum Dei, quod idcirco ex uno tantum fidei (i. e. ex B. Virgine) constare non potest.

Attamen, admitti omnino debet Apostolos, iuxta verba Christi, in fide haesitasse, vacillasse, et pusillanimitate et timore correptos, fugam cepisse et Christum dereliquisse. Dum e contra Beatissima Virgo semper firmissima stetit.

Ex dictis apparet quomodo B. Virgo per excellentiam fuerit *Virgo fidelis*, *credentium Mater*, imo *fidelium Caput*, eo quia Christus fidem nullo modo habuit, cum inde ab initio suae conceptionis fuerit perfectissime comprehensor, ideoque nemo, absolute, B. Virginem in hac virtute superavit.

B) De Spe B. M. V.

Quid sit spes. Spes est virtus supernaturalis, qua expectamus vitam aeternam et gratias ad eam assequendam necessarias, nisi Dei bonitate, omnipotentia et fidelitate, qui nobis eas, ob merita Iesu Christi, promisit.

Spes ergo primo et principaliter innititur Dei bonitate, omnipotentia et fidelitate; attamen, quia Deus beatitudinem nostram vult non independentem a meritis, seu a cooperatione nostra, hinc, secundo spes nostris meritis, per gratiam acquirendis, innititur. Unde, quamvis ex parte Dei spes nostra certitudinem habeat, ex parte tamen nostri, qui in cooperatione deficere possumus, est aliquomodo incerta, et ideo « cum metu et tremore » salutem nostram operari debemus (Phil., 2, 12).

Prop.: *B. Virgo habuit semper firmissimam spem.*

Prob.: **I. Auctoritate:** S. SCRIPTURAE in qua plura occurrunt huius marianae virtutis praeclarissima exempla. « Cur Maria, e. g. post emissum virginitatis votum, citra incontinentiae periculum nupsit Iosepho, nisi ob firmissimam in Dei auxilio fiduciam? Cur Iosepho eam propter graviditatem dimittere cogitanti non revelavit supernaturalis conceptionis secretum, nisi quia certissime confideret, Deum suam innocentiam et famam esse aliunde tutaturum? Cur statim post monitum angeli cum Iosepho et puero Iesu secessit in Aegyptum per longum iter, et ignotum sine comitatu, et ulla provisione, nisi propter magnam spem in Dei providentiam? Cur demum in nuptiis Canae Galileae, cum miracu-

lum a Christo postulavit his verbis: « *Vinum non habent* », dixit ministris: « *Quodcumque dixerit vobis (Christus) facite* », post auditam duriusculam Christi respon- sionem: « *Quid mihi, et tibi mulier? nondum venit hora mea* », nisi quia in divina bonitate altissime *confidebat?* » (MAZZOLA, *De B. Virgine Disputationes*, p. 318).

II. Ratione: 1) Fides sua sponte ducit ad spem. Qui enim Dei fidelis et omnipotentis promissionibus firmiter credit, attendit cum fiducia obiectum promissionum suarum, seu vitam aeternam et media ad illam obtinendam. Atqui in B. Virgine fuit excellentissima fides. Ergo...

2) Insuper, spes est de nondum habitis, sicut fides est de non visis. Atqui B. Virgo, in sua mortali vita, visionem essentiae divinae, saltem permanenter, non habuit. Ergo illam sperare potuit.

Nec officit huic rei certitudo quam de propria praedestinatione ad gloriam aeternam Beatissima Virgo habebat. Bene enim spes cum hac certitudine componi potest; sic, e. g., animae in purgatorio detentae, quamvis sint de propria salute certissimae, tamen spem retinent, quia nondum beatitudine fruuntur, cum ipsam adhuc et quidem ut bonum arduum expectent per graves difficultates assequendum, id est per labores iam superatos in via et per ineffabiles, quos actu patiuntur, dolores.

Excellentia autem spei, Deiparae propria, ita a Dionysio Carthusiano celebratur:

« Cum spes ex gratia meritisque procedat, sicut gratia Dei et merita copiosa in Maria dulcissima incomparabiliter abundabant, et sicut ipsa hoc certissime noverat, sic plane spes eius incomparabiliter magna, perfecta, certa et consolatoria extitit. Quemadmodum etiam claritas suae notitiae fuit ineffabiliter superior cognitione fidei secundum cursum communem, sic certitudo suae expectationis proportionaliter extitit maior certitudine expectationis spei in viatoribus ceteris.

« Praeterea, spes pietati divinae innititur, et quanto quis propriam defectuositatem et insufficientiam clarius noscit, atque immensitatem divinae misericordiae limpidius contemplatur, eo plus confugit ad Deum et ab omni propriarum virium praesumptione recedit. Itaque sicut utriusque istius saluberrima ac limpidissima agnitio excellentissimae Virgini cum incomparabili eminentia est collata, sic ipsa perfectissimam habuit spem in Deo et in ipso totam suam firmissime immobiliterque fixit fiduciam, cui, et reflexit pure in omnem fontem bonorum.

« Amplius, multa sunt quae pariunt, augent et conservant confidentiam unius in alio, utputa, certitudo bonitatis et constantiae eius in quo quis confidit, experimentalis quoque familiaritas illius ad se et experientia charitatis, communicatio beneficiorum et degustatio suavitatis ipsius. In quibus omnibus celeberrima ac divinissima Virgo Maria circa Deum altissimum maxime abundavit. Nempe, Dei et proprietatum ipsius profundissima extitit contemplatrix; familiarissima quoque extitit ei, utputa, ex se nato Unigenito Filio suo, ac Deo Patri tamquam suo comparentali atque Spiritui Sancto tamquam suae mentis inhabitatori suavissimo incessanti. Conformiter charitatem Dei ad se fuit

eminentissime ac frequentissime prorsus experta, quippe cui ille tam propinquissime ac dignantissime connivit, in tantum ut fieret Filius eius; sic et beneficia eius munificentissime scivit se accepisse, et abundantissime degustavit quod dulcis sit Dominus, quod infinita sit magnitudo et copia dulcedinis eius. Idcirco ex his omnibus habuit spem superperfectam et superplenam in Deo» (*De Laud. glor. Virg. Mar.*, l. 3, a. 2, op. Tornaci, 1908, t. 36, p. 109).

C) De Caritate B. M. V.

Quid sit caritas. Caritas est virtus supernaturalis, qua diligimus Deum super omnia propter seipsum et nosmetipsos ac proximum propter Deum.

Prop.: *B. Virgo iugiter habuit perfectissimam caritatem* I) *erga Deum* et II) *erga proximum*.

Pars I: Caritas B. M. V. erga Deum. Prob. I. Auctoritate:

1) **S. SCRIPTURAE**, in qua praeclarissimum habetur caritatis marianae exemplum in plena conformitate voluntati divinae repositum, iuxta illud Christi: «Qui habet mandata mea et servat ea, ille est qui diligit me» (Ioan., 14, 21).

Iamvero B. Virgo dedit semper Deo hoc primum et praecipuum amoris signum, etiam pretio dolorum; angelo enim Dei voluntatem patefacienti, absque ulla haesitatione respondit: «Ecce ancilla Domini; fiat mihi secundum verbum tuum!» (Luc., 1, 38). In hac responsione tota vita B. Virginis reposita est, sive Deus ei per angelum, per Ioseph, per imperatorem paganum aut per varias circumstantias loquatur; iure igitur ea quae de amore Sponsae Cantici Canticorum dicuntur ad Virginem etiam referuntur. Etiam Virgo amore languebat (Cant., 2).

2) **PATRUM ET SCRIPTORUM: S. Bernardus:** «Est etiam sagitta electa amor Christi, quae Mariae animam non modo confixit, sed etiam pertransivit, ut nullam in pectore virginali particulam vacuum amore relinqueret, sed toto corde, tota anima, tota virtute diligeret, ut esset gratia plena» (In Canticum, sermo 29, n. 8, PL 183, 932, 933). **Richardus a S. Victore:** «Emmanuelis nostri puerpera in omni fuerit virtutum consummatione perfecta. Quis illud primum et maximum mandatum sic nunquam implevit, quis sic nunquam implere poterit: “Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et ex tota anima tua?” Ex hac utique exaestuantis amoris flamma exusta sunt scuta illa iam dicta» (*De Emma-nuele* libri duo, lib. 2, c. 29, PL 196, 663). **S. Bernardinus Senensis:** «Constat quod haec excessit omnem creaturam in mensura amoris, tam naturalis quam gratuiti. Naturalis quia in illo excessit homines et angelos. Homines, quia similitudo et propinquitas est causa naturalis amoris... Perfecto inter filium et quamcumque aliam matrem tanta propinquitas et similitudo non fuit, quia totus fuit de sola substantia matris; igitur inter nullos tanta dilectio fuit. In hoc quoque excessit angelos; nullus enim angelus, Dei filium naturalem sibi habuit, quia nus-

quam Angelos, sed, semen Abrahae apprehendit (Hebr., 2, 16). Quod Maria in amore gratuito transcendat utrosque, videtur quia secundum mensuram gratiae est mensura gratuiti amoris: sed super omnes creaturas fuit gratia plena, igitur et amore superplena fuit... Et sic in amore cunctas superat creaturas, prout dicit Anselmus: "Superat quippe etiam omnium creaturarum amores atque dulcedines magnitudo amoris Virginis in Filium suum et dilectionis immensitas qua liquefiebat anima eius in eum" » (*Sermones pro festivo. B. V. M.*, serm. 1, *De glorioso nomine V. M.*, art. 1, cap. 2, p. 72, col. 1, *Opera* 4, Venetiis 1745). Et in serm. 51: « Tantum Deum diligebat, quantum a se diligendum illum intelligebat. Quis igitur exprimere potest quanto ardore diligebat eum ex toto corde, id est, super omnia temporalia mundi; ex tota anima, id est, super corpus et carmen suam, et ex omni mente sua, id est, super omnia superiora, scilicet, spiritualia et caelestia? ».

II. Ratione: 1) Quo maior est gratia, eo maior est caritas (Gratia enim nos Dei amicos efficit, et amicitia in mutuo amicorum amore fundatur, quorum est idem velle, idem nolle). Atqui gratia B. Virginis, inde ab initio suae existantiae, fuit excellentissima. (Quia superavit gratiam consummatam omnium simul creaturarum). Ergo et eius caritas excellentissima fuit.

2) Quo maior est cognitio de Deo, eo maior ordinarie est amor. Atqui B. Virgo sublimissimam habuit Dei eiusque perfectionum cognitionem. Ergo...

3) « Ille tenetur plus diligere cui plus donatur; sed Beatissimae Virgini super omnes creaturas plus est donatum: ergo super omnes creaturas plus diligere tenebatur, et quantum tenebatur, tantum dilexit ». Ita S. Albertus M., in *Mariale*, q. 46.

Ad Mai. Recolatur evangelica narratio (Luc., 7, 36 et seq.) de duobus debitoribus. « Rogabat autem illum quidam de pharisaeis, ut manducaret cum illo. Et ingressus domum pharisaei discubuit. Et ecce mulier quae erat in civitate peccatrix, ut cognovit quod accubisset in domo pharisaei, attulit alabastrum unguenti. Et stans retro secus pedes eius, lacrymis coepit rigare pedes eius, et capillis capitis sui tergebat, et osculabatur pedes eius, et unguento ungebat. Videns autem pharisaeus, qui vocaverat eum, ait intra se dicens: Hic si esset propheta, sciret utique, quae, et qualis est mulier quae tangit eum: quia peccatrix est. Et respondens Iesus, dixit ad illum: Simon, habeo tibi aliquid dicere. At ille ait: Magister, dic. Duo debitores erant cuidam foeneratori: unus debebat denarios quingentos, et alius quinquaginta. Non habentibus illis unde redderent, donavit utrisque. Quis ergo eum plus diligit? Respondens Simon dixit: Aestimo quia is, cui plus donavit. At ille dixit ei: "Recte iudicasti" ».

Ad Min. Etenim Dei amor est effectivus: non supponit sed ponit bonitatem in rebus. Iamvero, si ex beneficiis B. Virgini collatis amor Dei erga Virginem men-

surari debet, amor iste vix exprimi potest; Deus enim liberalissime prorsus eam praevenit in benedictionibus dulcedinis, illam a peccato originali praeservando et gratia replendo; Ipsi proprium Filium suum in Filium dedit, ad culmen fastigii, super omnes creaturas, elevando, ita ut vere dicere potuerit: « Fecit mihi magna qui potens est » (Luc., I, 49).

Deum ergo summe diligere tenebatur. Et Deum summe dilexit. Etenim:

4) Quo maior est unio, eo maior est amor. Atqui maxima fuit unio cordis B. Virginis cum Deo. Ergo maximus fuit eius amor erga Deum.

Ad Mai. Etenim, amor est unitivus.

Ad Min. Recolantur ea quae de perfectione caritatis S. Thomas scribit in 2, 2, q. 24, a. 8: « Perfectio caritatis potest intelligi *dupliciter*: uno modo ex parte diligibilis, *alio modo* ex parte diligentis: ex *parte* quidem *diligibilis*, perfecta est caritas, ut diligatur aliquid quantum diligibile est: Deus autem tantum diligibilis est, quantum bonus est: bonitas autem eius est infinita, unde infinite diligibilis est: nulla autem creatura potest eum diligere infinite, cum quaelibet virtus creata sit finita; unde per hunc modum nullius creaturae caritas potest esse perfecta, sed solum caritas Dei, qua seipsum diligit: *ex parte* vero *diligentis*, tunc est caritas perfecta, quando diligit tantum, quantum potest: quod quidem contingit *tripliciter*: uno modo sic, quod totum cor hominis *actualiter semper* feratur in Deum; et haec est perfectio caritatis patriae, quae *non est possibilis in hac vita*, in qua impossibile est, propter humanae vitae infirmitatem, semper actu cogitare de Deo, et moveri dilectione ad ipsum: *alio modo*, ut homo studium suum deputet ad vacandum Deo, et rebus divinis, praetermissis aliis, nisi quantum necessitas praesentis vitae requiritur; et ita est perfectio caritatis quae est possibilis in via: non tamen est communis omnibus habentibus caritatem; *tertio modo* ita, quod *habitualiter* aliquis totum cor suum ponat in Deo; ita scilicet quod nihil cogitet, vel velit, quod divinae dilectioni sit contrarium; et haec perfectio est communis omnibus caritatem habentibus ».

Iamvero, haec applicantes B. Virgini dicimus: caritas B. Virginis, licet non fuerit perfectissima *objective* seu ex parte obiecti diligibilis, eo quod Deus est ex sese infinite diligibilis, fuit tamen perfectissima *subjective* seu ex parte diligentis. Non solum enim sicut *iusti omnes* — secundum perfectionem communem caritatis — totum cor suum ponebat in Deo, nihil cogitando, nihil volendo quod sit divinae dilectioni contrarium; non solum, sicut *sancti* qui sunt in via — secundum perfectionem quae non est communis omnibus habentibus caritatem — Deo et rebus divinis vacavit, praetermissis aliis nisi in quantum necessitas praesentis vitae requirit: ipsa enim erat ab omni distractione et inquietudine passionum libera, gratia et donis plena; sed *semper actualiter*, ex privilegio, ad instar beatorum in patria, totum cor suum in Deum dirigebat, non quidem ex aperta Dei visione — sicut beati — quam permanenter, Virgo non habuit, sed ex su-

perna illustratione, ita ut semper actu, etiam durante somno, cogitaret de Deo et moveretur dilectione in Ipsum.

Hic autem iure **QUAERI POTEST**: Utrum caritas B. M. V. in via intensior fuerit caritate beatorum in patria.

RESPONDETUR: Caritas patriae considerari potest dupliciter: 1) ratione suae *intrinsicæ perfectionis* et 2) ratione suae *extrinsicæ perfectionis*. Si caritas patriae consideretur secundo modo (i. e. ratione extrinsicæ perfectionis propriæ illius status) certe caritatem cuiuscunque viatoris excedit. Si vero caritas patriae consideretur primo modo (i. e. ratione suae intrinsicæ perfectionis), tenendum est caritatem, sive quoad habitum, sive quoad actum esse unam eandemque, specie, in via et in patria, iuxta illud *Apostoli* « caritas numquam excidit » (1 Cor., 12, 8); et ideo saltem *in diversis subiectis* (e. g. in B. Virgine et in Beatis), tam a) habitus quam b) actus caritatis intensior esse potest in viatore quam in comprehensore. Ratio primi est quia multi comprehensores (e. g. parvuli) non habent in coelo caritatem maiorem illa quam habuerunt, per baptismum, in terra; dum multi sunt viatores qui caritatem in baptismo acceptam sive ex opere operato sive ex opere operantis auxerunt. Ratio vero secundi est quia actus caritatis, in beatis, proportionatur semper habitui; in viatore, autem, nedum commensuratur habitui, sed potest etiam esse per gratiam actualem, ipso habitu intensior (cfr *RIPALDA, De ente sup.*, dist. 28, sect. 4; *MAZZELLA, De virtutibus infusis*, disp. 6, a. 6). Hisce positis patet quomodo caritas B. Virginis in statu viae maior fuerit caritate comprehensorum, tum quia habitus caritatis eius, inde a sua conceptione, fuit ita intensus ut contineret simul omnes intensitatis gradus omnium iustorum simul sumptorum, cui habitui intensiores, et saltem aequales actus iugiter respondebant; tum quia praeter illustrationes fidei, viatorum proprias, habuit scientiam infusam et etiam, interdum, scientiam beatam.

Secunda Pars. Caritas B. M. Virginis erga proximum.

Prob. I. Auctoritate: 1) *S. SCRIPTURAE* in qua quaedam facta habentur quae caritatem eiusdem ostendunt; ita, e. g., a) in visitatione Elisabeth (Luc., 1) cum, caritate compulsa, abiit in montana cum festinatione. « Abiit ut visitaret, ut salutaret, ut ministraret Elisabeth. Vide quomodo illa visitatio Mariae plena fuit caritate... Quid enim eam ad officium caritatis festinare cogeat nisi caritas, quae in corde eius fervebat? » (*CONRADUS DE SAXONIA, Speculum B. M. V.*, c. 3, inter Op. S. Bonav., ed. Lugdun. 1668)

b) In nuptiis Canae Galilaeae, cum, deficiente vino, Filio suo dixit: « Vinum non habent » (Ioan., 2, 3). « B. Virgo compassa est verecundiae novorum coniugum, sicut misericordem et benignissimam decuit » (*S. BERNARDUS, Serm. 1, Dom. I post Epiph.*, PL 183, 155).

II. Ratione. 1) Qui diligit Deum, etiam proximum diligit. Atqui B. Virgo Deum maxime dilexit. Ergo...

Ad Mai. Etenim, qui diligit Deum, diligit etiam ea quae pertinent ad Deum, ea quae sunt imago Dei, ea quae diliguntur a Deo; et talis reapse est proximus noster. Hinc est quod Dei et proximi amor uno eodemque praecepto imponitur: « Et hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Dominum, diligit et fratrem suum » (1 Ioan., 4, 21).

2) Mater diligit filios suos. Atqui B. Virgo est mater omnium hominum, quatenus omnes, aliquo modo, sunt mystica membra Christi, Filii sui. Ergo...

3) « Maiorem caritatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis » (Ioan., 5, 13). Atqui B. Virgo non iam vitam suam sed Filium suum, quem magis quam seipsam diligebat, pro hominibus posuit. Ergo...

Vere, sicut S. Ioannes, de Deo dixit: « Deus caritas est » (Ioan., 4, 16), ita, facta debita proportione, de Maria dicere possumus: « Maria amor est »: omnia enim in ipsa, per amorem explicantur, et ad amorem reducuntur.

II) DE VIRTUTIBUS MORALIBUS

Quid et quotuplex sit virtus moralis. Virtus *moralis* est virtus, cuius obiectum immediatum sunt actus honesti, rectae rationi conformes.

Ratione finis ad quem dirigitur virtus moralis, potest esse duplicis ordinis, vel *naturalis*, si dirigitur ad assequendum finem ordinis naturalis, e. g. si quis vino abstinet ne noceat sanitati, vel *supernaturalis*, si dirigitur ad assequendum finem ordinis supernaturalis, e. g. si quis ieiunat ut accipiat a Deo remissionem peccatorum, vel ut castiget corpus suum et in servitutem redigat (1 Cor., 9, 27).

Praecipuae virtutes morales sunt quatuor: *prudencia, iustitia, fortitudo, temperantia*, quae etiam virtutes cardinales appellantur, quia sunt veluti cardo et fundamentum totius aedificii moralis, et aliae virtutes morales ad eas reducuntur.

De virtutibus moralibus in genere.

Prop.: In B. Virgine I) fuerunt omnes virtutes morales per se naturaliter acquiribiles, II) de facto tamen a Deo ipso infusae fuerunt inde a primo instanti vitae suae.

Prob. I. Pars: Quaecumque ad perfectionem humanae naturae pertinent, in B. Virgine fuerunt. Atqui omnes virtutes morales ad perfectionem humanae naturae pertinent, eo quia inclinant potentias ad actus honestos connaturaliter et expedite eliciendos. Ergo...

Frustra autem obiceretur has virtutes morales ordinari ad pravae animi motus frenandos aut compescendos qui tamen in B. Virgine non fuerunt. Etenim, distinguendum est inter *aptitudinem et actum*; iamvero, de essentia harum virtutum non est *actu* moderari pravae animi motus, sed *aptas* esse ad illos moderandos in subiecto in quo tales motus inveniuntur.

Nec dicatur tales virtutes per habitus infusos adaequate suppleri potuisse; etenim, virtus infusa potentiam elevat ad actus *supernaturaliter* bonos; dum virtus moralis disponit ad actus naturaliter bonos. Et quamvis B. Virgo iugiter operata fuerit ex intentione finis supernaturalis, non propterea, tamen, denegare debemus tales actus elicitos persaepe fuisse, proxime et immediate a virtutibus moralibus naturalibus, mediate vero et imperative a caritate ad finem supernaturalem ordinatos.

Prob. II. Pars: Quod est aliis concessum, non est B. Virgini denegandum. Atqui, protoparentibus nostris, inde a primo formationis instanti, virtutes morales naturales per infusionem datae fuerunt. Ergo et B. Virgini per infusionem datae fuerunt, eo vel magis quod B. Virgo virtutes illas, inde ab initio, per proprios actus habere non poterat, deficientibus speciebus tot rerum et obiectorum sensibilium. Si vero propriis actibus illas comparare debuisset, pluribus longo tempore caruisset: quod dignitati eiusdem derogaret.

a) De prudentia B. M. V.

Prudentia est illa virtus quae praestat, ut in omnibus rebus, quid expetendum quidve fugendum sit, vitae aeternae causa, recte iudicemus. Brevius: recta ratio agibilium.

Prop.: *B. Virgo singulari prudentia exornata fuit.*

Prob. I. Auctoritate: 1) S. SCRIPTURAE, quae in tota narratione annuntiationis (Luc., 1) miram Virginis prudentiam ostendit. Prudenter enim inquit, antequam Angelo respondeat. « Cogitat ergo — ait S. Petrus Chrysologus — quia cito respondere est facilitatis humanae, cogitare vero ponderis est maximi et iudicii permaturi » (Serm. 140, *De Annuntiat. S. M. V.*, PL 52, 577). Et Richardus a S. Laurentio: « Habuit ex prudentia, quod siluit turbata, quod intellexit audita, quod respondit ad proposita » (*De Laudib. B. Mariae*, l. 3).

2) ECCLESIAE, quae in officio Assumptionis canit: « Virgo prudentissima, quo progredieris quasi aurora valde rutilans? ». Et in Litanii: « Virgo prudentissima! ».

3) PATRUM, qui, praesertim in expositione angelici nuntii, prudentiam B. Virginis laudibus efferunt. *S. Ephraem:* « Princeps omnium prudentissima ac sagacissima et lucifera Virgo » (Serm. *De SS. Dei Genitr. V. M. Laudibus*, ASSEMANI, op., t. 3, p. 575). *S. Hildephonsus:* « Virgo non qualicumque, sed una de numero prudentum, et prima omnium inter primos, quae vadit post Agnum proximior quocumque ierit » (Serm. 1, *De Assumpt. B. M.*, PL 96, 247). *S. Bernardus:* « Prudens est Virgo: lampadem habet, sed in vase oleum portat » (Serm. 2, *In Assumpt. B. M.*, PL 183, 421), ¹ *S. Albertus M.* asserit quod B. Virgo « habuit actum prudentiae excellentius omni viatore » (*Mariale*, q. 54).

¹ Sermo iste est dubiae authenticitatis.

II. Ratione. 1) Prudentia est recta ratio agendi et sine prudentia non datur virtus moralis. Ideoque B. Virgo aut prudentiam habuit aut nullam veram virtutem moralem habuit: quod repugnat.

2) Partes quasi integrales prudentiae sunt: a) *praesentium* intellectio, b) *praeteritorum* memoria et c) *futurorum* praevidentia. Atqui haec tria B. Virgo excellentissime habuit. Ergo...

Ad Min.: B. Virgo habuit: 1) praesentium intellectionem, prout patet ex eius sermone cum Angelo; 2) praeteritorum memoriam, quia « conservabat omnia verba haec conferens in corde suo » (Luc., 2, 19); 3) futurorum praevidentiam, Filium sedulo custodiendo, materno curando, et pericula ab eo removendo.

b) De iustitia B. M. V.

Iustitia definitur: « Constans et perpetua voluntas ius suum unicuique tribuendi ».

Iustitia alia est *generalis* seu *legalis* et alia *particularis*, secundum quod respicit vel bonum commune, ad quod lex ordinatur, vel bonum privatum singulorum hominum. Iustitia legalis est in principe prouti imperat et in subditis prouti secundum legem operantur.

Prop.: *B. Virgo, prae cunctis, virtute iustitiae excellit.*

Prob.: a) *Quoad iustitiam generalem seu legalem*, B. Virgo legem divinam maxime reverita est, etiam cum illi subiecta non fuisset, ut in circumcissione Filii et in purificatione sua (Luc., 2, 21-22).

b) *Quoad iustitiam particularem*, B. Virgo iugiter declinavit a malo quod proximo nocet, et fecit bonum ei debitum: quae duo, tamquam partes integrales, iustitiam constituunt.

Ad virtutem iustitiae reducuntur religio, oboedientia, liberalitas et gratitudo. Omnes vero excellentissime in B. Virgine fuerunt. a) Fuit in ipsa virtus *religionis* quae inclinatur hominem ad exhibendum Deo cultum et honorem debitum. Hoc apparet ex eo quod, adhuc trimula — iuxta traditionem — Deo semetipsam obtulit in templo, et ex eo quod quotannis ascendebat Hierosolymam in die solemni Paschae (Luc., 2, 41), quamvis ad hoc mulieres non tenerentur. Praecipuus actus internus religionis est *oratio*, et praecipuus actus externus est *sacrificium*. Utrumque, vero, in B. Virgine invenitur. Fuit in ipsa continua oratio. « Non vi è stata mai alcuna anima su questa terra — scribit S. Alfonso — ch'abbia con tanta perfezione eseguito, come esegui la B. Vergine, quel grande insegnamento del nostro Salvatore: " oportet semper orare et non deficere " (Luc., 18, 1). Poichè attesta il Beato Alberto M. che la divina Madre fu la più perfetta di quanti vi sono mai stati e vi saranno: " Virtus orationis in B. Virgine excellentissima fuit " (Super *Missus*, 80). Primieramente perchè la sua orazione fu continua e perseverante » (*Glorie di Maria*, p. II, p. 10). Quoad *sacrificium* vero, sufficit recolere quod « Filium suum et Filium Dei, non prout panis et vinum in corpus ipsius transferebatur

et sub speciebus alienis immolabatur, sed secundum quod in eius propria carne et in sanguine secundum corpus formabatur, sub ipsa sua specie propria in qua eum genuit, spontaneo eius consensu in eius passione pro nobis obtulit; per quam sufficientissimam et gratissimam hostiam semel oblatam Deum toti generi humano reconciliavit; qui nimirum excellentissimus actus latriae in opere fuit » (S. ALBERTUS M., *Mariale*, q. 41).

b) Fuit in B. Virgine *oboedientia*. Nullo enim nomine vocari voluit quam *ancilla*: « Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum » (Luc., I, 38). « Vere ancilla — scribit S. Thomas a Villanova — quae neque dicto neque facto, neque cogitatu nunquam contradixit Altissimo; vere ancilla, quae perpetuo servivit mancipata servitio; libero namque aliae famulantur obsequio, haec, quasi mancipium, Deo se totam famulari mancipavit, nihil sibi libertatis reservans, sed per omnia subdita Deo » (*In festo Annuntiationis B. M. V.*, Concio 2, n. 6. *Conciones*, Mediolani, 1760, 2, col. 192). Et S. Bernardinus Senensis: « Semper habuit continuum aspectum ad Dei beneplacitum, promptumque consensum semper gerebat in mente, divina beneplacita adimplere » (*Pro festiv. B. M. V.*, Serm. 4, De Immac. Conc. B. M. V., art. 3, cap. 2, *Opera*, Venetiis 1591, 2, p. 517, col. 1). Prompte oboedivit Imperatori Romano, S. Ioseph, etc.

c) Fuit in B. Virgine *liberalitas*. Ratio dubitandi ex summa Deiparae paupertate desumitur, quae proinde minime eam sinebat magnos sumptus, ad magna opera implenda, liberali manu erogare.

Attamen, dubitari non potest liberalitatem etiam in Deipara fuisse, si inspiciatur formalis ratio huius virtutis in eo consistens quod quis sit animo ita bene dispositus, ut promptus sit actum illius virtutis exercere, divitias contemnendo, et illas in pauperes, iuxta id quod conveniens est, erogando.

d) Fuit etiam in B. Virgine virtus *gratitudinis*, quae inclinatur ad acceptorum beneficiorum memoriam retinendam et ad gratias pro illis referendas. Huius gratitudinis insigne specimen dedit in cantico laudis: « Magnificat anima mea Dominum, et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo... Quia fecit mihi magna qui potens est... », quibus verbis B. Virgo, omnia beneficia quae in se videbat, ad Deum, tamquam radios in solem, a quo sunt, referebat.

Cum autem *poenitentia* sit species iustitiae commutativae (*S. Th.*, 3, q. 85, a. 3 et 4), iure hic QUÆRI POTEST: utrum virtus poenitentiae fuerit in B. Virgine.

RESPONDETUR: disputatur inter Theologos. Quidam, enim, tenent B. Virginem et habitum et actum poenitentiae habuisse. Ita Vega (o. c., Pal. 17, cert. 19), Sedlmayr (o. c., p. III, q. 3, a. 8) etc.

Alii e converso tenent B. Virginem neque habitum neque actum poenitentiae habuisse. Ita Vasquez (*De Poenit.*, q. 80, a. 4, dub. 2), Alastruey (o. c., p. 394) etc.

Alii tandem tenent B. Virginem habuisse poenitentiam quoad *habitum*, non vero quoad *actum*. Ita Card. Lépicier (o. c., p. 276), de San (*De Poenit.*, c. 6). Huic sententiae adhaerendum videtur. Habuit Deipara *habitum* poenitentiae, hoc sensu quod et ipsa (sicut Adam) doluisset, si peccatum praecessisset. Non habuit verum *actum* internum poenitentiae eo quod in ipsa defecit prorsus quodlibet peccatum.

Frustra obicere videtur cl. Alastruey: « Si enim ad hoc ut detur in aliquo virtus, sufficit actus *conditionalis* circa propriam virtutis materiam, ei alias impossibilem, se-

queretur in Christo fuisse virtutes fidei et spei, quibus ita esset dispositus, ut si non videret ac frueretur Deo, in illum crederet et speraret; atque etiam in B. Virgine fuisse virtutem continentiae, quia ita esset disposita, ut si pravas pateretur concupiscentias, eas reprimeret ac superaret, quam quidem virtutem non habuit ».

Frustra, dicimus, haec obiciuntur, quia deest omnino paritas. Etenim: conditionalis existentia fidei et spei in Christo, est *intrinsicè* impossibilis ob visionem beatificam quam iugiter habuit; dum conditionalis existentia poenitentiae in Deipara non fuit intrinsicè sed solum *extrinsicè* impossibilis; pariter, conditionalis existentia continentiae in Deipara, fuit *intrinsicè* impossibilis, quia fomite etiam in actu primo caruit, dum conditionalis existentia poenitentiae fuit intrinsicè possibilis et solum extrinsicè impossibilis, ob adistentiam divinam.

Frustra etiam idem cl. Auctor obicit: « Christo negatur virtus poenitentiae, quia, cum ab intrinseco impeccabilis sit vi unionis hypostaticae, non cadit in illo talis dispositio animi, ut, si peccatum commiserit, de eo doleret. Idipsum pariter dicendum est de B. Virgine quae, a primo instanti sui esse, Mater Dei decreto ab aeterno destinata ad divinam maternitatem, cui, infra repugnantiam physicam, competit omnis moralis repugnantia cum peccato ». Etenim, neganda est omnino paritas inter Christum et Deiparam: dum enim Christus — ratione unionis hypostaticae — fuit *physice et intrinsicè* impeccabilis, B. Virgo, e contra, ratione maternitatis divinae, fuit tantum *moraliter et extrinsicè* impeccabilis, ¹ ideoque, absolute loquendo, peccare poterat, et in ipsa erat intrinseca possibilitas peccandi: quod sufficit ad habitum poenitentiae in ipsa ponendum.

c) De fortitudine B. M. V.

Fortitudo est virtus quae praestat, ut nullis difficultatibus vel persecutionibus a sequendo bono deterreamur. Ad ipsam reducuntur *patientia, perseverantia*, etc.

Prop.: *B. Virgo in fortitudine singulariter excelluit.*

Prob. I. Auctoritate: 1) S. SCRIPTURAE: « Stabat iuxta crucem Iesu Mater eius » (Ioan., 19, 25). « Stabat ante crucem mater, et fugientibus viris, stabat intrepida » (S. AMBROSIIUS, *L. de Instit. Virg.*, c. 7, PL 16, 233).

2) SCRIPTORUM: S. Bernardus: « Quam vero aliam (praeter Mariam) requirebat Salomon, cum dicebat, “ mulierem fortem quis inveniet? ”. Et vere quis B. Virgine fortior, quae Ioan., c. 19 stetisse dicitur iuxta crucem filii patientis? » (Serm. 2 super *Missus est*, PL 183, 63). S. *Alfonsus*: « Dio ci diede la Vergine Maria per esempio di tutte le virtù, ma specialmente per esempio di pazienza... Tutta la vita di Maria fu un esercizio continuo di pazienza; mentre che, come rivelò l'Angelo a S. Brigida, la B. Vergine visse sempre tra le pene “ Sicut rosa crescere solet inter spinas, ita haec venerabilis Virgo in hoc mundo crevit inter tribulationes ” (*Revelationes*, Serm. ang., *de excell. B. M. V.*, c. 10). La sola com-

¹ Auctores qui tenent maternitatem divinam esse formam intrinsicè sanctificantem, tenent etiam impeccabilitatem Deiparae fuisse *intrinsicam*. Hoc etiam tenet P. Elias (l. c., p. 234).

passione delle pene del Redentore bastò a farla martire di pazienza » (*Glorie di Maria*, p. II, p. 9).

II. Ratione: Duo sunt praecipui fortitudinis actus: ardua *aggredi* et *sustinere* (*S. Th.*, 2, 2, q. 123, a. 6, ad 1). Atqui haec duo excellentissime in B. Virgine fuerunt. Ergo...

Ad Min. In B. Virgine fuit primus fortitudinis actus, videlicet: *ardua aggredi*, cum, summis doloribus quibus semetipsam devovebat non obstantibus, proprium *fiat* pronuntiare non dubitavit; tunc enim vere « Crucifixi crucifixum concepit » (S. BERNARDINUS SENENSIS, *Pro festiv. B. M. V.*, sermo 8, *De consensu virginali*, sermo 2, art. 2, cap. 1: *Opera*, Venetiis 1745, 4, 103, col. 1). At, fuit etiam in B. Virgine secundus fortitudinis actus, id est, *sustinere*, qui actus est difficilior: « *sustinere* difficilior est quam *aggredi* » (*S. Th.*, 2, 2, q. 123, a. 6, ad 1), eo quia conatum continuum exposcit. Vita, enim, B. Virginis iugiter in dolore defecit. « Quemadmodum quanto rosa in crescendo se plus dilatat tanto fortior et acutior spina afficitur: ita et haec electissima rosa Maria, quanto plus aetate crescebat, tanto fortiorum tribulationum spinis acutius pungebatur... Sicut rosa constanter in suo loco stare cernitur, quamvis spinae circumstantes fortiores et acutiores effectae fuerint, ita haec benedicta rosa Maria, tam constantem gerebat animum, quod quantumcumque tribulationum spinae cor ipsius stimulabant, voluntatem tamen suam nequaquam variabant sed ad sufferendum ac faciendum quidquid Deo placeret, se promptissimam exhibebat » (S. BIRGITTA, *Revelationes*, Sermo ang. *de excell. B. M. V.*, cap. 16).

d) De temperantia B. M. V.

Temperantia est virtus quae praestat ut pravas cupiditates compescamus, et sensibilibus bonis ne utamur nisi secundum rectam rationem. Ad temperantiam pertinent virtutes *continentiae*, *humilitatis*, etc.

Prop.: *B. Virgo singulariter refulsit virtute temperantiae.*

Prob.: Cum enim temperantia sit circa pravas concupiscentias non admitendas, ideo virtus ista tanto perfectior in aliquo invenitur quanto magis pravis concupiscentiis caret. Atqui B. Virgo pravis concupiscentiis omnino caruit, cum fomitem concupiscentiae non habuerit. Ergo...

Ad temperantiam reducuntur *continentia* et *humilitas*:

Continentia, stricto sensu accepta, in B. Virgine locum non habuit; continentia enim, stricto sensu, est firmum animi propositum quo quis se continet in bono rationis contra pravos concupiscentiae motus, ita ut continens ille sit qui pravos concupiscentias patitur: Deipara autem, ob fomitis carentiam, huiusmodi miseriis omnino expers exitit.

Si vero continentia sumatur lato sensu, pro castitate, tunc fuit in B. Virgine excellentissimo modo.

Fuit etiam in B. Virgine, modo omnino singulari, cordis *humilitas*, fundamentalis virtus, superbiam removens quae est initium omnis peccati. Inclinat humilitas ad propriam vilitatem signis vel factis profitendam, cohibendo inordinatum propriae excellentiae appetitum per veracem et ordinatum sui contemptum.

Humilitatis fundamentum in intellectu invenitur, qui recognoscit quodlibet bonum, quod invenitur in homine (sive in ordine naturali sive in ordine supernaturali) a Deo solo esse, et proprium hominis nihil aliud esse nisi malum. Ex hac intellectus cognitione, voluntas inclinatur ad laudem fugiendam et ad illam soli Deo tribuendam. Hoc posito, quoniam in B. Virgine nulla vel minima culpa fuit, defuit in ipsa humilitas illa qua quis se vilem peccatorem profitetur, et illa tantum humilitas fuit quae ex divinae excellentiae et ex propriae nihilitatis cognitione derivatur. Haec autem humilitas excellentissime in Virgine fuit, prout apparet ex ipsa S. Scriptura in qua statim post nuntium elevationis ad divinam maternitatem, respondit: « Ecce ancilla Domini... » (Luc., 1, 38). Hinc iure Seraphicus Doctor exclamabat: « Imitamini, *omnes homines*, Dei Matris humilitatem » (Serm. 2, de *Annuntiat. B. V. M.*, op. 9, 664 b).

Dei Mater actu effecta, ad Elisabeth, Domina ad ancillam, properat, et Elisabeth exclamanti: « Et unde hoc mihi ut veniat Mater Domini mei ad me? » (Luc., 1, 43), Maria, omnia, statim, de quibus mirabatur Elisabeth, ad Deum referens, et ad vilitatem suam unice respiciens, exclamat: « Magnificat anima mea Dominum... quia respexit humilitatem ancillae suae... » (Luc., 1, 46). Verbis istis B. Virgo significare noluit, ut patet, propriam virtutem humilitatis (non est enim humilis se reputare humilem) sed significare voluit nihil a se esse vel habere, id est vilitatem quam Deus respicere dignatus erat. « Vide humilitatem — exclamat S. Ambrosius — vide devotionem. Ancillam se dicit Domini, quae Mater eligitur, nec repentino exaltata promisso est. Simul ancillam dicendo, nullam sibi praerogativam tantae gratiae vindicavit, quae faceret quod iuberetur » (In Luc., 1, PL 15, 1639). Et alibi: « Humilior facta est, uti se a Deo cognovit electam » (*De Virgin.*, lib. 2, c. 2, PL 16, 221).¹

¹ Quae hucusque diximus perpulchre resumí possunt verbis P. Monsabré: « Et maintenant germes divins obéissez aux ordres de la sagesse éternelle, fleurs épanouissez-vous, remplissez de vos parfums ce saint paradis, parez-vous de précieux rameaux, et chantez la gloire de Dieu, dans le plus beau de ses ouvrages. *Obaudite me divini fructus... florete flores... et date odorem et frondete in gratiam et benedicite Dominum in operibus suis.* La voix de Dieu est entendue. La grâce produit son fruit dans l'âme de Marie et, par une plénière effusion, les dons de l'Esprit Saint perfectionnent son ouvrage à mesure qu'elle opère. Toutes ensemble les fleurs montent, s'entr'ouvrent et envoient au ciel leurs parfums. Voici la foi nourrie de la lecture et de la méditation des livres saints, abreuvée des lumières de la contemplation, affermée par la

Vere igitur B. Virgo fuit OMNIUM VIRTUTUM EXEMPLAR quod nos omnes ad virtutem sectandam suavius, quodammodo, quam ipsemet Christus invitat. Maria enim, mitiora quodammodo et humaniora nobis praebeuit exempla quam Filius. Nam, Filium, qui Deus est, quis sequatur? At Mariam, quae, pure creatura est, quis a sequendo excusaretur? Hinc Paulus: *Imitatores mei estotes*, inquit, *sicut et ego Christi* (1 Cor., 13, 16) quasi diceret: qui hominem Deum sequi non posse timetis, me purum hominem et miserum sequimini. Quis enim non poterit quod ego possum? « Mariam enim posuit Deus in initium mandatorum legis, imo Evangelicae perfectionis, non quod Maria illa docuerit verbo, sed exemplo: faciens non docens, quia docens faciendo » (GARAU, *Deip. Elucid.*, Princ. duod. et ult., sect. 2, par. 2).

Art. 3 - DE DONIS SPIRITUS SANCTI IN B. M. VIRGINE

Quid et quot sint dona Spiritus Sancti.

Praeter virtutes (quibus homo iustus exornatur eiusque facultates ad omne opus bonum supernaturaliter instruuntur) septem ei dona Spiritus Sanctus confert, ex radice gratiae non secus ac virtutes gratuito promanantia. Dona sunt habitus supernaturales, quae facultatibus animae infunduntur ad hoc ut promptius et facilius motionem Spiritus Sancti sequatur. Essentiale discrimen inter

conversation des anges et les communications intimes de la sagesse divine; la foi, que ni l'incrédulité des hommes, ni les voiles dont se couvrira la majesté de Dieu, ni l'obscurcissement de ses perfections dans le grand scandale de la croix ne pourront ébranler ou troubler. Voici l'espérance, qui s'empare des promesses de Dieu et concentre, dans le plus fervent des désirs, tous les désirs de l'humanité affamée de rédemption; l'espérance, déjà préparée à résister aux épreuves et aux abandons qui assureront le triomphe de la malice des hommes. Voici la charité qui ne veut s'attacher qu'au céleste bien-aimé, qui se donne à lui sans réserve, qui embrasse toutes les créatures pour les lui offrir; la charité, qui creuse, à l'avance, dans le cœur de notre future mère ces abîmes de miséricorde où viendront se réfugier tous les pécheurs de la terre. Voici la prudence, si délicate qu'elle peut se troubler à l'approche des anges et hésiter devant les glorieuses propositions du ciel. Voici la justice, prosternée devant Dieu dans une continuelle adoration, docile à tous ses commandements, souple à toutes ses inspirations, tendrement abandonnée à la sage conduite de la Providence, prête à tous les devoirs jusqu'à l'oubli de tout repos, miroir le plus fidèle de cette éternelle justice qui sait donner libéralement à toutes les créatures la part du festin auquel la divine bonté les convie. Voici la force, magnanime et invincible sous les voiles de la faiblesse, la force, qui s'essaye dans l'ombre aux combats de l'adversité, la force qui saura quand le temps sera venu, se tenir debout sur le Golgotha, recevoir, sans murmure, de la colère divine les coups destinée aux pécheurs, et faire d'une vierge timide la reine des martyrs, du cœur de la plus tendre des mères l'autel où sera immolé, d'abord, le plus aimable des fils. Voici la tempérance, qui se détache de toute joie terrestre pour ne goûter que les chastes plaisirs de la grâce, et qui marchera bientôt d'un pas allègre et ferme dans les saintes voies de la pauvreté.

« Autour de ces vertus héroïques, fleurs royales du plus beau des jardins spirituels, se présentent les touffes des mille vertus aimables » (*La Vierge Marie*, Paris, 1934, pp. 22-24).

virtutes et dona derivatur ex *eorum diverso modo operandi in nobis*. In exercitio enim virtutum gratia nos sinit esse activos, sub influxu prudentiae; in usu vero donorum, cum ista plenam evolutionem in nobis adepta sint, magis requiritur a nobis docilitas quam activitas. Qui *virtutes* exercet, ut exemplo utamur, *remis* navigando procedit, qui vero *donis* utitur, *velis* a vento impletis, procedit, licet ad eundem terminum per undas tendit. Dona, virtutes theologales et morales perficiunt.

Septem sunt dona Spiritus Sancti (ex Isaia, 11, 2-3), videlicet: *Sapientia, Intellectus, Consilium, Fortitudo, Scientia, Pietas, et Timor Dei*.

Haec dona nobis determinata quadam mensura conferuntur; B. Virgini, e contra, fere sine mensura a Deo collata fuerunt.

Prop.: *In B. Virgine excellentissime fuerunt omnia et singula dona Spiritus Sancti.*

Prima pars (generica) Prob.: **I. Auctoritate:** SCRIPTORUM ECCL.: a) RAYMUNDUS IORDANUS ad illud Prov., c. 9, v. 1: « Sapientia aedificavit sibi domum, excidit columnas septem », ipsam Virginem ita allequitur: « Sapientia aedificavit sibi domum, id est te, Virgo Maria, ut in te habitaret per humanae naturae assumptionem. Septem columnae, quibus firma stetisti semper, sunt dona Spiritus Sancti, quae requieverunt in te, et numquam te deseruerunt per quae stetisti firmiter et perseveranter in omni virtute » (*De contempl. Deiparae*, cap. 4).

b) CONRADUS A SAXONIA: « Quid mirum, si in illa virga est tanta donorum Spiritus Sancti affluentia? Maria namque est illa Virga, et Filius Mariae est ille flos, de quo dicitur in Isaiae c. 1: "Egredietur virga de radice Iesse..." » (*Speculum B. M. V.*, c. 6).

c) S. ANTONINUS, S. Albertum M. secutus, asserit quod habitus illorum donorum, quorum actus consistunt in cognitione et affectione, ut dona sapientiae, intellectus, consilii et scientiae, habuit excellentius omni viatore; medio modo inter statum viae, quantum ad actuum perfectionem, supra statum patriae, quantum ad merendi conditionem. Dona vero in actione consistentia, ut fortitudo, pietas, et timor, habuit per modum patriae, quantum ad actuum perfectionem: sed secundum statum viae quantum ad merendi conditionem (4 P., t. 15, cap. 18).

II. Ratione: 1) Quo perfectior est gratia eo excellentiora sunt dona Spiritus S. (quia dona gratiam et caritatem consequuntur). Atqui gratia in B. Virgine fuit perfectissima. Ergo...

2) Qui perfectius a Spiritu Sancto movetur, perfectiora habet dona. Atqui B. Virgo perfectissime, in omnibus, a Spiritu Sancto movebatur. Ergo...

Hisce donis B. Virgo plena fuit inde a primo conceptionis instanti; incomensurable tamen horum donorum augmentum accepit in die Pentecostes, quando Spiritus S. supra ipsam et apostolos, sub specie linguarum ignearum, visibiliter descendit (Act., 1, 4-8).

Secunda pars (quoad singula dona).

1) Fuit in B. Virgine DONUM SAPIENTIAE. Hoc donum enim, hominem adiuvat, ut divinarum rerum contemplatione delectetur et tum de divinis tum de humanis secundum rationes divinas iudicet. Atqui haec excellentissime in B. Virgine fuerunt. Ergo... Eo vel magis quod, iuxta Prov. 11, v. 2: «ubi est humilitas, ibi est sapientia»: quod de sapientia ista quae donum Dei est, potissime intelligitur.

2) Fuit in B. Virgine DONUM INTELLECTUS. Hoc donum enim hominem adiuvat ad hoc ut mysteria fidei melius uti credibilia perspiciat quantum mortalibus licet. Atqui B. Virgo mysteria fidei clarissime ut credibilia semper perspexit, ut, puta, Virginem concipere et parere Deum, Deum esse hominem factum, Deum esse trinum in personis et unum in natura, Dei Filium, in unitate personae, esse pariter Deum et hominem, Redemptorem humani generis etc...

3) Fuit in B. Virgine DONUM CONSILII. Hoc enim donum homini datur ad hoc ut daemonis et mundi insidias iugiter caveat et in dubis, quid magis expediat gloriae Dei et suae proximique saluti, cognoscat. Atqui haec omnia B. Virgo praeclarissime habuit. Huius rei insigne specimen habetur in consilio in nuptiis Canae Galilaeae ministris convivii dato: «Quodcumque dixerit vobis, facite» (Ioan., 2, 5). Consilium eius praevaluit, quia erat consilium a Spiritu Sancto ipsi, circumstantiis prima fronte contrariis non obstantibus, inspiratum.

4) Fuit in B. Virgine DONUM FORTITUDINIS. Hoc enim homini datur ad hoc ut singulari virtute praeparetur ad spiritualia impedimenta superanda. Atqui in B. Virgine nulla umquam fuit debilitas sed maxima et intrepida firmitas in quibuslibet arduis aggrediendis et sustinendis. Ergo...

5) Fuit in B. Virgine DONUM SCIENTIAE. Hoc enim donum homini datur ad hoc ut discernat credenda a non credendis et dirigatur in iis quae ad vitam spiritualem pertinent. Nos ergo adiuvat ad recte iudicandum de rebus creatis in eorum relatione ad Deum. Iamvero, Beatissima Virgo continuo et veluti instinctu quodam a rebus creatis ad Creatorem ex visibilibus ad invisibilia ascendebat, intimasque et essentielles relationes rerum omnium ad Deum clarissime percipiebat.

6) Fuit in B. Virgine DONUM PIETATIS. Hoc enim donum nos adiuvat ad hoc ut debitum cultum et officia praestemus Deo atque hominibus nobis coniunctis vel locum Dei erga nos obtinentibus, et ut miseris succurramus propter amorem Dei: quae omnia B. Virgo semper praeclarissime praestitit.

7) Fuit in B. Virgine DONUM TIMORIS DEI. Hoc enim donum nos inclinatur ad Dei maiestatem filialiter reverendam et ad separationem ab Eo, tamquam a Patre, refugiendam.

Est ergo species aliqua timoris casti. Etenim «Timor castus — ait S. Albertus M. — habet actus duos. Unum secundum statum viae, qui est timere sepa-

rari: at iste non fuit in Beatissima Virgine. Alium actum secundum statum patriae, qui est revereri, et illa fuit in Beatissima Virgine.

« Est autem reverentia mixta cum dilectione subiectio. Habuit autem actum istius timoris excellentius omni viatore: unde si alicui viatori revelaretur quod deberet salvari; et sic non timeret separari, sicut videtur de beato Paulo, qui dicit: " Certus sum quia neque mors, neque vita " etc. (Rom. 8, 38); non tamen in hac certitudine coaequaretur beatæ Virgini; illa enim certitudo esset per scientiam et per effectum et per posterius; certitudo autem beatissimæ Virginis qua se scivit non separari, fuit per modum causae: scivit enim se in utero sanctificatam, et scivit se Matrem Dei esse effectam, et scivit se non peccasse et de cetero non posse peccare et sic scivit se separari non posse per modum causae » (*Mariale*. q. 69).

Art. 4 – DE FRUCTIBUS SPIRITUS SANCTI IN B. M. VIRGINE

Fructus Spiritus Sancti donis iunguntur. Fructus autem a virtutibus et donis ita distinguuntur sicut a potentia actus. Non omnes tamen actus virtutum *Fructus* licet appellare, verum hos tantum qui cum spirituali quadam suavitate iunguntur. Initio enim virtutum actus haud raro conatus exposcunt, et non secus ac fructus nondum maturus, quandam asperitatem habent. Cum autem quis largo virtutum exercitio invaluerit, is profecto non parvam in illis sectandis felicitatem experitur, immo et gaudium. Hi actus cum gaudio facti, *Fructus* appellantur et acquiruntur — ut patet — exercitio virtutum. Duodecim S. Paulus enumerat, videlicet: *caritatem, gaudium, pacem, patientiam, benignitatem, bonitatem, longanimitatem, mansuetudinem, fidem, modestiam, continentiam et castitatem* (Gal., 5, 22, 23). Ubi tamen est animadvertendum S. Paulum minime horum numerum exacte reddidisse, quare S. Thomas (1.a 2.ae, q. 70) merito animadvertit talem numerum esse symbolice positum, ad indicandum scilicet omnes virtutum actus in quibus animus spiritualem consolationem adinvenit.

Ex istis fructibus:

a) *Quatuor* — quos S. Paulus primo loco enumerat — scil. caritas, gaudium, pax et patientia respiciunt animam *in eius relationibus ad Deum*.

b) *Quinque* — i. e. benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo et Fides — respiciunt animam *in eius relationibus ad proximum*.

c) *Tres novissimi* — modestia, scil., continentia et castitas — respiciunt animam *in eius relationibus ad proprium corpus*.

Quoniam autem ex auctoribus nullus luculentius quam Card. Lépiciér (*L'Immacolata, Corredentrice Mediatrice*) de Spiritus Sancti fructibus in B. Virgine disseruit, illum ergo presso vestigio sequemur.

1) Fructus qui respiciunt animam in eius relationibus ad Deum.

B. Virginis *caritas* potest considerari vel ut virtus vel ut fructus. Cum iam illam secundum quod est virtus consideraverimus, remanet ut eam consideremus secundum quod est fructus. Hoc modo considerata nihil est aliud nisi animae continua amoris in Deum actuum repetitio qui practice manifestantur admiratione, adoratione, gratiarum actione ad Deum ob Eius infinitas praerogativas. Ex quo deducitur quod incessanter Beata Virgo solita fuit in Deum tendere intensissimo amore. Nec enim illa suae caritatis obiectum longe a se requirere opus habebat, quandoquidem in corde suo commorari sciebat, et in suis ulnis gestare solebat. Quod si eiusdem B. Virginis motus amoris ad nos vertebatur, in innumeros compassionis, desiderii nostrae felicitatis, veniae pro peccatis nostris, pro animabus nostris ardentissimae precis actus resolvebatur.

Sequebatur autem in Maria caritatem *gaudium*, quod Beata Virgo noverat obvenisse sibi ex perfecta possessione divinae gratiae — quae bonum est omnium bonorum optimum — qua plenam se esse ex Angeli salutatione compererat. Neque enim dolor Virginis — licet praegravidis — eam poterat a gaudio suo dimovere; quapropter in adversis quibusque, numquam Beatae Virginis anima non est fruita laetitia ineffabili.

Alius Spiritus Sancti fructus est *pax* seu tranquillitas animae in ordine suarum relationum erga Deum, erga seipsam et erga proximum. Duo sunt quae pacem perturbant: nostrorum desideriorum instabilitas, et exteriorum timor. Porro in anima B. Virginis nullum desiderium fuit nisi velle se Filio suo acceptam existere; quia vero quilibet eius affectus ita in gratia divina — quam, moraliter loquendo, amittere non poterat — radicans erat, factum est ut B. Virgo pace iugiter tranquilla gavisita sit. Pacem autem *patientia* comitatur; haec — quae quartum tenet locum in donis Spiritus Sancti — efficit ut anima viriliter vitae adversa quaeque sustineat. Numquid non sine exemplo fuit B. Virginis patientia, cum tot tantosque perpeffa dolores, invicta remansit?...

2) Fructus qui respiciunt animam in eius relationibus ad proximum.

Horum primus est *benignitas* quae et affabilitas dicitur seu amabilitas. Est autem cordis quaedam exterius manifestata dispositio qua affabili modo semper et libenti animo excipimus quoscumque ad nos veniunt pro auxilio et consolatione. Mariae haec non defuit, siquidem tempore omni quo Christus publice cum hominibus est conversatus, omnes illam adibant, quemadmodum Evangelium testatur factum fuisse ad nuptias in Cana Galilaeae. Item memoriae traditum est post Christi ascensionem Apostolos fidenter Illam interpellasse pro suis in apostolico munere laboribus. Nunc autem quae caeli Regina cum Christo regnat, numquid ad se venientes matris non excipiet, quippe quae universos advocat dicens: « Venite ad me omnes qui concupiscitis me? » Parum tamen fatendum

est illis haec omnia prodesse nisi iungantur cordis *bonitati*. Haec eadem est alius Spiritus Sancti fructus quo anima ardet desiderio omnibus benefaciendi. Talis autem cordis Virginis necessitas est quae nos magis percellit et occupat: scimus namque, cum ad illam accedimus, nos ante ianuam iam patentem consistere, quandoquidem — iuxta Aligherium — Maria

« Molte fiata — liberamente al dimandar precorre ».

(*Parad.*, 33, 17-18).

Quoniam vero hominis bonitas in hac vita limitibus circumscribitur, necessarius est alius Spiritus Sancti fructus, ut illius prioris in tuto ponatur augmentum: qui fructus *longanimitas* est, qua beneficiens benefacere non cessat.

Et huiusmodi longanimitas in B. Virgine fixas radices habuit: Ipsa enim genus humanum beneficiis replevit, replet, replere nec desinet umquam: Mater quippe est cuius bonitas inexhaustibilis. Nec denique timendum est ne iniuria vel ingratitude talis bonitatis et misericordiae fontem occludat. *Mansuetudo* enim Mariae nobis arrha est eiusdem Virginis in nos iugis bonitatis: est autem mansuetudo ille Spiritus Sancti fructus quo benefactor vel involuntarie indignis beneficia sua et gratias diffundit. Quot enim gratiae rebelles fuerunt quos Maria e barathro benignissime eripuit! Maria ergo in bono vincit malum — sicut nos agere docet Apostolus.

Numeratur autem inter Spiritus Sancti fructus qui hominem respiciunt in eius relationibus ad similes sibi, *fides* quae et sinceritas dicitur qua plures personae concorditer et amicaliter vivunt: quae si absit, vita intolerabilis prorsus evadit. Maria autem hanc ita prae se ferebat ut omnes de eius consortio ineffabiliter gauderent.

3) Fructus qui respiciunt animam in eius relationibus ad proprium corpus.

Tres ultimi fructus Spiritus Sancti sunt modestia, continentia, castitas. *Modestia* ita exteriores habitus componit quod homo timoratus non tantum refugit id quod suum pudorem offenderet, verum et in se ita continens est ut quoscumque adeat ad puritatem et sanctitatem incitet.

Magna fuit haec virtus in Maria dum in terris ageret. Si enim multorum in arte pingendi vel peritissimorum admirantibus nobis tabulas Mariae faciem exhibentes, veluti divinitate radiantem ex commercio cum Iesu, anima in nobismetipsis deficit et veluti in extasim rapitur, quid dicendum si prout erat realiter vidissemus Illam?

Mariam igitur inspiciamus intueamurque semper, nos praesertim sacerdotes Christi qui quotidie divinam victimam immolamus, quae fons est puritatis et origo. Alius fructus qui moderatur relationem hominis cum parte sua inferiori est *continentia* quae sensus ita cohibet ut nihil nisi quod iustum est et honestum agant. Si iucundum est christianum aliquem adspicere qui et sibimet ipsi domi-

netur et numquam verbis, actionibus, adspectibus, tactibus, vel auditu offendit, periucundum certe est considerare Mariam quae ita regebatur in corpore ut veraciter de illa dici posset quod « conversatio eius in coelis erat ».

Accedit denique *castitas* qua praesertim innuitur puritas affectuum cordis qui singuli in Deum dirigi debent nullimode ab inordinata quavis passione deturpati. In hoc autem singulari quadam refulgebat pulchritudine B. Virgo, quippe cuius cor SS^mo Cordi Iesu simillimum erat. Quaecumque enim pulchra, quaecumque sublimia, quaecumque divina de Corde SS^mo Christi dicuntur eadem — debita proportione servata — et de B. Virginis corde dici possunt.

Art. 5 - DE BEATITUDINIBUS

Quamquam Beatitudo — ut animadvertit Card. Lépiciér¹ — una sit, scilicet, Deus, multa tamen sunt opera quae ad ipsam perducunt, quaeque in nobis spem pariunt illam obtinendi. Haec autem opera — per metonimiam — Beatitudines appellantur, quia causa sunt et meritum beatitudinis| perfectae. Haec virtutibus adscribuntur, praecipue tamen donis Spiritus Sancti. Sunt ergo beatitudines « *perfecti actus virtutum et donorum, quibus homo securitatem habet vitam aeternam obtinendi* ». Octo sunt Beatitudines, seu potius septem cum octava sit veluti sigillum praecedentium et manifestatio.

Ita S. Matthaeus in suo Evangelio (5, 3) eas tradit:

« Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum coelorum.

Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.

Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.

Beati qui esuriunt et sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.

Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.

Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.

Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum coelorum ».

Ergo beatitudines fructus sunt, fructus inquam talis maturitatis ut nobis vitam aeternam veluti praegustare faciant; sunt ideo Spiritus Sancti operis corona ultima in anima.

Tres in classes beatitudines distribui possunt, videlicet:

- 1) *quae fallacem beatitudinem excludunt* (spiritus paupertatis, iustitiae, fletus);
- 2) *quae vitam activam respiciunt* (famis et sitis iustitiae et misericordiae);
- 3) *quae vitam contemplativam respiciunt* (cordis munditia et pax).

Haec beatitudines omnes in B. Virgine quam perfectissime inveniebantur, siquidem in Ea tum virtutes tum dona perfectissime fuerunt. Sed cum per virtutum exercitium — praesertim autem donorum — magis ac magis appropin-

¹ *Instit. Theol. specul.*, cursus brevior, vol. 2, p. 47.

quet quis fini aeternae beatitudinis, consequenter ipsimet virtutum et donorum actus Deiparam beatam faciebant, certam denique de suo ultimo fine assequendo illam reddebant.

1) Beatitudines quae falsam beatitudinem excludunt.

Solent homines suam ipsorum beatitudinem in tribus reponere: a) in satisfaciendo desiderio honoris; b) in satisfaciendo appetitui irascibili, ad nihilum veluti redigentes proprii amoris hostes; c) in satisfaciendo appetitui concupiscibili, cuncta mundi gaudia cunctasque delicias sibi procurantes.

Quapropter Christus desiderio honoris spirituales *paupertatem* opposuit: « Beati pauperes spiritu »; hi enim gloriae humanae valedicunt, at sibi gloriam coelestem acquirunt: « quoniam ipsorum est regnum coelorum ».

Appetitui irascibili *mansuetudinem* opponit: « Beati mites ». Hi enim terram mortuorum possidere dedignant, certam sibi reddere curant possessionem terrae viventium: « quoniam ipsi possidebunt terram ».

Appetitui denique concupiscibili opposuit *fletum*: « Beati qui lugent ». Hi nimirum se a gaudio fallaci et a falsis huius mundi deliciis abstinentes, consolationes sibi in coelis ineffabiles comparant: « quoniam ipsi consolabuntur ». B. Virginem his et omnibus honoribus mundanis scil., appetitui irascibili et concupiscibili valedixisse, nobisque spiritualis paupertatis, mansuetudinis et fletus, sanctissima exempla reliquisse, nemo dubitare potest.

2) Beatitudines quae respiciunt vitam activam.

Vitae activae beatitudo in iis consistit quae proximis nostris largimur, et hoc sive ex debito (*famis* et *sitis* iustitiae) sive ex benignitate (*misericordia*). Sunt qui ab huiusmodi praestandis refugiunt, et auri cupidine, iustitiae opera contemnunt proximis quod iustum est non reddentes, quin immo et illorum opibus inhiant ut iis impleantur. Iidem, eodem semper execrabili amore perculsi, misericordiae opera deserunt ne aliorum miseriis communicent. Propter hoc Dominus his qui iustitiam sitiunt satietatem promisit, et misericordibus, misericordiam qua ab omni miseria liberentur.

Quanta aviditate esurivit B. Virgo iustitiam! Quam sollicita in reddendo debito proximis fuit ut ne cogitaret quidem de illorum substantia aliquid sibi arrogandi. Quanta ideo et Deus hanc eius famem satietate satiare debuit!

Iustitiae autem erga proximum B. Virgo et misericordiam adiunxit. Aliorum miseria et afflictiones sibi proprias fecit, cuius rei signum est praeclarissimum illud quod Ipsa in nuptiis Canae Galileae fecit. Cum enim vinum deficere praesensisset, ne sponsi rubore oborto confunderentur, vinum miraculo a Filio suo impetravit.

Quod praemium, quamve beatitudinem Deus Ei pro sic exercita misericordia praeparare debuit!

3) **Beatitudines quae respiciunt vitam contemplativam.**

Hae sunt: cordis *mundities* et *pax*. Illa hominem disponit in seipso in hac vita, haec vero per respectum ad alios: in hisce quippe duobus vitae contemplativae beatitudo consistit. Oculi autem mundities nos ad bene videndum disponit, quare his qui mundo sunt corde visio Dei promittitur: « Beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt ».

Pax autem quam et secum ipso quis habet et cum aliis curat habendam, hominem prodit imitatore Dei ipsius, qui unitas est et pax; tali ergo homini praemio filiationis divinae gloria datur, quae in perfecta coniunctione cum Deo habetur: « Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur ».

Sanctorum nemini, sicut Sanctorum Reginae, haec quae de beatitudinibus dicuntur applicari possunt: eius enim *cordis munditiam* unicam dixeris potius quam raram; Sanctae Virginis cor vere fuit « splendor lucis aeternae et speculum sine macula » numquam obscuratum, numquam ab aliquo vel minimo impuritatis halitu vitiatum. Fuit autem haec SS. Virgo eminenter pacifica: Mater dignissima illius qui praenuntiatus fuerat futurus « Rex pacificus ». Externa enim et interna Virgo suavissima pace fruita est semper. Interna quidem quia nullum umquam experta est inordinatum motum — cum fomite concupiscentiae careret; — externa vero quia semper et cum omnibus harmonia perfectissima usa.

Art. 6 – *DE GRATIIS GRATIS DATIS IN B. M. VIRGINE*¹

Quid et quotuplex sit gratia gratis data.

Gratia GRATIS DATA est illa quae datur alicui non quidem ut ipse formaliter iustificetur (prout facit gratia *gratum* faciens) sed ad hoc ut cooperetur, tamquam instrumentum, in aliorum iustificatione. Habet ergo munus *sociale* et ordinatur primario et per se in aliorum utilitatem, ut, e. g. donum miraculorum; secundario vero in utilitatem illius cui cedit, quando nempe ea utitur prout oportet.

Gratia gratis data dividitur ab Apostolo in *novem species*: « Unicuique autem datur manifestatio Spiritus ad utilitatem. Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiae, alii gratia sanitarum in uno Spiritu; alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum; alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum » (I Cor., 12, 7-10).

Convenienter autem ab Apostolo gratia gratis data in novem species dividitur: etenim, gratia gratis data ordinatur ad hoc ut homo cooperetur alteri ut hic reducatur ad Deum. Atqui hoc facere nequit *interius* movendo sed solum *exterius docendo et persuadendo*; ad hoc autem *tria* requiruntur:

a) ut homo praehabeat *plenitudinem cognitionis* divinorum;

¹ Cfr RABANOS R., C. M., *La gracia carismática de María*, in *Estudios Marianos*, 5 (1946) 249-270.

- b) ut possit *confirmare* vel *probare* quae docet;
- c) ut doctrinam convenienter *proponere* valeat;

Ergo gratia gratis data tria genera gratiarum complectitur in alias species iterum dividenda. Nam:

a) Sub primo genere habentur: 1) *fides*, quia doctor debet habere certitudinem de rebus invisibilibus; 2) *sermo sapientiae*, quae est rerum divinarum cognitio: doctorem enim habere oportet cognitionem abundantiosem circa principales conclusiones; 3) *sermo scientiae*, seu cognitio rerum humanarum, quae ad invisibilia ducunt;

b) *Confirmatio* doctrinae fidei fit per ea quae sunt virtutis divinae, unde doctor debet facere ea quae solus Deus facere potest, tum in ordine ad salutem corporum, et habetur 4) *gratia sanitatum*; tum in ordine ad solam divinae virtutis manifestationem, e. g. obscuratio solis, et habetur 5) *operatio virtutum*. Potest etiam doctrina confirmari per manifestationem eorum quae solus Deus scire potest, scil. futura contingentia, et tunc habetur 6) *prophetia*, vel occulta cordium et tunc habetur 7) *discretio spirituum*.

c) *Facultas proponendi doctrinam* ponitur vel penes idioma, et est 8) *genera linguarum*; vel quoad sensum eorum quae proferuntur, et est 9) *interpretatio sermonum*.

Harum gratiarum, quae vocantur etiam *charismata*, quaedam dantur *transeunter*, ut gratia miraculorum, quaedam vero *habitualiter*, ut sermo sapientiae et scientiae etc.

Prop.: *In B. Virgine excellentissime fuerunt gratiae gratis datae* I) *omnes et* II) *singulae, saltem in habitu.*

Prima pars (generica). Prob. I. Auctoritate:

SCRIPTORUM ECCLESIAE: Scholastici omnes, cum S. Alberto M. (*Super Misus est*, q. 112, et seq., *Op.*, t. 20, p. 81), affirmant B. Virginem omnes has gratias et quidem in gradu eminentissimo possedissee. « Et quoi d'étonnant — scribit P. Terrien — puisque thaumaturges, prophètes, docteurs, et privilégiés de toute nature la tiennent et doivent la tenir pour leur Reine? » (o. c., p. 1, t. 2, ed. 4, pp. 287-288).

II. Ratione: 1) *Ratione principii mariologici*: quidquid ceteris collatum. est, non est B. Virgini denegandum. Atqui ceteris collatae fuerunt omnes istae gratiae gratis datae. Ergo... Eo vel magis quod B. Virgo ita propius ad omnis gratiae Auctorem accessit, ut reciperet in se eum qui est plenus omni gratia, et illum pariendo, quodammodo gratiam ad omnes derivaret. Quod vero nulla ex istis gratiis conditioni B. Virginis repugnet, immo quod omnes sint valde convenientes, videbimus in secunda parte huius propositionis, ubi de singulis gratiis sermo erit.

2) *Ratione officii Corredemptricis*. Quidquid ad hominum salutem ordinatur, B. Virgini, utpote Corredemptrici, tribui debet. Atqui gratiae gratis datae, prout praenotavimus, ad hominum salutem ordinantur. Ergo...

3) *Ratione officii Dispensatricis omnium gratiarum*. Dispensatrix omnium gratiarum in Ecclesia, oportet ut praehabeat omnes gratias quae aliis sunt di-

spensandae. Atqui B. Virgo est dispensatrix omnium gratiarum, et ideo etiam charismatum, in Ecclesia. Ergo...

Prob. Secunda pars (specifica). Etenim: 1) In B. Virgine fuit **GRATIA FIDEI**, prout est gratia gratis data, id est, eximia rerum fidei intelligentia. « Gratia fidei — inquit Suarez ¹ — dupliciter exponitur, primo ut non tantum ad sermonem, sed etiam ad interiorem mentis actum referatur, et importat singularem et extraordinarium modum certitudinis in rebus fidei credendis, vel absolute et per se, seu quasi speculative, vel practice in ordine ad aliquid operandum; et hoc sensu nemo dubitare potest, quin B. Virgo gratiam fidei habuerit, quia omnibus modis habuit perfectissimam mentis fidem... Alio modo refertur haec gratia fidei ad sermonem, et nihil aliud est, quam speciale donum Spiritus Sancti ad proponendas, et explicandas, res fidei modo accommodato hominibus simplicioribus, et rudioribus, praesertim cum primum ad fidem veniunt. Et hoc etiam sensu per se satis credibile est, habuisse Virginem huiusmodi donum, seu auxilium, quia omnium magistra fuit, et omnibus omnia fieri oportuit ».

2) In B. Virgine fuit **SERMO SAPIENTIAE**, seu profundissima rerum divinarum cognitio. Etenim, prout scribit S. Antoninus, « Hac sapientia freta (B. Virgo) docuit Apostolos sapientissimos de multis mysteriis fidei, et secretis divinis post ascensionem filii. Et quid mirum, si sapientissima omnium fuit, quae fuit mater Christi, qui est Dei virtus, et Dei sapientia secundum Apostolum? » (p. IV, tit. 15, c. 19, par. 1).

Et Dionysius Carthusianus: « In hac sapientia creditur celeberrima ac mundissima Virgo Maria prae cunctis Doctoribus Evangelistis et Patriarchis excellentissimam et illuminatissimam et Praelatis Ecclesiae, prae universis Apostolis ac Prophetis, praeevertisse, et ipsam scripturas intellexisse profundius; ordinem quoque et nexum et consonantiam ac rationabilitatem credendorum agnovisse limpidius, in tantum quod ipsi quoque gloriosi Apostoli habuerunt ad eam refugium et illuminationem acceperunt ab ea » (*De Laud. glor. Virg. Mariae*, l. 2, a. 4).

Beatam Virginem habuisse gratiam sermonis sapientiae quoad habitum, nemo est qui negat. Attamen, S. Thomas asserere *videtur* B. Virginem tali gratia usam non fuisse *in docendo*, cum hoc munus feminas non deceat, dicente Apostolo, 1 Tim., 2, 12: *Docere autem mulierem non permitto*; sed tantum in contemplando, secundum illud Luc. 2, 19: Maria autem conservabat omnia verba haec confrens in corde suo (III, q. 27, a. 5). Dixi: *videtur*. Haec enim verba S. Thomae intelligenda sunt congruenter ad locum illum, ubi scribit: « Sermone potest aliquis uti dupliciter: uno modo, privatim, ad unum vel paucos, familiariter colloquendo, et quantum ad hoc gratia sermonis potest competere mulieribus; alio modo publice alloquendo totam Ecclesiam, et hoc mulieri non conceditur... Unde

¹ Disp. 20, sect. 2.

mulieres si gratiam sapientiae aut scientiae habeant, possunt eam administrare secundum privatam doctrinam, non autem secundum publicam » (II-II, q. 177, a. 2). Quapropter tenendum est B. Virginem praefato dono sapientiae usam fuisse si non in publica concione, saltem in privata et familiari Apostolorum aliorumque fidelium instructione. Et in hunc sensum commentatur Caietanus verba S. Thomae. « Posset tamen dici, quod non publica doctrina sed familiari instructione, quam constat mulieribus non esse prohibitam, Beata Virgo aliqua particularia facta explicavit Apostolis » (in 3, q. 27, a. 5).

Iure ergo Dionysius Carth. scribebat: « Iam enim ostensum est quod sacratissima Virgo Maria multos edocuit; nec talem privatam doctinationem, quae etiam est actus sapientiae, quae est donum gratiae gratis datae prohibuit mulieribus Paulus, quamquam et si eam illis prohibuisset, non tamen super excellentissimam Dei Matrem cecidisset prohibitio illa, quippe super quam Paulus jurisdictionem non habuit, et quae est super omnes magis quam omnium una » (*De laud. glor. Virg. Mar.*, l. 2, a. 19).

Et S. Petrus Canisius: « Licet enim iidem Apostoli per revelationem Spiritus Sancti edocti omnem fuerint veritatem, incomparabiliter tamen eminentius ac manifestius Maria, per eum Spiritum veritatis, illius veritatis profunditatem intelligebat et per hoc multa eis per hanc revelabantur, quae in se non solum simplici scientia, sed ipso effectu, imo experimento didicerat, ut Anselmi verbis utamur. Ad haec, Ruperti sententia, oportebat Mariam cum aliis in prima illa Ecclesia religionis et fidei Magistram esse » (*De Maria Virgine*, l. 5, c. 1).

3) In B. Virgine fuit SERMO SCIENTIAE seu cognitio rerum humanarum prout ad invisibilia ducunt. Cum enim B. Virgo, prout superius diximus, habuerit usum sapientiae, credibile omnino est ipsam habuisse etiam gratiam sermonis scientiae, seu, in docendo adhibuisse, ad doctrinas revelatas illustrandas, causas inferiores et exempla rerum naturalium, quae obiectum scientiae constituunt, ad imitationem Christi qui in parabolis et similitudinibus divinas veritates exponebat, explicabat et suadebat.

« Hanc gratiam scientiae — ait S. Antoninus — habuerunt Apostoli docentes et moralia, et etiam naturalia exempla ponentes, et sapientes mundi per rationes diversarum scientiarum, quum expediebat ad dilatationem fidei. confundentes... Gratiam istam dicit Albertus habuisse B. Mariam super alios. In me enim, ait ipsa, Ecclesiastici 24, omnis gratia. Talis scientia dicitur per Apostolum gratia: ergo et ipsam habuit » (p. IV, tit. 15, c. 19, par. 2).

4) In B. Virgine fuerunt GRATIA SANITATUM et OPERATIO VIRTUTUM, seu, uno verbo, miraculorum patratio, quae ad divinae potentiae manifestationem ordinatur.

Harum gratiarum *usum* negare videtur S. Thomas B. Virgini convenisse « dum viveret », eo quod tunc temporis doctrina Christi confirmanda erat miraculis; et ideo soli Christo eiusque discipulis, qui erant baiuli doctrinae Christi, conveniebat miracula facere; unde etiam de sancto Ioanne Baptista dicitur quod

nullum signum fecit, ut scilicet omnes Christo intenderent. Attamen, « circa gratiam miraculorum — iure animadvertit Card. Lépicier — etsi retinendum sit Beatam Virginem, usque ad Christi ascensionem, nullum miraculum fuisse operatam, cum tamen miracula, quae quidem ad fidei confirmationem ordinantur, non necessario patrari debeant a solis fidei praedicatoribus, sed possint etiam a simplicibus fidelibus, Deo sic disponente, perfici, hinc dubitandum non est quin misericordiae Mater, ab aliquo Christi fidei in angustia posito forsitan exorata, enixe apud Deum pro eo intercesserit, et cum repulsam non patitur, miraculose obtinuerit petitam gratiam. Sane haudquaquam credibile est, aut fideles ad Mariam viventem non recurrisset, aut gloriosam hanc Virginem, quae adeo se in misericordia divitem, labentibus saeculis, iugiter exhibuit, viscera sua petitioni fidelium ante assumptionem clausisse, aut Deum illius orationibus minus attendisse, aut denique nullum huiusmodi miraculum tunc temporis locum habere debuisse » (o. c., p. 281).

5) In B. Virgine fuit GRATIA PROPHETIAE; quod pulchre exponit S. Antoninus: « Ioannes dicitur propheta non solum, sed plus quam propheta, quia de eo prophetatum est, et quia parentes in nativitate prophetas quodammodo fecit, matrem videlicet, et patrem, ut patet in Evangelio Lucae 1. Multo magis dici debet plusquam propheta B. Maria, quae copiosissime, et aperte per prophetas est praenuntiata, et a Patriarchis designata, et in multis generibus rerum figurata, ut in arca, in virga, in vellere Gedeonis, et alias. Ipsam quoque videtur Ioannem constituisse prophetam: nam, ut audivit salutationem Mariae Elisabeth, exultavit infans in utero ejus, scilicet Iohannes Baptista. Unde nisi quia cognovit mysterium occultissimum omnibus, ei illud ostendi modo quo potuit, scilicet exultando, adorando; et tunc primum Ioannes factus est propheta ex voce B. Mariae, quinimmo etiam mater repleta Spiritu Sancto cognovit, et declaravit ipsam rem occultissimam cunctis clamans: Unde hoc mihi, ut veniat mater Domini ad me? Nonne prophetissam se ostendit, quum ait in Cantico: Beatam me dicent omnes generationes, quae tunc erat omnibus ignota, sed futurum erat post tempora, quod dixit? Sed et quum ministris nuptiarum, deficiente vino, inquit: Quodcumque vobis dixerit, scilicet filius meus, facite; ideo hoc dixit, quia praescientia futuri miraculi sciebat aquam in vinum convertendam. Ave igitur gratia plena prophetiae » (p. IV, tit. 15, c. 19, par. 4).

Et revera conveniens erat ut tali dono ornaretur quae a Christo Mater et advocata fidelium, Auxiliatrix Ecclesiae militantis constituta erat: quae munia praestare certo non poterat nisi multa ipsi de statu et progressu militantis Ecclesiae eiusque filiorum revelata fuissent.

6) Fuit in B. Virgine GRATIA DISCRETIONIS SPIRITUUM, ad iudicandum, videlicet, a quonam spiritu, utrum a spiritu bono vel a spiritu malo, interiores cogitationes ac desideria procedant sive in seipsa sive in aliis. *In seipsa*: quia ne-

que ab intrinseco (utpote fomite carens) neque ab extrinseco (seu a diabolo) B. Virgo potuit experiri in se motum vel effectum aliquem qui non esset a Spiritu bono, seu a Spiritu Sancto inspiratus. Et ideo, sicut Christus, exterius tantummodo, non vero interius per aliquem inordinatum motum, tentari potuit. At, praeterquam relate ad seipsam, talis gratia fuit etiam relate ad alios, nedum propter summam rerum spiritualium experientiam, quam iugiter habuit (« Spirituales [enim] homo iudicat omnia » 1 Cor., 2, 15), sed etiam ob singulare Spiritus Sancti donum, ad hoc ut proprium munus Magistrae Apostolorum et fidelium rite exequi posset.

7) Fuit in B. Virgine GRATIA LINGUARUM seu glossolalia, et GRATIA INTERPRETATIONIS SERMONUM. Etenim, « ipsa fuit cum eis (Apostolis) quando apparuerunt dispertitae linguae tamquam ignis »; « ergo accepit donum linguae cum ipsis » (S. ALBERTUS M., *Mariale*, q. 118). Talis enim gratia, nedum apostolis, ad Evangelium praedicandum deputatis, sed etiam aliis fidelibus a Spiritu Sancto concedebatur prout apparet ex Act. 19, 6: « Et cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus super eos et *loquebantur linguis* et prophetabant ». A fortiori ergo Deiparae talis gratia concedi debebat. Eo vel magis quod B. Virgo tali dono indigebat, cum non pauci fideles ad illam recurrerent, venerationis, consilii, solatii causa et ideo eorum omnium linguas callere debebat ad hoc ut illos intelligere et ab illis intelligi posset.

Pulchre scribit Terrien: « Aurions-nous le même cœur à lui dire la Salutation angélique, si nous pouvions douter qu'elle nous entende et comprenne aujourd'hui, quand nous la prions dans notre idiome natif? Ainsi, me semble-t-il, ces chrétiens des premiers jours, ceux-là du moins qui ignoraient la langue de la Judée, l'auraient saluée moins dévotement, s'ils n'avaient pu se faire entendre d'elle. Et Notre Seigneur n'aurait pas moins trompé les désir de cette bienheureuse mère, en l'obligeant à rester muette en présence de ses fils. Pour moi, si j'avais eu le bonheur de paraître devant elle, il me semble que rien ne m'aurait été si doux que d'entendre une parole de sa bouche; et si quelque interpète avait voulu s'interposer entre elle et moi, j'aurais dit à ma mère, et de toute l'ardeur de mon âme: " Je vous en conjure, montrez-mo votre visage, et que votre voix se fasse entendre à mon oreille: car votre voix est si douce, et si beau votre visage " ».

« Donc, n'hésitons pas à saluer en Marie la primauté des grâces gratuitement données, comme nous avons affirmé d'elle la prééminence des grâces instructives et sanctifiantes. Le privilège qu'elle a d'être la Mère du Dieu incarné, c'est-à-dire, de Celui qui est la source de tout don surnaturel, exigeait qu'elle fût après son fils la première en tout. Si, pendant sa vie mortelle, elle n'eut pas toujours l'usage universel de ces grâces, comme l'enseigne Saint Thomas d'Aquin, et comme nous l'avons fait remarquer avec lui, la cause n'en est pas à chercher dans je ne sais quel défaut de libéralité du Christ envers sa mère, mais uniquement dans les sages dispositions de la Providence, acceptées et voulues par la mère aussi bien que par son fils » (o. c., t. 2, pp. 312-314).

Art. 7 — DE SCIENTIA B. MARIAE V.

BIBLIOGRAPHIA: DUBLANCHY R., *Dict. Théol. Cath.*, art. *Marie*, cc. 2409-2413; GIRERD R. D., *Science de Marie*, in *Nouv. Rev. Théol.*, 49 (1922), 35-63, 409-20; HUGON H., *La science surnaturelle de la Sainte Vierge. A propos de certaines erreurs récentes*, in *Vie Spir.* 18 (1928) (23)-(33); KEUPPENS J., *Mariale Dagen*, 7 (1937), pp. 33-74; MERKELBACH A., in *Standaard van Maria*, 7 (1929) 257, 289; in *Revue Eccl. de Liège*, 1914, pp. 257-260.

Inter perfectiones animae B. M. V. haud ultimum tenet locum divinarum et humanarum, naturalium et supernaturalium scientia, inde ab eius conceptione. Tantam enim habere debuit scientiam, dum in humanis ageret, quanta proprio statui Matris et Sociae Mediatoris conveniebat. Iure ergo Conradus de Saxonia aiebat: « Quia Dominus sapientissimus sapientissime est tecum, ideo tu es sapientissima secum et sapientissima es per ipsum » (Spec. c. 8). De hac igitur agendum est.

Quid et quotuplex sit scientia. SCIENTIA est cognitio rerum per earum causas TRIPLEX autem scientia distinguitur: *acquisita*, *infusa* et *beata*. Cum enim de ratione scientiae — prout animadvertit Card. Lépicier — « sit ut dicat respectum ad obiectum suum, non quocumque modo, sed formaliter qua scibile est, ideo tot sunt scientiae, quot sunt rationes huiusmodi obiectum attingendi. Porro, ratio qua aliquod obiectum in aliqua scientia attingitur, est lux sub qua huiusmodi obiectum manifestatur et actu scibile redditur: quae pro nobis potest esse aut lumen intellectus agentis secundum species phantasmatis proportionatas, aut lumen quoddam superius infusum secundum species excedentes proportionem phantasmatum, aut denique lumen quod sit ipsamet divina Essentia, in qua, veluti in simplicissima specie, res videntur.

« Et secundum hoc, alia est scientia *acquisita*, alia scientia *indita* vel *infusa*, alia *beata*. Et illa quidem prior connaturalis est nobis in statu viae, cum omnis nostra connaturalis cognitio hic incipiat a sensu et sit proportionata phantasmatis corporis; dividitur autem specificè in tot scientias, quot sunt gradus abstrahibilitatis a materia, verbi gratia, in physicam, mathematicam, metaphysicam, etc. Secunda autem scientia connaturalis est angelis, quibus hoc ipsum quod est intelligere, non fit per abstractionem a phantasmatis, sed divinitus per immissionem specierum rebus proportionatarum, quae quidem scientia iterum multiplex est, secundum differentiam specificam huiusmodi specierum. Denique scientia beata connaturalis est soli Deo, qui seipsum unico simplicissimo actu intelligit, unde haec scientia per alias species ulterius non dividitur » (o. c. p. 282).

Hisce praemissis, speciatim de hac triplici scientia in B. Virgine agendum est.

I - De Scientia beata B. Mariae V.¹

1) **Quid sit scientia beata.** Est illa quae in visione Dei immediata, seu in cognitione intuitiva Essentiae divinae consistit.

Scientia haec, connaturalis Deo tantummodo, conceditur Sanctis, post huius vitae cursum. Attamen, quia visio essentiae divinae longe excedit vires cuiuslibet intellectus creati, hinc necesse est ut addatur supernaturale quoddam auxilium, elevans et confortans intellectum, quod *lumen gloriae* vocatur, sine quo impossibilis omnino evadit actus visionis beatificae. Hoc autem lumen vel *permanenter*, si visio Essentiae divinae est permanens, vel *transeunter*, si visio est transiens, a Deo concedi debet.

2) **Opinio non probanda,** est singularis opinio Francisci Guerra, O. M. (†1658) iuxta quam B. Virgo, inde a primo instanti suae conceptionis, fuisset « simul viatrix et comprehensor », et quae possidisset « habitum luminis gloriae cum habitibus fidei et spei » (*Maiestas gratiarum ac virtutum omnium Deiparae Virginis*. Segoviae, 1659, t. I, p. 67). Vega ut *probabile* habuit B. Virginem, in tota vita terrestri, Dei visionem habuisse. (O c., Pal. 34, cert. 1).

Nostris diebus P. Rábanos² demonstrare contendit visionem beatificam permanentem in B. Virgine non repugnare, et rationes non deesse ad illam admittendam, modo analogo quo admittitur in Christo.

Non repugnat, ante omnia, B. Virginem fuisse simul (non secundum idem) viatrix et comprehensor, in statu viae et in statu termini: hoc enim conceditur pro Christo (cfr *S. Th.* III, q. 15, a. 10), quin contradictio habeatur. Quare — arguit praefatus Auctor — idem de Maria dici non potest? Argumenta enim quae in contrarium afferuntur, deducta ex fide, ex augmento gratiae et meriti non videntur ita apodictica ut contradictionem evincant.

Nec desunt rationes convenientiae pro visione beatifica permanente. Etiam B. Virgo enim — sicut et Christus — ratione Corredemptionis, rationem habuit principii reductivi hominum in Dei visionem. Etiam B. Virgo, insuper, — sicut et Christus — tam intime Deo unita ratione gratiae et ratione carnis, fuisset ei unita etiam ratione cognitionis. Conveniens tandem erat ut illa quae ab Angelo « gratia plena » (Luc., I, 28) salutata est, non careret dono angelis concesso.

Prop.: *B. Virgo, in hac terrestri vita, scientiam BEATAM seu visionem beatificam habuit, non quidem I) permanenter, sed probabiliter II) solummodo transeunter.*

Prob. I. Pars: Non habuit B. Virgo visionem Dei permanenter. Etenim, visio haec, hominem extra viam et in statu termini ponit. Atqui, B. Virgo, in hac terrestri vita, fuit *viatrix*. Ergo non gaudebat modo permanenti visione beatifica.

¹ Cfr DE ALDAMA I. A., S. I., ¿Gozó de la visión beatífica la Santísima Virgen alguna vez en su vida mortal?, in *Archivo Teol. Granadino*, 6 (1943) 121-140.

² *La gracia carismática de María*, in *Estudios Marianos*, 5 (1946) 261 s.

Ad Min. Etenim, B. Virgo, ut iam suo loco demonstravimus, 1) habuit *fidem* quae cum visione permanente componi non potest; 2) crevit iugiter in gratia: quod esse non poterat si in statu termini iam posita esset. Imo, haec est potissima differentia inter Christum et B. Virginem aliosque homines, quod Christus, visionem beatificam habere debuit ab initio, alii vero minime, et ratio est quia Christus erat primum principium reductivum hominum in Dei visionem, alii vero erant ab ipso reducendi ad illam; iamvero, id quod est in potentia, non reducitur in actum, nisi per id quod est actu.

Relate ad argumenta a P. Rábanos adducta ad probandam possibilitatem visionis beatificae permanentis cum fide, dicendum videtur ea persuasiva non esse. Ad fidem enim cum visione beatifica permanente componendam, distinguere cogitur inter ea quae B. Virgo cognoscebat ex visione et ea quae aliter cognoscebat. At, distinctio haec in scientia Deiparae omnino arbitraria et absque fundamento videtur.

Nec magis valida nobis videntur argumenta ad convenientiam illius visionis probandam allata. Primum enim argumentum supponit paritatem Deiparae cum Christo: quod admitti non potest, cum Christus sit principium reductivum aliorum in visionem Dei *absolutum* (respectu omnium omnino, inclusa Deipara), dum e contra B. Virgo, simul cum Christo, sit principium reductivum aliorum ad visionem beatificam tantummodo *relativum*. Deest insuper paritas in secunda ratione: alia est enim unio naturae humanae Christi cum Deo, et alia unio Mariae. Tertia tandem ratio non valere videtur eo quod donum visionis beatificae quod *statui* angelorum debetur (utpote comprehensores) non debetur statui Deiparae (quae non erat comprehensor).

Prob. II. Pars: I. Auctoritate plurium Theologorum qui hoc admittunt: e. gr. S. Bernardus, Gerson, S. Antoninus, Dionysius Carthusianus, S. Thomas a Villanova, S. Bernardinus Senensis, Suarez, Novati, Sedlmayer, Lépiciér, Terrien, Dublanchy etc... Contrarium tenet Merkelbach (*Mariologia*, pp. 197, ss.).

II. Ratione: 1) *Ratione principii mariologici:* « Quod vel paucis mortalibus constat fuisse collatum, fas certe non est suspicari, tantae Virgini fuisse negatum » (S. Bernardus). Atqui tale privilegium Moysi et S. Paulo concessum fuit. Ergo et B. Virgini.

Ad Min. Etenim, communiter Theologi, post S. Augustinum (PL 33, 610) et S. Thomam (2, 2, q. 173, a. 3) admittunt tale privilegium Moysi et S. Paulo fuisse concessum,¹ et « satis congruenter — exponit Angelicus l. c. —: nam sicut Moyses fuit primus Doctor Iudaeorum, ita Paulus fuit primus Doctor gentium ».

¹ Opponit tamen MERKELBACH: « Cum hodierni interpretes Scripturae sententiam de visione ipsius Dei a Paulo et a Moyse non habebant vere fundatam (cfr. CEUPPENS, *Theologia Biblica*, 1, *De Deo Uno*, pp. 143-145), consequenter evanescit exinde deducta probabilitas visionis in B. Virgine » (*Mariologia*, p. 198). At adsunt etiam aliae rationes minime spernendae.

Legitime ergo deducimus B. Virginem, Doctricem Apostolorum et Magistram Ecclesiae (Leo XIII, encycl. *Adiutricem populi*) idem donum habuisse; imo, a fortiori: etenim « Rationabiliter creditur quod illa quae genuit Unigenitum a Patre, plenum gratiae et veritatis, prae omnibus aliis maiora privilegia gratiae acceperit » (3, q. 27, a. 1). S. Bernardinus Senensis: « Ideo merito gratia plena in contemplando Deum et cuncta creata plus quam Paulus raptus in tertium coelum sine comparatione; quia, si essent tot Pauli quot sunt creaturae, non attingerent suum contemplari; nam Paulus vas electionis, Virgo vero Maria fuit vas divinitatis » (serm. 36). Et Dionysius Carth.: « Si ergo Deus bonitatis immensae seipsum tam gratiose et clare in vita praesenti ostendit famulis suis, quanto magis dilectissimae suae Matri; imo pie credendum videtur, quod utique suae dignissimae atque purissimae Genitrici tanto frequentius, clarius ac diuturnius ostendit in vita ista essentiam Deitatis per speciem, quanto in hac gratia decuit Matrem Dei prae ceteris honorari atque excellere » (*De laud. glor. Virg. Mar.*, l. 2, a. 12).

2) *Ratione divinae maternitatis*. Etenim « Si ipsa dedit Deo esse quod Ipsa est, cur non Ei dedisset Deus intelligere quod Ipse est? » (DIONYSIUS CARTH., *De praec. et dign. Mariae*, l. 2, a. 78). Insuper B. Virgo, ratione maternitatis divinae in familiam divinam est veluti inserta et miris ineffabilibusque relationibus cum tribus divinis personis (in quorum intuitiva visione scientia beata consistit) colligata; conveniens ergo fuit ut, saltem transeunter, Deum clare videret prouti est in se et prouti est humanae naturae ex ea sumptae coniunctum.

3) *Ratione consortii cum Christo* in opere redemptionis humanae. B. Virgo, enim, cum Christo et sub Christo, est principium reducendi homines in visionem beatificam; iamvero sicut Christus, ob hanc rationem, habere debuit talem visionem permanentem, inde ab initio; ita et Maria, ob eandem rationem, saltem transeunter illam habere oportebat. Eo vel magis quod, ratione huius consortii cum Redemptore, nemo, sicut Ipsa, in hac vita mortali tanta passa est, ideoque nemini tanta consolatio danda erat, quantam B. Virgo accepit. Frequentius ergo et perfectius Moyse et Paulo videre debuit essentiam divinam.

Ad obiectiones praecavendas opportune hic animadverti potest quod haec visio beatifica, transeunter B. Virgini concessa, non destruebat in ipsa *habitu* seu virtutem fidei (qui bene componi potest cum actu transeunte visionis beatificae) sed excludebat solummodo *actum fidei* qui, cum *actu visionis*, ut patet, *simul* existere non potest (cfr S. THOM., *De veritate*, q. 13, a. 2, ad 5).

Si vero *QUAERATUR* quibus vitae suae mortalis temporibus vel momentis talis visio B. Virgini concessa sit *RESPONDETUR* non unam esse Theologorum sententiam. Quinque tamen momenta, utpote solemniora, cum aliqua probabilitate assignari possunt, videlicet: 1) In sua *Immaculata Conceptione*, prout tenet Salazar (o. c., c. 32), quia tunc vita eius incoepit et tot gratiarum donis fuit cumulata; 2) in *nativitate sua*, quia tunc veluti aurora consurgens mundo apparuit; 3) in *conceptione Verbi*, prout tenet Gerson (super *Magnificat*) quia tunc lumen

aeternum, cum toto maiestatis suae fulgore in ipsam descendit; 4) in *Nativitate Christi*, prout tenet S. Antoninus (p. IV, tit. 15, c. 17), quia congruum erat ut Christum, fontem gaudii, non solum absque dolore, sed etiam cum summo gaudio, ex visione beatifica proveniente, in lucem ederet; 5) in *resurrectione Christi*, quia congruum erat ut « quae tot ac tantos dolores in passione Filii exhauserat, beatitudinis solatium in resurrectione eius ad horam saltem experiretur » (S. THOMAS A VILLANOVA, *Serm. de Resurr.*). « Porro — prout animadvertit card. Lépicier — ex Evangeliorum circa Mariam, Matrem Dei, hoc tempore, silentio, altius quid circa eam licet inferre. Enimvero, dum de inquisitione Mariae Magdalenae, aliarum mulierum, necnon Petri et Ioannis, atque de apparitione Christi ipsis facta, apud Evangelistas sermo longior instituitur, nihil e contra de Maria, vera Christi Matre narratur: siquidem, non legitur vel quod ad sepulcrum perrexerit, aut quod aliquod nuntium acceperit. Quid autem sibi vult hoc, nisi quod in speciali quodam ordine seorsim collocata, ampliori gratia fuerit donata, scilicet non solum Christi humanitatem viderit, sed etiam contemplatione eius divinitatis beata visione fuerit donata: quam tamen rem Virgo prudens nulli hominum revelavit, quasi sibi soli secretum suum servare voluerit, quae etiam Incarnationis mysterium ne sancto Ioseph quidem patefecerat » (o. c., p. 287).

II - De scientia infusa B. M. V.

St. Q. I. Quid et quotuplex sit scientia infusa.

SCIENTIA INFUSA est illa quae non acquiritur proprio studio, sed per species immediate a Deo impressas in intellectu producitur. Vocatur etiam *indita*; attamen, stricte loquendo, scientia *indita* non est omnino unum idemque cum scientia *infusa*; in aliquo enim conveniunt et in aliquo differunt; conveniunt in hoc quod utraque sine proprio labore acquiritur; differunt vero in hoc quod, dum scientia indita concomitatur naturam subiecti et cum ipso producitur, velut illius naturale complementum, scientia infusa, e contra, non concomitatur naturam, sed advenit subiecto cui a Deo infunditur. Sic, e. g., Angelorum scientia proprie *indita* dici debet, simul cum natura angelica, quia tamquam naturale intellectus angelici complementum, a Deo infunditur; dum scientia Adae proprie *infusa* dici debet, quia neque sequebatur in eo vi naturae hominis, neque eadem actione qua anima eius est creata, sed alia actione a Deo superaddita est.

Scientia infusa DUPLEX est: *infusa per se* et *infusa per accidens*. Auctores tamen in definitione huius duplicis scientiae nondum conveniunt. Iuxta nos, ad confusionem vitandam, SCIENTIA *per se* INFUSA est illa quae *ex se* postulat infundi, ita ut aliter haberi omnino non possit. Scientia vero INFUSA *per accidens* est illa quae, licet virtute humani ingenii acquiri possit, *de facto* tamen non acquiritur sed a Deo, humanum laborem praeveniens, infunditur. Praecipuum vero inter utramque discrimen in hoc positum est quod, dum scientia *per se* infusa est a phantasmatibus prorsus independens sive in origine, sive in usu (quia habetur

sine abstractione a phantasmatibus, et exercetur sine conversione ad illa), scientia infusa per accidens, e contra, quamvis sit independens a phantasmatibus in sua origine (quia acquisita est, de facto, per species infusas) tamen, non est independens a phantasmatibus in suo usu (quia exerceri non potest absque conversione ad phantasmata).

II. **Opiniones.** 1) *Relate ad existentiam SCIENTIAE INFUSAE:*

a) Card. Lépicier, cui adhaerent Campana (o. c., p. II, q. 3, a. 4), Dourche (o. c., p. III, c. 4), Van Noort, Merkelbach etc. docet B. Virginem non habuisse *permanentem* scientiam per se infusam, quia consentanea non videtur statui hominis vitam mortalem degentis, sed interdum tantummodo, *transeunti* quadam collustratione, illam habuisse. Si enim haec scientia aliquibus Prophetis et Sanctis aliquando videtur concessa, ad hoc ut altius in contemplatione assurgere possent, multo magis dicenda est adfuisse in Deipara, quae Prophetarum et Sanctorum omnium Regina extitit. Quinimmo si divinam essentiam B. Virgo transeunter vidit, multo magis scientiam per species pure intelligibiles, supra phantasmatum facultatem, habere interdum potuit. Habuit ergo B. Virgo tantummodo scientiam infusam *per accidens* de pluribus, per modum propheticae revelationis, praesertim in momento suae conceptionis ad hoc ut seipsam disponderet ad iustificationem.

b) Alii tamen Theologi, tum veteres tum recentiores, ut S. Albertus M., Gerson, S. Antoninus, Dionysius Carth., Contenson, S. Franciscus Salesius, Suarez, Salazar, Vega, Sedlmayer, S. Alfonsus, Terrien, Gariguet, Hugon, Derckx etc., tenent B. Virginem habuisse permanentem scientiam per se infusam inde a primo instanti suae Conceptionis. Posita vero hac scientia per se infusa, non videtur admittendum esse novum miraculum quo scientia infusa per accidens in B. Virgine ponatur, eo quod per scientiam per se infusam iam sufficienter instructa fuisset circa veritates sive supernaturales sive naturales.¹

2) *Relate vero ad extensionem SCIENTIAE INFUSAE:*

a) S. Albertus M. (*Mariale*, q. 96 et s.), S. Antoninus (in 3, tit. 15, c. 19), quos sequitur Vega (o. c., pal. 14, cert. 1 et s.), putant B. Virginem omnes vel fere omnes scientias naturales, et humanas per accidens infusas habuisse.

b) Alii tamen, rectius, ut videbimus, hanc Deiparae scientiam limitibus quibusdam coarctant, et tenent illam in genere, scientiam habuisse rerum *supernaturalium* perfectiorem scientia Adae collata, rerum vero naturalium non omnium scientiam habuisse, sed illarum dumtaxat quae ad perfectam Scripturae et rerum supernaturalium nec non rerum agendarum intelligentiam requiruntur.

¹ Non valet enim obicere: B. Virgo habuit virtutes per accidens infusas; ergo, a pari habere debuit etiam scientiam per accidens infusam. In hac enim obiectione paritas deest. B. Virgo enim, habere debuit, inde ab initio, virtutes per accidens infusas quia secus illarum successiva acquisitio carentiam alicuius perfectionis in anima B. Virginis involvisset; successivum autem augmentum scientiae rerum naturalium, nullam in anima B. Virginis carentiam perfectionis involvit.

DIVISIO QUAESTIONIS. Duo ergo circa scientiam per se infusam quaeri possunt, videlicet: 1) De eius *existentia*, et 2) De eius *extensione*.

Prop. I: *B. Virgo, per totam suam vitam, inde ab instanti suae Conceptionis, habuit scientiam per se infusam.*

Prob.: Scientia permanens per se infusa non solum statui B. Virginis non repugnat, sed statui eius congruit omnino, imo necessaria apparet. Ergo ponenda est in B. Virgine.

Prob. Antec.: Scientia permanens per se infusa 1) *non repugnat* statui B. Virginis: a) Non repugnat statui *viatricis*: cum enim haec scientia a visione beatifica essentialiter differat, consequenter non ponit extra *statum viae*. Plures enim Sancti *transeunter* talem scientiam habuerunt, cur ergo Regina Sanctorum illam *permanenter* habere non potuit? b) Nec repugnat « statui hominis vitam mortalem degentis »; etenim distinguendum videtur inter *statum communem* hominum et *statum omnino particularem* B. Virginis; iamvero scientia per se infusa quamvis repugnet statui *communi* hominis, non solum statui *particulari* B. Virginis non repugnat, sed *congruit*, imo ab illo, ut statim videbimus, *requirebatur* omnino.

a) Scientia permanens per se infusa *congruit* statui B. M. V. ut mens Deiparae et Corredemptricis in contemplatione Dei et rerum divinarum nullam pateatur interruptionem, indesinenter in gratia et meritis cresceret, quin externa activitas eius impediretur aut suae intimae et sublimiori operositati aliquo modo obstaret. Atqui haec omnia sine permanenti scientia per se infusa, utpote independente a sensuum ministerio, impossibilia omnino evasissent. Ergo...

b) Scientia permanens per se infusa *necessaria* fuit Beatae Virgini; hac enim negata, immensa illa gratiarum copia B. Virgini inde ab initio concessa, *tempore infantiae* sterilis omnino remansisset. Quapropter, permanens scientia per se infusa, quamvis *communi* hominum statui repugnet et sit aliquid omnino extraordinarium, pro particulari statu B. Virginis quid aliquo modo *commaturale* evadit, prout iam exposuimus ubi de gratia initiali B. M. V. egimus.

Prop. II: *Scientia infusa B. M. Virginis amplissima fuit, et in genere perfectior fuit scientia infusa Adae collata.*

Ideam aliquam habere possumus scientiae B. Virgini a Deo, durante eius vita, infusae, ex scientia infusa Adae collata.

Iamvero, quaenam fuit scientia Adae infusa? Dici potest quod primus homo scientiam habuit omnium naturaliter scibilium, in quibus homo natus est instrui, prout apparet ex Gen. 2, 19-20; supernaturalium vero, quantum opus erat ad vitae regimen secundum *statum supernaturalem*.

Habuit ergo B. Virgo plenam cognitionem illarum rerum naturalium quae requirebatur praesertim ad intelligentiam S. Scripturae, et ideo notitiam Historiae, Geographiae, Astronomiae, Cosmogoniae etc. Attamen quantum ad noti-

tiam rerum civilium (e. g. militiae, mercaturae, etc.), maiorem de illis notitiam habuit Adam quam B. Virgo, quia eas scire nihil B. Virginem referebat.

Relate vero ad res ordinis *supernaturalis*, ea omnia cognovit quae statui et dignitati Deiparae et Corredemptricis congrua erant. Cognovit ergo veritates *supernaturales* seu dogmaticas et theologicas cognitione superiori quam de illis habent omnes Angeli et omnes homines in statu viae, et hoc sive ratione suae singularissimae perfectionis supernaturalis, prout erat Dei Mater, sive ratione intimae cooperationis operi redemptionis, prout erat Corredemptrix humani generis.

Relate vero ad cognitionem *futurorum* et praesertim relate ad consilium divinum respiciens sanctificationem et salutem humanitatis, illud B. Virgo, saltem complexive, si non quoad omnia particularia, certe, tamquam Corredemptrix, cognoscere debuit, inde ab annunciatione. Probabiliter, insuper, cognovit etiam id omne quod sanctificationem et salutem singulorum fidelium respiciebat, utpote singulorum Corredemptrix et Mater, ad hoc ut pro singulis proprios dolores et proprii Filii sacrificium offerre posset...

Praeter has cognitiones infusas, admitti debet B. Virgini plures speciales revelationes, toto vitae suae tempore, factas fuisse. Tale enim beneficium pluribus Sanctis, prout ex historia patet, collatum est. A fortiori ergo B. Virgini tribui debet, eo vel magis quod tale beneficium est signum familiaritatis cum Deo in qua B. Virgo singularissima evasit.

Falso igitur Erasmus, Lutherus eorumque asseclae tenuerunt B. Virginem ignorasse Christum, Filium suum, esse verum Deum, neque ut talem adorasse, cum esset infans; et ipsam, simul cum Ioseph, propter materialem conceptionem de regno temporali Messiae, illum expectasse tamquam regem et ducem qui restitueret regnum Israel (cfr S. P. CANISIUS, o. c., l. 4, c. 2 et 18).

III - De scientia acquisita B. M. V.

Quid et quotuplex sit scientia acquisita. Scientia acquisita est illa quae propriis actibus acquiritur. Duplex scientia acquisita distingui solet: *simpliciter sperimentalis* et *vere deductiva*:

a) prima versatur circa *particularia*, et habetur cum quis, ea quae antea per scientiam infusam iam cognoverat, postea experientia sua cognoscit;

b) secunda versatur circa *universalia*, et habetur cum quis propriam activitatem intellectualem exercet ope iudicii et ratiocinii.

Quod in B. Virgine fuerit scientia simpliciter experimentalis, patet omnino, eo quod multa B. Virgo quae per scientiam infusam cognoverat, postea experientia etiam cognovit. Quaestio igitur moveri potest de scientia vere *deductiva*.

Prop.: B. Virgo I) *habuit scientiam acquisitam vere deductivam, et quidem* II) *excellentiore modo quam quilibet homo.*

Prob. I. Pars: *Ex perfectione B. M. V.* Ipsa enim habuit non solum intellectum possibilem, quo est omnia fieri, sed etiam intellectum *agentem*, quo est omnia facere per abstractionem a phantasmatibus. Iamvero, cum quaelibet res sit propter suam operationem, debuit etiam B. Virgo, proprio labore scientiam acquirere, per abstractionem a phantasmatibus.

Prob. II. Pars: 1) *Ex excellentia ingenii B. M. V.:* habebat enim intellectum acutissimum, perfectissimam corporis complexionem, nec non magnam sensuum tum internorum, tum externorum perfectionem; gaudebat insuper dono integritatis id est perfectae subiectionis virium inferiorum viribus superioribus, et ideo nullam, in intelligendo, patiebatur animae perturbationem aut distractionem.

2) *Ex excellentia fontium cognitionis.* Scientiam enim hausit: a) *ex assidua S. Scripturae lectionis auditione* (in Synagogis) et meditatione, ¹ prout plures ex Patribus, et potissime Origenes, testantur: « Habebat (Maria) legis scientiam et

¹ Scientia *Scripturistica* Deiparae ex eius cantico *Magnificat* sat aperte apparet; in ipso enim quamplures reminiscitiae biblicae inveniuntur, prout ex sequenti schemate elucet:

- | | |
|---|--|
| 1. <i>Magnificat anima mea Dominum.</i> | 1. Magnificate Dominum mecum (Ps 33, 4).
Cfr etiam Ps. 94, 9. |
| 2. <i>Et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo.</i> | 2. Exultavit cor meum in Domino (1 Reg., 2, 1).
Ego autem in Domino gaudebo, et exultabo in Deo Iesu meo (Habac., 3, 18). |
| 3. <i>Quia respexit humilitatem ancillae suae...</i> | 3. Si respiciens videris afflictionem ancillae tuae (1 Reg. 1, 11).
Cfr etiam Ps. 30, 8; Prov. 2, 12. |
| 4. <i>Beatam me dicent omnes generationes.</i> | 4. Beatam quippe me dicent mulieres (Gen. 30, 13). |
| 5. <i>Fecit mihi magna.</i> | 5. Fecisti magnalia (Ps., 70, 19).
« Deus qui tibi fecit haec magnalia » (Deut., 10, 21). |
| 6. <i>Sanctum nomen eius.</i> | 6. Sanctum et terribile nomen eius (Ps., 110, 9).
Confiteantur nomini tuo quoniam terribile et sanctum est (Ps., 98, 3). |
| 7. <i>Et misericordia eius a progenie in progenies, timentibus eum.</i> | 7. Misericordia Domini ab aeterno et usque in aeternum super timentes eum (Ps., 102, 17). |
| 8. <i>Fecit potentiam in brachio suo.</i> | 8. Dextera Domini fecit virtutem (Ps., 117, 16).
Cfr etiam Ps., 88, 11. |
| 9. <i>Dispersit superbos mente cordis sui.</i> | 9. Tu humiliasti... superbum... dispersisti inimicos tuos (Ps., 138, 11). |
| 10. <i>Deposuit potentes de sede et exaltavit humiles.</i> | 10. Sedes ducum superbiorum destruxit Deus et sedere fecit mites pro eis (Eccl., 10, 17).
Cfr etiam Ps., 146, 6. |

erat sancta, et prophetarum vaticinia quotidiana meditatione cognoverat » (Homil. 6, in Luc., PG 10, 1192).

b) *Ex consuetudine cum Christo*, in quo erant omnes thesauri sapientiae et scientiae, et cum quo tam familiariter, tam assidue, per triginta annorum spatium, conversata est; ab eo autem, ut Regina Saba a Salomone, mirum in modum didicisse procul dubio aestimanda est. « Habitans (Christus) cum ea, inquit Guericus Abb. Igniacensis (Serm. 1, de Assumpt., PL 185, 187), pascebat eam incomparabili piorum suavitate morum et divinorum desiderabili sapientia sermonum ». Et S. Thomas a Villanova (conc. 1, n. 6): « Quid dicam, de illa tam longa conversatione cum puero, cum adolescente, cum iuvene, cum viro? Quae verba, quae colloquia, quae responsa; quae mysteria, quae secreta, quae oracula? O felicem scholam, ubi Deus et filius magister est, et mater et Virgo discipula! Tam longo tempore, tam continuo auditu, tam frequenti magisterio, quid a tanto magistro non didicisti? ». Unde non inconsulto S. Lucas scribebat: « Conservabat omnia verba haec in corde suo » (2, 51).

c) *Ex colloquio cum Angelis*, prout evidenter constat ex ipso Incarnationis mysterio Deiparae ab angelo revelato. Nec obstat quod Beata Virgo superior esset angelis; superior enim utique erat quantum ad dignitatem Matris Dei; sed quantum ad statum praesentis vitae, inferior angelis erat: quia et ipse Christus, ratione passibilis vitae, modico ab angelis minoratus est, ut dicitur; sed tamen quia Christus fuit simul viator et comprehensor, quantum ad cognitionem divinorum, non indigebat ab angelis instrui: sed Mater Dei nondum erat in statu comprehensorum, et ideo de divino conceptu per angelos instruenda erat. Quod autem de revelatione mysterii Incarnationis dicitur, extendi potest ad alias illuminationes angelicas circa fidei nostrae mysteria: sive illuminationes huiusmodi haberentur per frequentia colloquia cum angelis ipsi visibilibus apparentibus, sive etiam per internas collustrationes.

Revera, angelus potest illuminare intellectum humanum, non quidem eo modo quo superior angelus illuminat inferiorem, id est dividendo veritatem universalem conceptam secundum capacitatem inferioris angeli, sed intelligibilem veritatem homini proponendo sub similitudinibus sensibilium, et hoc modo angelus potuit illuminare Beatam Virginem. Sed et angelus potest assumere corpus, et in eo nedum apparere, sed etiam voces sensibiles efformare; unde et angeli custodes aliquando perhibentur cum aliquibus sanctis, sicut S. Franciscae Romanae evenisse fertur, conversati. Hoc igitur privilegium Matri Dei omnino denegandum non fuit.

11. *Esurientes implevit bonis et divites dimisit inanes.*

12. *Recordatus misericordiae suae, sicut locutus est ad patres nostros, Abraham.*

11. Repleti prius pro panibus se locaverunt, et famelici saturati sunt (1 Reg., 2, 5).

12. Dabis veritatem Iacob, misericordiam Abrahae; quae iurasti patribus nostris a diebus antiquis (Mich., 7, 20).

Attamen, prout rite animadvertit Card. Lépicier, B. VIRGO NIHIL AB HOMINIBUS DISCERE POTUIT: « Ratio est summa eius perfectio, tum corporalis, tum intellectualis; unde, cum illius sensus interni et externi essent ordinatissimi, sine ulla difficultate humana cognoscibilia, sibi convenientia, per seipsam inventione perfecte didicit, quemadmodum Christo eius Filio contigisse docet S. Thomas. Nec huic similitudini obstat quod Christus erat caput Ecclesiae et magister omnium hominum, unde a nullo debebat instrui; nam, secundum regulam datam a Cardinale Caietano, Mater Dei similis (debet) credi Filio per omnia quantum fas est; ideoque propter suam dignitatem et perfectionem, a nullo hominum, sed tantum a Filio suo, edoceri debuit.

Quod a nullo hominum Maria fuerit edocta patet etiam ex hoc quod de Incarnationis mysterio non fuit instructa mediante viro suo sed mediante angelo, ait S. Thomas. Propter quod etiam ipsa est prius instructa quam Ioseph, nam ipsa instructa est ante conceptum, Ioseph autem post eius conceptum.

Nec obstat fugam in Aegyptum Deiparae per sanctum Ioseph nuntiatam fuisse: agebatur enim tunc non de instructione, sed de dispositione circa sacram Familiam, cuius cura sancto Ioseph commissa erat, ut, iuxta divinum beneplacitum, Iesu et Mariae securitati provideret. Obiicenti quoque Beatam Virginem didicisse futuram Christi passionem et suosmet dolores a sancto Simeone propheta, dicente: « Ecce positus est hic » etc., respondetur, Deiparam iam per se cognovisse, ex Scripturarum assidua lectione, substantiam passionis Filii sui et suae ipsius maternae compassionis; unde hoc tantum Simeon verbis suis obtinuit relate ad Mariam, ut acerbi illius futuri eventus in eius memoria profundius figerentur.

Ceterum, quae de infantia Virginis Mariae eiusque in scholis ¹ praesentia, ex evangelii apocryphis deprompta leguntur, eodem censu reiicienda sunt, ac reiici debent similia quae de Christo ipso in iisdem libris reperiuntur, siquidem haec omnia licet a pictoribus figurata et a poëtis ornata, Christi eiusque Beatissimae Matris dignitati haud parum detrahunt » (o. c., pp. 293-294).

Mirabilis, ergo, fuit scientia in Deipara. Contra vero hanc mirabilem Deiparae scientiam quaedam obiiciuntur.

OBICITUR textus S. Lucae (2, 49, 50): « Et ait (Iesus) ad illos: Quid est quod me quaerebatis? Nesciebatis quia in his quae Patris mei sunt, oportet me esse? Et ipsi non intellexerunt verbum quod locutus est ad eos ».

At facile responderi potest hisce verbis certissime non significari quod Maria et Ioseph non cognoverint Christum esse Deum; (2) sed quod nondum perfecte

¹ Eo vel magis quod historice constat Nazareth, tunc temporis, publicas scholas nondum erectas esse. Scholae enim publicae in Palaestina fundatae fuerunt anno 64 p. C. a Summo Sacerdote Iesu ben Gamala (cfr. VIGOUROUX, *Dict. de la Bible*, in voce *Ecole et Education*).

² Hanc sententiam nuper defendit P. E. Sutcliffe, S. I. (in *Irish eccl. Record*, 68, 1946,

cognoscerent quonam ordine, quo modo, Christus suam missionem exsequi deberet. Sic enim Deus procedere solet, ut non simul omnia mysteria, iis etiam qui sibi carissimi sunt, revelet, sed tantummodo cum tempus ab eo sapienter praefinitum advenerit. Ceterum, in hoc admiratione digni sunt Maria et Ioseph quod, cum Christi agendi rationem non plene cognoscerent, a curiosa tamen inquisitione se abstinerunt, humiliter expectantes donec huius mysterii rationem Christus ipse eos edoceret, quod mox factum fuisse credendum est, cum, subditus illis, familiariter cum eisdem conversabatur.

Hisce cohaerenter deserendus est Salmeron, qui illa verba: *Pater tuus et ego dolentes quaerebamus te*, commentans, autumat Deiparae dolorem ortum fuisse ex timore cuiusdam negligentiae in servando tanto deposito admissae. Hoc quidem imprimis Beatam Virginem latere non poterat, videlicet se Spiritum Sanctum, etiam levi macula, haudquaquam contristasse. Ita Card. Lépiciér, o. c., p. 298.

Ex hucusque dictis patet omnino B. Virginem immunem fuisse a *qualibet ignorantia privativa* (i. e. a carentia cognitionis alicuius rei, quam quis, iuxta suum statum, scire tenetur); non vero a qualibet ignorantia *negativa* (i. e. a simplici carentia cognitionis alicuius rei quam quis scire non tenetur). Et hoc adeo certum est ut contrarium, iuxta Suarez (in disp. 19, sect. 6) *pias aures* offendere videatur.

Immunis pariter fuit B. Virgo ab omni ERRORE seu a falsa cognitione. Ratio est quia error, in praesenti ordine, est effectus peccati. Atqui B. Virgo immunis fuit ab omni peccato. Ergo immunis fuit etiam ab omni errore. Maior huius argumenti ex hoc patet quod deceptio accidit in intellectu, non quantum ad se (quia intellectus quando versatur circa proprium obiectum semper verus est), sed tantummodo ex aliquo inferiori i. e. ex phantasia aut sensu ita praeoccupante intellectum ut per rationem diiudicare non valeat. Hoc autem homini in statu innocentiae constituto accidere non poterat, eo quod in tali statu inferiora ita menti subdebantur (quemadmodum mens subdebatur Deo), ut mentem a suo actu impedire non possent.

Hinc iure dicebat S. Augustinus: « adprobare falsa pro veris... non est natura instituti hominis, sed poena damnati » (lib. 3, de *Lib. arb.*, c. 18, n. 52, PL 32, 1296).

Si vero obiciatur B. Virginem de quibusdam rebus ad se pertinentibus aut ignorantiam aut falsam existimationem habuisse, sicut e. g. cum puero Iesu in templo amisso, *existimabat* illum esse in comitatu (Luc. 2, 44), dum tamen in illo non erat, respondetur quod B. Virgo, ita existimando, simpliciter iudicavit id accidere potuisse, et ex circumstantiis occurrentibus existimavit id esse verisimilius: hoc autem erat iudicium probabile et fundatum proferre, ideoque de se sufficiens ad B. Virginem a quolibet errore et a qualibet imprudentia excusandam.

SECTIO SECUNDA

DE HIS QUAE PERTINENT AD CORPUS
BEATAE MARIAE VIRGINIS

Ratio huius sectionis. Nullum compositum potest perfecte cognosci nisi de partibus quibus constat accurata notitia habeatur. Expositis ergo iis quae ad partem formalem, seu ad animam B. M. V. pertinent, exponenda nunc veniunt quae ad partem eius materialem, seu ad corpus pertinent. Deus enim nedum B. Virginis animam sed etiam corpus ut dignum Filii sui habitaculum effici mereatur Spiritu Sancto cooperante praeparavit.

Divisio huius sectionis. Quia corpus B. M. V. fuit, prout videbimus, perfectissimum, passibilitati et mortalitati subiectum, ideo hanc secundam sectionem in tria capita dividimus, videlicet:

- I. De perfectione corporali B. M. V.
- II. De passibilitate B. M. V.
- III. De mortalitate B. M. V.

CAP. I – DE PERFECTIOE CORPORALI B. M. VIRGINIS

Ratio quaestionis. Perfectum — prout opportune admonet Card. Lépiciér¹ — quod secundum vim nominis significat totaliter factum, secundum rem illud est cui nihil deest secundum modum suae naturae. Porro, corpus est propter animam, sicut materia propter formam; ideoque de perfectione corporali Deiparae agendum est, non absolute et velut a priori, sed per respectum ad illius animam, illo semper criterio prae oculis retento, quod tradit Angelicus: In Beata Virgine debuit apparere omne illud quod perfectionis fuit, scilicet habito respectu ad finem divinae maternitatis. Et haec quidem perfectio potissime ostendenda erit, tum in ortu Deiparae, tum in formatione corporis illius, praetermissis aliis quaestionibus, verbi gratia, de anno, loco, tempore nativitatis illius, et caeteris huiusmodi, quae quidem ad alteram disciplinam scilicet historico-criticam, potius spectant, circa quas vix quidquam tuto decerni potest.

Divisio quaestionis. Igitur corpus B. M. Virginis considerari potest in sua origine, et in semetipso; si consideretur in sua origine, corpus B. M. V. fuit nobilissimum; si vero consideretur in seipso, fuit perfectissimae complexionis et mirae pulchritudinis.

Tres ergo articuli poni possunt, videlicet:

- 1) De nobilitate generis B. M. Virginis.
- 2) De perfectissima complexione corporis B. M. Virginis.
- 3) De singulari pulchritudine B. M. Virginis.

¹ O. c., p. 317.

Art. 1 – DE NOBILITATE GENERIS B. M. V.

Quid sit nobilitas originis. A Boëtio ita describitur: « Quaedam de meritis veniens laus parentum » (Lib. 3 *de Consol. Phil.*, Pros. 5).

Errores. *Celsus*, epicureus (cfr Orig. l. 2, contra Celsum n. 32); *Faustus Manichaeus* (cfr S. August., l. 23 Contra Faustum, c. 9, PL 42, 427), nobilitatem B. M. V. excludere nisi sunt. Hos vero veteres haereticos postea secuti sunt Lutherus (*In Exposit. in Cant. Magnificat*) et Calvinus (*In Harmon. Evang.*) qui personam B. M. Virginis ignobilem et despectam vocitare non sunt veriti. Contra quos omnes sit:

Prop.: *B. Maria Virgo fuit genere nobilissima, utpote orta I) de stirpe regia et II) sacerdotali.*

Prima pars: *B. Virgo orta est de stirpe regia.*

Prob.: Auctoritate: S. SCRIPTURAE in qua explicite asseritur Christi origo e regia familia Davidis. Etenim:

a) ipsi David promittitur: « De fructu ventris tui ponam super sedem tuam » (Ps. 131, 11);

b) Angelus annuntians B. Virgini Incarnationem Verbi ait: « Ecce concipies in utero et paries Filium, et vocabis nomen eius Iesum. Hic erit magnus et Filius Altissimi vocabitur et dabit illi Dominus sedem David patris eius » (Luc., 1, 31-32);

c) horum autem adimpletio pariter legitur: « Liber generationis Iesu Christi, filii David, filii Abraham » (Matth., 1, 1);

d) haec erat etiam communis pharisaeorum persuasio, prout apparet ex S. Matth., 23, 42: « Congregatis autem Pharisaeis interrogavit eos Iesus dicens: Quid vobis videtur de Christo: cuius filius est? Dicunt ei: David; imo et pueri ipsi hoc ipsum bene sciebant eo quod in triumpho Hierosolymitano clamaverunt: « Hosanna filio David » (Matth., 21, 9),.

e) in Apoc. pariter de Christo dicitur: « Ecce vicit leo de tribu Iuda radix David » (Apoc., 5, 5); imo ipsemet Iesus de seipso dicit: « Ego sum radix et genus David » (ib., 22, 16). Christus ergo est de stirpe David, quae fuit stirps regia. Atqui B. Virgo est illa « de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus » (Matth., 1, 16). Ergo et ipsa de regia stirpe Davidica esse debuit.

Eo vel magis quod Christus est de familia Davidis *secundum carnem*, prout docet Apostolus: « De Filio suo qui factus est ei secundum carnem ». Atqui caro Christi (utpote virginaliter, absque virili semine, concepta) ex Maria Virgine desumpta est. Ergo B. Virgo debebat esse, secundum carnem, ex regia familia

Davidis. Unde concludit Augustinus: ¹ « Cum evidenter dicat Apostolus Paulus, ex semine David secundum carnem Christum, ipsam quoque Mariam de stirpe David aliquam consanguineitatem duxisse dubitare utique non debemus ». Quare cum Suarez dicendum est rem esse de fide certam, Beatam Virginem, esse de genere davidico, quod genus vere regale erat. Unde Ecclesia iure meritoque canit: *Nativitas gloriosae Virginis Mariae, ortae de tribu Iuda, clara ex stirpe David.* ²

Confirmatur: Ex eo quod Ioseph qui erat de domo et familia David (Luc., 2, 4), uxorem duxit B. Virginem quae, utpote unica filia et paternorum bonorum heres, iuxta Numerorum legem (36, 8) nubere debuit viro ex eadem familia davidica orto. ³

Pars secunda: B. Virgo orta est de stirpe sacerdotali.

PROBATUR AUCTORITATE S. SCRIPTURAE in qua B. Virgo ab Angelo dicitur *cognata* Elisabeth (Luc., 1, 36). Atqui Elisabeth erat de genere sacerdotali, prout patet ex illis verbis: « Fuit in diebus Herodis regis Iudaeae, sacerdos quidam nomine Zacharias de vice Abia, et uxor eius de filiabus Aaron, et nomen eius Elisabeth » (Luc., 1, 5). Descendebat igitur Elisabeth, feminea progenie ab Aaron, qui sub Lege Moysi summus pontifex fuit. Unde Beatissima Virgo, quae Elisabeth cognata, seu consanguinea erat, fuit et ipsa de genere sacerdotali. ⁴

Ita etiam tenent, inter alios, S. Augustinus et S. Thomas. Ille quidem ait, *oportuisse, ut dominica caro non solum de regia, sed etiam de sacerdotali stirpe propagaretur;* ⁴ Sanctus Thomas autem primo refert verba S. Greg. Nazianzeni, ⁵ dicentis quod nutu superno contigit, ut regium genus sacerdotali stirpi iungeretur, ut Christus, qui rex est et sacerdos, ab utrisque nasceretur secundum carnem; postea autem subdit: *Unde et Aaron, qui fuit primus sacerdos secundum legem, duxit ex tribu Iuda coniugem Elisabeth filiam Aminadab: sic ergo potuit fieri ut pater Elisabeth aliquam uxorem habuerit de stirpe David, ratione cuius Beata Virgo Maria, quae fuit de stirpe David, esset Elisabeth cognata* (3, q. 31, art. 2, ad 2).

Attamen cognatio ista Mariae ad Elisabeth non fuit ex parte patris, sed ex parte matris, iuxta illud S. Thomae: *(Beata Virgo) erat de stirpe sacerdotali ex parte matris; quod patet ex hoc quod Elisabeth, quae erat de filiabus Aaron, dicitur eius cognata* (ibid., 4, 14). Et reapse, ut habet S. Paulus (Hebr., 7, 14), *manifestum est quod ex Iuda ortus sit Dominus Noster, in qua tribu nihil de sacerdotibus Moyses locutus est;* qui antea praemiserat (l. c., 11): *Necessarium fuit secundum ordinem Melchisedech alium surgere sacerdotem, et non secundum ordinem Aaron*

¹ Lib. 2 de consensu Evangel., c. 2, PL 34, 1072.

² In offic. Nativ. B. M. V.

³ LÉPICIER, l. c., p. 319.

⁴ Quaest. 47 in lib. Iud., PL 34, 809.

⁵ Carm. de Generat. Christi, nn. 38, 39, Paris, 1842, t. 2, p. 269.

dici; unde concludit Angelicus: « Quia igitur sacerdotium veteris Legis erat figura sacerdotii Christi, noluit Christus nasci de stirpe figuralium sacerdotum, ut ostenderetur non esse omnino idem sacerdotium, sed differre sicut verum a figurali » (3, q. 22, art. 1, ad 2).

« Quapropter, — concludit Card. Lépicier — si Beata Virgo secundum lineam paternam orta fuisset de stirpe sacerdotali, absolute et simpliciter Christus dici deberet ortus de stirpe figuralium sacerdotum, quod inconveniebat; unde, ut ipsi etiam non deesset nobilitas ex genere sacerdotali, secundum lineam maternam Deipara ex sacerdotibus ortum habuit. Quae ita cum sint, concludendum est cum B. Alberto Magno, Deiparam fuisse ratione originis nobilissimam ac dignissimam in summo, cui convenit id quod habet S. Hildephonsus, cum ait: *De proge- nie carnis nulla nobilior Dei Matre refulsit* »¹ (l. c., p. 320).

Art. 2 – DE PERFECTISSIMA COMPLEXIONE CORPORIS BEATAE MARIAE VIRGINIS

Prop.: *B. Virgo, I) perfectissimam corporis complexionem ita habuit II) ut aegritudini et morbo nunquam subiacerit.*

Prima pars: *B. Virgo perfectissimam corporis complexionem habuit.*

Prob.: pluribus mediis, videlicet:

1) *Ratione destinationis corporis B. M. V.* Fini nobilissimo, corpus perfectissimum respondere debuit. Atqui in corpore B. M. Virginis praeparando Deus finem nobilissimum habuit (i. e. carnem Verbo Dei dignissimam praeparare). Ergo huic fini respondere debuit corpus perfectissimum. Et revera, si Deus corpus primi hominis conficiens, magno illud affectu — prout ex ipsa Scriptura apparet — efformavit, eo quod — prout animadvertit Tertullianus,² tunc Christum, ex illo nasciturum, cogitabat, quanto maiori affectu efformare debuit corpus B. M. V. ex qua non remote sed *immediate* Verbum nasciturum erat?

2) *Ratione proportionis cum anima.* Perfectissimae animae perfectissimum corpus debetur. Atqui anima B. M. Virginis, prout iam vidimus, perfectissima fuit. Ergo et corpus perfectissimum esse debuit.

Ad Mai. Corpus enim est propter animam, sicut materia est propter formam, ideoque proportio inter utrumque requiritur. Anima enim, propter suam substantialem unionem cum corpore, extrinsece ab ipso in sua operatione intellectiva

¹ *Serm. III in Assumpt.*, inter Op. S. Hildephonsi, Matrity, 1782.

² « Recogita totum Deum illi occupatum et dedicatum manu, sensu, opere, consilio, sapientia, providentia, et ipsa in primis adfectione, quae lineamenta ductabat, quodcumque limus exprimebatur, Christus cogitabatur » (*De resurrect. carnis*, c. 7).

dependet, et ideo, quanto perfectior est anima, tanto perfectius requiritur corpus. Quapropter — prout animadvertit S. Antoninus ¹ — « Multum iuvat ad bene operandum bona complexio corporis et debita organorum dispositio; et qui meliora naturalia habet, quod est ex dispositione corporis, ille instinctu gratiae perfecta perfectius exequitur; et quia Beata Virgo optima naturalia habuit et perfectissimam corporis complexionem et dispositionem, repleta gratia in sanctificatione perfecte operabatur ».

« Nec obstat — animadvertit Card. Lépiciér ² — femineum sexum virili sexu imperfectiorem esse; licet enim ita communiter contingat, tamen quandoque, divina favente Providentia, possunt mulieres viros in perfectione superare, sicut de pluribus mulieribus in historia tum profana tum maxime sacra legimus, quas inter eminuisse Deiparam haudquaquam dubitandum est: unde eam S. Gregorius Nazianzenus egregie compellat: O femineum sexum, qui propter commune salutis certamen, virilem sexum superasti ». ³ Insuper licet gratia (utpote supra omne debitum naturae) secundum capacitatem naturae non detur, attamen, quia naturalia non destruit sed perficit, quodammodo in ipsis naturalibus fundatur. Iamvero scientia et gratia B. Virgini collata, excellentissima, prout iam vidimus, fuerunt. Ergo et corpus optime dispositum habere debuit.

3) *Ratione similitudinis cum Christo*. Filii enim referre solent, iuxta naturae cursum, suorum parentum imaginem in corporis perfectione et conformatione. Atqui corpus Christi fuit perfectissime complexionatum. Ergo et corpus B. M. Virginis. Eo vel magis quod similitudo inter matrem et filium maior in Christo quam in aliis esse debuit, utpote qui ex sola matre corpus suum traxit.

Secunda pars: *B. Virgo aegritudini numquam subiacuit.*

Prob.: *Ratione originis morborum:* Morbi enim oriuntur: a) vel ex vitio nativo (i. e. ex defectu virtutis formativae, i. e. lepra), vel 2) ex propria culpa (e. g. ex inordinato victu vel ex abusu passionis, ut epilessia), vel 3) ex hereditate, vel 4) ex agentibus externis (aëris intemperies etc.). Atqui nulla ex istis causa esse potuit morbi in B. Virgine. Ergo.

Ad Min. Causa morbi in B. Virgine, a) non potuit esse *vitium nativum*, quia « corpus eius — prout animadvertit Contenson — non sine miraculo productum est ex parentibus sterilibus; dona autem miraculose collata, exquisita sunt, quia Dei perfecta sunt opera » (o. c., c. I, spec. I);

b) non potuit esse *culpa personalis* quae prorsus in B. Virgine abfuit;

¹ P. IV, tit. 15, c. 10.

² l. c., p. 322.

³ Orat. 8 *De S. Gorgon.*, n. 14, t. I, 227, Paris, 1778.

c) Non potuit esse ex hereditate parentum, quia corpus B. Virginis fuit in parentibus sanctissimis miraculose formatum, iuxta antiquissimam et continuam persuasionem fidelium;

d) non potuit esse *ex agentibus externis* quia licet B. Virgo illis obnoxia fuerit, ob illa tamen salus eius periclitari non poterat, sive ob virtutem resistendi propriam corporis sui, perfectissime dispositi, sive ob eximiam scientiam et prudentiam quibus pericula illa cognoscere et praevidere poterat, sive tandem et praesertim ob iugiter Ei adsistentem divinam Providentiam quae noxia quaeque ab ipsa repellebat. Quapropter, cum Gersone, « debemus sacratissimae Virgini concedere omnem sanitatem » (*Serm. de Concept. Virginis*, app. ed. Antwerp., t. 3, pp. 1318 s.); et cum Caietano: « nec nervorum contractio, nec morbus alius in B. Virgine fuit » (opusc. *de Spasmo B. M. V.*, tract. 13, t. 2).

Art. 3 – DE SINGULARI PULCHRITUDINE B. M. V.¹

Pulchritudinis notio. Pulchrum dupliciter spectari potest: subiective et obiective; *subiective* inspectum, pulchrum est id quod visum placet; *obiective* vero inspectum, notas seu dotes quasdam importat quae rem aliquam pulchram constituunt.

Notae seu dotes pulchritudinis, iuxta S. Thomam (in 1, q. 39, a. 8) *tres* sunt: 1) integritas, seu perfectio obiecti, sine qua res sunt deformes; 2) debita proportio, seu consonantia partium, vel ordo, sine quo animus non delectatur sed potius offenditur; 3) splendor, seu claritas quaedam sine qua obiecti integritas et proportio oculis mentis vel corporis affulgere nequit. Hinc recte a S. Thoma pulchrum definitur: « Splendor formae super partes subiecti proportionatas aut super diversas vires vel actiones », Brevius a S. Augustino: « Splendor ordinis ».

Prop.: B. Virgo singulari corporis pulchritudine excelluit.

Prob.: I. Auctoritate: 1) S. SCRIPTURAE. a) Mulieres quae B. Virginis figurae fuerunt, passim ob eorum formosam corporis speciem celebrantur. Ita, e. g. *Sara* dicitur « pulchra nimis » (Gen. 12, 14), *Rebecca* « pulcherrima » (ibid., 24, 16), *Rachel* « virgo decora facie et venusto aspectu » (ibid., 29, 17), *Judith*, de quo Assyrii dicebant: « Non est talis mulier super terram in aspectu, in pulchritudine et in sensu verborum » (11, 19), cui Deus, ratione suae missionis « pulchritudinem ampliavit, ut incomparabili decore omnium oculis appareret »; *Esther*, de qua dicitur: « Erat enim formosa valde et incredibili pulchritudine, omnium oculis gratiosa et amabilis videbatur » (2, 19). Iamvero si tali pulchritudine dona-

¹ Consuli possunt: BOSSUET, *I. Serm. sur la Nativ. de la S. V.*; GERSON, *Serm. de Concept. B. V.*, app., ed. Antwerp., t. 3, pp. 1318 ss.; JANSSENS, *De Deo-Homine*, p. II, Sect. 1, Membr. 1, pp. 192-200; SUAREZ, *De myster. vitae Chr.*, D. 2, s. 2; VEGA, o. c., Pal. 6, cert. 6.

tae fuerunt figurae, quali pulchritudine donata non est illa quae ab ipsis fuit figurata? Figuratum enim longe figuram excedit.

b) In *Cantico Canticorum* diserte pulchritudo Virginis celebratur: dicitur enim « pulcherrima mulierum »; « Quam pulchra es, amica mea, quam pulchra es » (4, 1); « Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te » (4, 7). Quae omnia quamvis primo de spirituali pulchritudine dicantur, de corporali etiam pulchritudine haud inepte intelliguntur.

2) LITURGIAE, quae B. Virginis pulchritudinem non semel ostendit. « Quo abiit dilectus tuus, o pulcherrima mulierum? » (*In festo VII dolorum*); « Nigra sum sed formosa, filiae Ierusalem, ideo dilexit me Rex et introduxit me in cubiculum suum » (Ant. 3, in *Vesp. B. M. V.*); « Quae est ista quae ascendit sicut aurora consurgens; pulchra ut luna, electa ut sol? » (ant. ad *Benedictus* in festo Assumpt.); « Gaude Virgo gloriosa — super omnes speciosa, — vale o valde decora, — et pro nobis Christum exora! » (ant. *Ave, Regina Coelorum*).

3) PATRUM ET SCRIPTORUM qui variis et aptis formulis pulchritudinem B. Virginis celebrant: ¹ a) PSEUDO-GREGORIUS NAZIANZENSIS exclamat: « O Virgo, quae formae nitore caeteris praeis! » (carmen de *Christo patiente*, inter op. S. Greg. Naz., PG 38, 147); b) GEORGIUS NICOMEDIENSIS exclamat: « O pulcherrima pulchritudo omnium pulchritudinum! » (*Orat. I, in praesent. Deip.*, PG 100, 1416); c) S. ANDREAS HIEROSOLYMITANUS, B. Virginem appellat viventem statuam ab ipso Deo exulptam, imaginem vivam pulchritudinis supremae (serm. 1 *De dormit. SS. Deip.*, PG 97, 68, 1092); d) S. ANSELMUS illam invocat: « O pulchra ad intuendum, amabilis ad contemplandum, delectabilis ad amandum, quo evadis capacitatem cordis mei » (Or. 51, [52] PL 158, 55); e) pro S. BERNARDO, B. Virgo est « corporis decore perfulgida, specie sua et pulchritudine in caelestibus cognita » (Homil., 2 super *Missus est*, PL 183, 62).

II. Ratione: 1) *Ratione trium notarum pro pulchritudine requisitarum*. Ad pulchritudinem enim tria, prout praenotavimus, requiruntur, videlicet: corporis integritas, proportio membrorum et claritas venustasque coloris. Atqui haec tria excellentissime in B. Virgine fuerunt. Ergo...

Ad Min. Quod in B. Virgine fuerint corporis integritas et proportio membrorum ex hoc praesertim patet quod corpus eius fuit miraculose, ob parentum sterilitatem, formatum, et opera miraculosa — prout docet S. Thomas — perfectiora sunt operibus non miraculosis. Quoad claritatem et venustatem coloris, animadvertendum est quod eiusmodi fulgor fuit quibusdam Sanctis concessus, et ideo non est Mariae negandus. Si facies Moysis, e. g., resplenduit ex colloquio

¹ Apocrypha sunt verba illa quae inveniuntur in Epistola quadam ad S. Paulum, *Dionysio Areopagitae* tributa: « Testor... si divina doctrina non me docuisset, hanc verum Deum esse credidissem » (Ap. CARTAGEN., l. 2, nom. 5, vol. 1, Neapoli, 1857, p. 110).

cum divinitate (Exod. 48, 32, 33) ita ut filii Israel non possent intendere in faciem eius, quanto maiore splendore fulgere non debuit facies Mariae quae erat veluti immersa in splendidissimae Deitatis abyssonibus?... Animae claritas certissime redundavit in corpus. Imo, ex hac mira claritate, quae B. Virginis vultum decorabat, quidam explicant modum quo Simeon inter omnes mulieres B. Virginem agnoscere potuerit.

2) *Ratione animae.* Quo nobilior est anima eo nobilior et pulchrior est corpus cui unitur. Atqui anima B. Virginis nobilissima fuit, post animam Filii. Ergo...

Ad Min. « Corpus humanum — prout arguit S. Albertus M. — est nobilior omnibus brutorum propter unionem ad animam rationalem; ergo nobilitas in corporibus intenditur ad nobilitatem animae ad quam ordinatur; forma enim et materia debent esse proportionata; sed anima beatissimae Virginis fuit nobilissima post animam Filii Dei: ergo et corpus eius erit nobilissimum et pulcherrimum post corpus Filii Dei » (*Mariale*, q. 15).

3) *Ratione propinquitatis ad divinitatem* « Corpus unitum divinitati — arguit S. Albertus M. — perfectissimum est in pulchritudine, ita etiam quod Angeli desiderant in ipsam prospicere; ergo corpus immediate ordinatum ad ipsum, erit secundo loco pulcherrimum: hoc autem est corpus Matris unde formabatur illud quod Divinitati uniebatur: ergo erit illud secundo loco pulcherrimum » (*Mariale*, q. 15).

4) *Ratione pulchritudinis Filii.* Quo pulchrior est filius, eo pulchrior vi ordinariae legis naturae, est mater. Atqui Filius B. Virginis pulcherrimus fuit. Ergo et mater pulcherrima fuit.

Ad Mai. Filii enim parentum et praesertim matris imaginem referunt, iuxta illud: Filii matrizant. « Secundum philosophum — animadvertit S. Antoninus — naturae est vis insita rebus, ex simili similem procreans. Nisi ergo natura impediatur vel erret, filius erit similis patri vel matri. Unde sequitur quod Filius, qui nascitur de Matre, et non de patre, tali operante quod impediri non potest nec errare, scilicet Deo, ibi necesse Filium fieri similem Matri et e converso: sed ipse est pulcherrimus, iuxta illud: “ speciosus forma prae filiis hominum ” et “ in ipsum desiderant Angeli prospicere ” — Ergo Virgo Deipara est pulcherrima » (p. IV, t. 15).¹

Adiungi potest quod haec mirabilis pulchritudo, castas cogitationes in intuentibus fovebat, quia ex animae pulchritudine procedebat.

¹ Si quis cognoscere velit varias opiniones circa vultum B. Virginis, adeat BOURASSÉ, *Summa Aurea*, vol. 7, coll. 860-67.

CAP. II – DE PASSIBILITATE B. M. V.

Ratio quaestionis. Quaestione de perfectione corporis B. M. Virginis absoluta, primum est ut de eiusdem defectibus, cuius radix corpus existit, sermo instituat, et primo quidem de passibilitate.

Quid et quotuplex sit passibilitas. Passibilitas est subiectio passioni. Passio autem dupliciter sumitur: *sensu lato* et *sensu stricto*.

a) Passio *sensu lato* seu improprio est illa quae secundum quamcumque mutationem contingit, etiam secundum mutationem quae ad naturae perfectionem pertineat, qualis est, e. g., in parte rationali, intelligere, in parte sensitiva, sentire, in parte vegetativa, dormire.

b) Passio *sensu stricto* et proprio est illa quae contingit secundum mutationem qua removetur patiens a naturali sua dispositione et transmutatur in deterius.

Passio stricte seu proprie dicta subdividitur in *corporalem* et *animalem*:

a) Passio *corporalis* est illa quae provenit ex corporis laesione vel organorum irritatione, e. g. digiti adustio, fames, sitis, defatigatio etc. Cum enim anima sit forma substantialis corporis, et ideo cum unum sit esse animae et corporis, consequenter, corpore per aliquam laesionem perturbato, anima etiam per accidens, ad corporis perturbationem, perturbatur, scilicet quantum ad esse quod habet in corpore. Vocatur *corporalis* quia incipit a corpore et terminatur in anima.

b) Passio *animalis* est illa quam anima experitur secundum motus seu affectiones appetitus sensitivi, quae affectiones non fiunt sine transmutatione corporea seu sine organica commotione; e. g. amor, timor, dolor etc. Vocatur *animalis* quia incipit in anima et terminatur in corpore. Passiones istae undecim numerantur, ex quibus sex pertinent ad appetitum concupiscibilem, videlicet, *amor* et *odium* quibus simpliciter inclinamur in bonum vel avertimur a malo, praescindendo ab eius praesentia vel absentia; *desiderium* et *fuga*, quibus ferimur in bonum absens et avertimur a malo futuro; *gaudium* et *tristitia* quae sunt de bono vel de malo praesenti. Aliae quinque ad appetitum irascibilem pertinent, videlicet: *spes* et *desperatio* quibus movemur in bonum arduum sed adeptu possibile, vel recedimus a bono arduo, sed adeptu impossibili; *audacia* et *timor*, quae versantur circa malum imminens evitabile, licet cum difficultate, vel inevitabile, seu cui de facili resisti non potest; et tandem *ira* quae versatur circa malum praesens arduum, non ad hoc ut penitus vitetur, cum iam adsit, sed ad hoc ut ultione et vindicta damnum resarciatur.

Divisio quaestionis. Quae cum ita sint, si agatur de passione late seu *improprie dicta*, patet omnino B. Virginem passibilem fuisse; ordo enim naturalis postu-

labat ut intellectus et voluntas, vires quoque vegetativae et sensitivae perficiantur, et harum virium perfectio in operatione consistit.

Quaestio itaque fit de passione vere et *proprie dicta* seu de passione sive *corporali* sive *animali* et praesertim de dolore. Hinc duo articuli:

- 1) De subiectione B. M. Virginis passionibus et praesertim dolori.
- 2) De modo quo B. Virgo animi dolorem sustinuit.

Art. I – DE SUBIECTIONE B. M. V. PASSIONIBUS ET PRAESERTIM DOLORI

Passibilitas corporalis, ut iam diximus, est illa quae provenit ex corporis laesione vel organorum irritatione.

Errores. Erraverunt circa hoc *Valentiniani* et *Collyridiani* qui putaverunt B. Virginem habuisse corpus non terrenum sed coeleste, quod proinde pati non poterat.

Mariam vere doluisse, inanibus coniecturis negarunt quidam Novatores, inter quos Bullingerus qui, ut refert Fr. Carthagenas (I, 12, Homil., 1), acriter Monachos¹ arguit, quod Deiparae Mariae acerbissimos dolores populo ad compatiendum proponerent.

Prop.: *B. Virgo passioni proprie dictae vere subiecta fuit, praesertim dolori, I) sive corporis, II) sive animi.*

Prima pars: *B. Virgo passioni proprie dictae vere subiecta fuit, praesertim dolori.*

Prob.: I. Auctoritate THEOLOGORUM: B. Virgo, iuxta omnes, sicut Christus, habuit defectus qui communiter in hominibus inveniuntur, ut sunt fames, sitis, frigus, lassitudo etc. Ergo, passioni corporali subiacuit. Impossibile enim est corpus talibus defectibus premi, quin anima, quae est ei substantialiter unita, per accidens patiatur.

II. Ratione: Subiectio passioni corporali maxime conveniens erat: 1) *Ratione ordinariae conditionis humanae naturae* quae est ut sit passioni corporali subiecta, sine qua tam B. Virgo quam Filius eius, corpus potius phantasticum quam reale habuisse viderentur.

2) *Ratione similitudinis cum Filio*, qui illas corporales passiones pro humani generis redemptione assumere non recusavit; iamvero, parum congruum esset si tales passiones corporales in Matre defuissent quae « consors cum Eo extitit

¹ Habetur hic evidens allusio ad Fratres Ordinis Servorum B. M. V., cuius scopus praecipuus est devotionem erga dolores Virginis fovere.

laboriosae pro humano genere expiationis » (Leo XIII, enc. *Iucunda semper*, 8 sept. 1894).

3) *Ratione exempli et meriti*: exemplum enim nobis non dedisset et thesaurum meritorum non habuisset, si harum passionum corporalium patienter superandi occasionem non habuisset.

Secunda pars: Prob.: I. Auctoritate: 1) S. SCRIPTURAE: a) Simeon, Spiritu divino actus, cum puerum Iesum in ulnis susciperet, prophetavit, Virgini dicens: « Ecce positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum in Israël et in signum cui contradicetur; et tuam ipsius animam pertransibit gladius » (Luc., 2, 30-35).

Gladius a S. Simeone praedictus a) non est gladius materialis, eo quod B. Virgo non ferro aut morte violenta ex hac vita migravit; nec est b) gladius dubitationis in fide durante Christi passione, prout alibi iam ostendimus; sed est summus animi dolor et summa tristitia quam B. Virgo passa est praesertim in Filii passione cum « stabat iuxta crucem ».

Et iure quidem. Licet enim passio et mors Christi Filii sui, *ratione finis* ad quem ordinabantur, i. e. salus hominis et gloria Dei, ultro a B. Virgine amplecterentur, tamen, in *seipsis consideratae*, eius voluntati naturali adversabantur, et ideo summam tristitiam in ipsa causabant. ¹

2) SS. PATRUM ET SCRIPTORUM qui praefata verba Simeonis interpretati sunt de summo dolore qui tamquam gladius animam B. Virginis in Passione et morte Filii sui pertransivit. Ita S. EPHRAEM: « O Simeon admirande, ecce gladius, quo cor meum trajiciendum praedixisti: ecce gladius, ecce vulnus, mi Filii et Deus meus. Mors tua cor meum subiit, disrupta sunt mea viscera, lumen meum obscuratum est, pectusque meum dirus gladius pertransit » (*Threni gloriosissimae Virginis Matris Mariae*, Romae, 1598, t. 3, p. 199).

S. BEDA VEN.: « Tuam ipsius animam pertransibit gladius, id est, dolor passionis Dominicae; quia non potuit videre eum crucifigi sine affectu materni doloris, etsi speraret eundem resurrecturum et mortem devicturum » (*Exposit. in Lucam*, l. 1, PL 92, 346).

EADMERUS: « Vere pertransivit animam tuam gladius doloris qui tibi amarior fuit omnibus doloribus cuiusvis passionis corporeae; quidquid enim crudelitatis inflictum est corporibus martyrum, leve fuit aut potius nihil, comparatione tuae passionis, quae nimirum sua immensitate transfixit cuncta penetralia tua tuique benignissimi cordis intima » (L. *De Excellentia B. V. M.*, c. 5 inter Op. S. Anselmi, PL 159, 507).

¹ Recolatur hic distinctio inter voluntatem *ut natura* et voluntatem *ut ratio*: prima considerat bonum absolute et sine respectu ad finem; secunda vero considerat bonum per respectum ad finem.

II. Ratione: « Obiectum et motivum tristitiae — ait S. Thomas — est nocivum, seu malum interius apprehensum sive per rationem sive per imaginationem » (3, q. 15, a. 6). Atqui B. Virgo plura mala interius apprehendit sive per rationem sive per imaginationem. Ergo...

Ad Min. Etenim B. Virgo plura mala interius apprehendebat a) sive *relate ad semetipsam* in variis dolorosis circumstantiis in quibus, toto vitae tempore, fuit: b) sive *relate ad alios*, ut proditio Iudae, peccatum Petri, et Iudaeorum Christum persequentium et occidentium, plurimum aeterna perditio, non obstantibus Christi et sui cordis doloribus; sive praesertim c) *relate ad Christum* Filium suum quem supra seipsam ardentissime diligebat, quemque passioni atrocissimae et morti crudelissimae subiectum, suis maternis oculis aspiciebat. Haec autem Christi passio et mors, quae eius tristitiae potissima causa fuit (unde eius dolor *Compassio* iure dictus est) toto vitae suae tempore cor eius oppressit. Noverat enim Christi Passionem et circumstantias multo exploratius quam Isaias, David etc.

STOICORUM OBIECTIO. Stoici tenebant tristitiam nullatenus in animum viri perfecte sapientis cadere posse, hac ratione ducti, quod cum reputarent non esse aliquod bonum nisi honestum, et malum nisi inhonestum, ideo tristitiam dicebant esse solummodo de malo morali, scilicet de amissione iustitiae et virtutis, quam amissionem vir sapiens minime patitur. At in hoc graviter errabant. Quamvis enim honestum sit principale hominis bonum, quia hoc pertinet ad ipsam rationem quae est principalis in homine, sunt tamen quaedam secundaria hominis bona quae pertinent ad ipsum corpus, vel ad exteriores res corpori deservientes, et secundum hoc potest in animo sapientis esse tristitia quantum ad appetitum sensitivum, secundum apprehensionem huiusmodi malorum. Quocirca, non repugnat plenitudini sanctitatis et gratiae Virginis Beatae, ponere in ipsa passionem profundae tristitiae.

Iure ergo, stoicorum opinio tamquam stolidam habetur, et iure quidam ita illam alloquebatur: « O philosophia! tyrannica sunt praecepta tua: amare iubes, et si quis amisit quod amabat, dolere prohibes!... ».

Art. 2 – DE MODO QUO B. VIRGO ANIMI DOLOREM SUSTINUIT

Sententiae reprobandae. « Multa sunt — iure animadvertit Card. Lépiciér¹ — quae in liberculis sic dictis devotionis, continentur, a tantae Dominae excellentia prorsus aliena, quibus non vera quidem, sed ficta, pietati minus proficua, qualiscumque devotio, fovetur.

« Sic quippe passim legitur Mariam, sub Cruce Filii, absque miraculo diutius vivere non potuisse, quasi fortitudinis virtus, quae ex immensa gratia qua erat

¹ O. c., p. 350.

ornata, insignis in ipsa prodibat, sufficiens non fuerit, iuxta dulcem Dei providentiam, opportuna necessitatibus auxilia disponentis, illi congrue sustentandae. Sic pariter Maria interdum misera Mater appellatur, quasi misera esse potuerit, quae tot gratiae cumulis tunc afficiebatur, et sua cooperatione mundum salvari videbat. Haud raro etiam a scriptoribus aut a praedicatoribus, ita, ad auditores vel lectores commovendos, describitur Mariae dolor, ut omni prorsus consolatione illa tunc caruisse dicatur, quasi superior illius animae pars ab inferiore, ut in nobis saepe accidit, opprimeretur. Demum a quibusdam edicitur, in eo quod nos Mariae Christus filios dederit, filiorum commutationem locum habuisse, hominibus scilicet Christo succedentibus, quasi Christus desierit aut unquam desinere possit esse Filius Mariae ».

Insuper non pauci, B. Virgini spasmus vel mentis deliquium in Passione Christi attribuerunt.¹ Sententia haec hausta videtur ex libro *De Lamentatione Virginis*, qui S. Bernardo falso tributus est, in quo legitur: « Iuxta crucem stabat Christi emortua Mater, vox illi non erat, quia dolore attrita pallens iacebat, quasi mortua vivens, vivebat moriens; prae doloris vehementia et amoris immensitate quasi examinis facta fuit ». Hanc vero sententiam amplexus est pius auctor operis *Medit. vitae Chr.* (c. 77), asserens B. Virginem, prae nimio dolore et angustia semimortuam fuisse, et semimortuam inter brachia Mariae Magdalenae corruisse. Hoc etiam tenuerunt S. Laurentius Iustiniani (*De triumphali agone Christi*, c. 21), *Dionysius Carthusianus* (in cap. 19, Ioannis) et S. *Birgitta* in suis revelationibus (l. 1, c. 10, et l. 4, c. 70).

Imo, in Terra sancta, in loco ubi B. Virgo, Christo obviam facta, spasmus passa est, S. Helena — teste Quaresmo, Commissario Apostolico — aediculam extruxit, et petram illam, supra quam B. Virgo cecidit, supra aram maximam collocavit (cfr BENEDICTUS XIV, *De festis B. M. V.*, l. 2, c. 4). Et card. Caietanus refert suo tempore celebratam fuisse festivitatem Spasmi B. M. V. cum Octava. Cum vero pii quidam homines postulassent a Pontifice indulgentiam pro illa festivitate, card. Caietanus rogatus fuit ut suam, ea de re, sententiam aperiret. Caietanus opusculum conscripsit in quo demonstravit falso affirmari B. Virginem ullo spasmi genere fuisse correptam. Sententia haec de Spasmo B. M. V. a Maldonato *errori affinis* (in Ioan., c. 19), et a Medina *temeraria, scandalosa et periculosa* qualificatur (in 3, q. 27, a. 4). Et iure meritoque, ut statim videbimus.

¹ *Spasmus*, iuxta Card. Caietanum (qui scripsit opusculum *de Spasmo B. M. V.*, Romae, 1503), est quid, ex vehementi dolore ortum, quo, interioribus contractis corporis partibus, perturbatisque sensuum sedibus, homo fit rationis ususque sensuum omnino impos; rursus aliud est spasmi genus, quo, membris frigescentibus, ita deficient vires, ut, quamquam rationis usus et sensum homo retineat, pedibus tamen stare non possit.

Prob.: B. Virgo I) quamvis maximos et ineffabiles animi dolores passa sit, tamen II) neque spasnum passa est, neque a dolore oppressa remansit.

Prima pars: B. Virgo maximos et ineffabiles dolores passa est.

Prob.: I. Auctoritate: I) SCRIPTORUM ECCLESIAE, qui magnitudinem doloris B. M. V. multiplicibus modis extollunt (cfr LÉPICIER, o. c., pp. 342-346). Ita S. BERNARDINUS SENENSIS causas dolorum Virginis exponit: « Quatuor fuerunt, ex quibus quasi quadam commixtione, causabatur in Beata Virgine maxima amaritudo vel immensa; primo, ea quae vidit in Filio; secundo, ea quae vidit circa Filium in amicis fugientibus; tertio, ea quae vidit circa Filium in inimicis persequentibus; quarto, ea quae considerabat in occurrentibus: quasi fuerunt in ea aspectus commixti: primus, respectu Filii; secundus, respectu amici; tertius, respectu inimici; quartus, respectu sui » (*Serm. II, de B. M. V.*, art. 3, t. 4, p. 80).

Et S. FRANCISCUS SALESIUS: « Plusieurs amans sacrés furent présents à la mort du Sauveur; entre lesquels, ceux qui eurent le plus d'amour eurent le plus de deuleur, car l'amour alhors estait tout détrempé en la douleur, et la douleur en l'amour, et tous ceux qui pour leu Sauveur estoient passionés d'amour furent amoureux de sa Passion et douleur. Mays la douce Mère, qui aymoît plus que tous, fut plus que tous outrepercée du glaive de douleur: la douleur du Filz fut alhors une épée tranchante qui passa au travers du cœur de la Mère, d'autant que ce cœur de mère estait collé, joint et uni à son Filz d'une union si parfaite, que rien ne pouvait blesser l'un qu'il ne navrait aussi vivement l'autre. Or cette poitrine maternelle estant ainsy blessée d'amour, non seulement ne chercha pas la guérion de sa blesseure, mais ayma sa blesseure plus que toute guérison, gardant chèrement les traits de douleur qu'elle avait reçus, à cause de l'amour qui les avait déschochés dans son cœur, et désirant continuellement d'en mourir, puisque son Fils en estait mort, qui comme dit toute l'Escriture Sainte, et tous les docteurs, mourut entre les flammes de la charité, holocauste parfait pour les péchés du monde » (*Traité de l'amour de Dieu*, l. 7, c. 13).

2) LITURGIAE, in qua in honorem huius ineffabilis doloris speciale festum habetur.

Iuvat hic pulcherrima verba referre quae in Missali Ambrosiano inveniuntur in praefatione festi Septem Dolorum Beatae Mariae Virginis: « ... Per Christum Dominum nostrum. Cuius sacratissima Humanitas ligno crucis suspensa, astante Virgine Matre, Adae posteros, vetitae arboris attacku iustae morti addictos, ad aeternam vitam misericorditer revocavit. Vulnera, quae Iudaeorum perfidia castissimis Iesu Christi membris infligebat, fortis dilectio in dulcissimae Matris corde renovabat. Christus ad delenda hominum peccata mortem subire non timuit: Maria proprium pectum, morientis Filii doloris aemulum, immolavit. In corpore Christus, in mente crucifixus erat Maria: et crudelis lancea, quae Filio iam mortuo dolorem afferre non potuit, Matris animam saevissimo vulnere pertransivit. Quapropter mutuae huius passionis memoriam hodierna celebritate recolentes, tibi, Pater omnipotens, qui ad salvandos nos homines unigenito Filio tuo parcere noluisti, debitas laudes referimus, supplici confessione dicentes: Sanctus ».

II. Ratione: Magnitudo doloris B. M. V. ex consideratione *quatuor causarum* eiusdem quam maxime elucet, id est, ex consideratione causae *materialis, formalis, efficientis* et *finalis*.

1) CAUSA MATERIALIS doloris B. M. Virginis fuit maxima eius sive secundum corpus sive praesertim secundum animam perceptio, cum eius inferiores vires clarissime apprehendebant omnia et singula mala quae fuerunt tristitiae causa.

2) CAUSA FORMALIS doloris fuit ardentissimus B. Virginis amor erga Filium suum, quem suis oculis videbat tot tantisque doloribus et ignominiiis subiectum. Mensura enim doloris est amor; et ideo, quo magis aliquem diligimus, eo magis de illius doloribus affligimur.¹

3) CAUSA EFFICIENS doloris B. M. V. fuit atrocissima *Passio* Filii, quam suis oculis conspexit, nec non causa eiusdem passionis, videlicet *peccatum*, cuius infinitatem in malitia vivide percipiebat; quod est enim causa causae, est etiam causa causati. Nec omitti debet consideratio inutilitatis, pro multis, sive Passionis Filii sui, sive propriae compassionis: etenim, privatio finis gravior est quam omnia quae sunt ad finem.

4) CAUSA FINALIS dolorum B. Virginis eadem fuit ac causa finalis dolorum Christi, videlicet, redemptio generis humani, satisfaciendo pro culpis omnium. Iamvero, sicut dolores Christi superiores fuerunt doloribus omnium hominum simul sumptorum, quia ad omnium redemptionem ordinabantur, ita et dolores B. Virginis. Ex magnitudine ergo finis deduci potest etiam magnitudo mediorum ad finem, id est, magnitudo dolorum.

Ceterum aequum est ut ille magis patiatur pro quo Christus magis passus est. Atqui Christus magis passus est pro matre sua redimenda (qui redempta fuit redemptione *praeservativa*) quam pro omnibus aliis redimendis (quia redempti fuerunt redemptione *liberativa*). Ergo...

Animadvertendum etiam est dolorem Virginis fuisse dolorem *maternum*. Iamvero, parentes non *miserentur* de doloribus filiorum sed *dolent* tamquam *de propriis* doloribus, prout docet Angelicus: « Sicut misericordia non est proprie ad seipsum, sed *dolor*, puta cum patimur aliquid crudele in nobis, ita etiam, si sint aliquae personae ita nobis coniunctae, ut sint *aliquid nostri*, puta *fili* aut *parentes*, in eorum malis non miseremur sed dolemus *sicut de vulneribus propriis* » (2. 2. ae, q. 30, a. 1, ad 2).

Iure ergo B. Virgo *Martyr*, imo *Regina Martyrum* (non proprie sed secundum similitudinem) ab Ecclesia appellatur (cfr LÉPICIER o. c., pp. 338-341). Haec omnia bene meditentur fideles qui — prout pulchre animadvertit P. Dourche —

¹ Pulchre cecinit Arici: « Come l'eco solitaria — rende intera altrui la voce — ripercuote nella misera — il dolor di quella croce. — Col Figliol trafitta anch'Ella — della croce si suggella » (*Maria Addolorata*).

« pare che non veggano di Maria se non la luminosa aureola di cui i pittori si compiacciono di circondare la fronte, e i privilegi che su di Lei discendono come rugiada dal Cielo » (*La Tutta Santa*, p. 188).

Secunda pars: *B. Virgo neque spasmus passa est, neque a dolore oppressa remansit.*

Prob.: I. Auctoritate: PATRUM ET SCRIPTORUM:

S. AMBROSIIUS: « Stabat ante crucem Mater, et fugientibus viris stabat intrepida... Stabat non degeneri Mater spectaculo, quae non metuebat peremptorem. Pendebat in cruce Filius, Mater se persecutoribus offerebat » (PL 16, 1270). Quinimmo B. Virginem, iuxta crucem, nec flevisse affirmare non renuit: « Stantem lego, flentem non lego » (ibid.); « quamquam hoc verius — animadvertit Lépicier — affirmari potest, cum lacrymae naturaliter prorumpant non solum ex tristitia sed etiam ex quadam affectus teneritudine (2.a 2.ae, q. 82, a. 4, ad 3m), et ipsemet Christus pluries in sua vita mortali illacrymatus esse narretur ». ¹

RICHARDUS A S. VICTORE: « Absit ut dicamus vel credamus Beatam Virginem Mariam, propter metum patiendi vel timorem cadendi, mortis desiderio urgeri. De nullo enim sanctorum rectius creditur quam de ipsa, quod parata fuerit semper quantum in ipsa fuit, ad omnia tormentorum genera pro Christi nomine sustinenda. Metu vero cadendi quomodo urgeri potuit, quae in carne, qua Christi carnem genuit, nutrit, nil contradictionis portavit? » (*De sacrif. Abrahae et Mariae*, Rother., 1650, p. 396).

S. ANTONINUS: « Stabat verecunda, modesta, lacrymis plena, doloribus immersa; ita tamen divinae voluntati conformis, quod, ut Anselmus ait, si oportuisset, ad implendam secundum rationem voluntatem Dei, ipsa Filium in crucem posuisset atque obtulisset; neque enim minoris fuit oboedientiae, addo, et fortitudinis, quam Abraham » (p. IV, tit. 15, c. 41, par. 1).

II. Ratione: 1) *Ratione pleni domini in passiones et facultates inferiores:* B. Virgo enim plenum habuit dominium super omnes passiones et ideo illas ita regebat ut nihil indecorum in eis permitteret. Atqui indecorum fuisset, propter partis inferioris tristitiam, corporis viribus et rationis usu privari. Ergo...

2) *Ratione officii Corredemptricis,* removeri debebant a B. Virgine illi omnes defectus qui cum ipso componi non possunt. Atqui dolor, corporis vires et usum rationis auferens, est defectus qui cum officio Corredemptricis componi non potest. Ergo...

Ad Min. Etenim, talis privatio virium aut usus rationis meritorum cursum interrupisset, et quidem, eo tempore quo plurima merendi occasione donabatur.

¹ LÉPICIER, l. c., p. 349.

Insuper, cum pars intellectiva sit sensitiva nobilior, conveniens erat ut B. Virgo compateretur Filio magis secundum partem intellectivam (quia est proprie meritoria et per se talis) quam secundum partem sensitivam: quod fieri non potuisset, si B. Virgo rationis usum tunc amisisset.

3) *Ratione plenitudinis gratiae*: « Cum enim (Maria) — scribit Caietanus l. c. — fuerit gratia plena, oportet corporales defectus de ea negare, qui plenitudinem perfectionemque gratiae impediunt ». Atqui dolor usum virium et rationis aufereus, plenitudinem perfectionemque gratiae impedit. Ergo...

Hic animadverti debet, non recte dici Deiparam, cum tot doloribus in Filii sui passione premeretur, nonnisi *per miraculum* in vita fuisse conservatam. Etenim, prout iure animadvertit Card. Lépicier,¹ tenere debemus « ad tantos dolores sustinendos, Deiparae sufficientem fuisse virtutem fortitudinis, quae tanto maior in ea erat, quanto ampliori gratia donabatur. Atqui crescente dolore, crescebat Deiparae meritum, crescebat et gratia; consequenter crescebat virtus fortitudinis, in tantum ut nihil prorsus esset cui ferendo impar existeret generosa Virgo ».

Addi etiam potest ineffabiles dolores B. Virginis nedum cum ineffabili tranquillitate et *pace* interiori sed etiam cum ineffabili *gaudio* coniunctos fuisse, sive ob plenum dominium suarum passionum, sive ob perfectissimam voluntatis suae cum voluntate Dei conformitatem in omnibus, sive ob continuam contemplationem Dei cum fervidissimo amore coniunctam, sive ob suavissimam illam dulcedinem qua anima eius, in transeunte Dei visione interdum irrorata fuit, tum praesertim ob considerationem fructuum passionis Filii sui, nempe gloriae Dei, et hominum salutis.

« Summum tristabile — ut ait S. Albertus M., quem refert Dionysius Carthusianus — in tali genere materiae est dupliciter accipere. Uno modo ut summe contrarium appetitui, et sic summum infert dolorem; alio modo prout est via et medium ad summum delectabile, sicque infert gaudium summum. Et sic anima beatissimae Virginis apprehendit mortem Filii, ut summe contraria appetitui eius naturali, et sic intulit ei summum dolorem. Et ut medium in redemptionem generis humani, et sic causavit in ea summam delectationem, et possunt haec simul esse, quia unum materia est ad alterum » (*De laud. glor. Virg. Mariae*, l. 3, a. 25).

Hinc merito Ecclesia Parisiensis in quodam hymno de B. Virgine canebat:

« Non eiulantem cernimus,
non unguis vellentem comas,
silensque plus novit pati
virtus dolore fortior ».

¹ O. c., p. 348.

QUAESTIO SPECIALIS

STATUS IUSTITIAE ORIGINALIS FUITNE MARIAE CONCESSUS?¹

Mos est apud auctores etiam hodiernos quaestionem de mortalitate et passibilitate B. M. Virginis plus minusve absolute absque ullo vel fere ullo respectu ad statum iustitiae originalis pertractare. Qua via et ratione non semper, uti oportet, quaestio proposita solvitur. Cum enim immortalitas sit unum ex donis praeternaturalibus homini, a liberalitate divina, in statu innocentiae seu iustitiae originalis concessum, quaestio quae circa tale privilegium versatur ampliori modo, ut patet, pertractari debet, et ideo loco quaerendi, prout auctores facere solent: « B. Virgo fuit ne de iure immortalis et impassibilis?... », magis logice quaeri deberet: « Status iustitiae originalis fuitne B. M. Virgini concessus? ». Hoc modo tantummodo quaestio quae inter hodiernos theologos sat acriter agitur, legitime solvi potest.

Praemissis ergo notionibus iustitiae originalis, duplicem de hac re sententiam nec non eorum praecipua argumenta exponemus, et rationibus omnibus ad trutinam revocatis, conclusionem, quae nobis verior videtur, proponemus.

1) **Quid sit status iustitiae originalis.** Definitio perfecta difficulter dari potest, eo quod theologicus conceptus de iustitia originali est adhuc valde controversus. Omnes tamen Theologi tenent statum iustitiae originalis, seu statum in quo inveniebatur Adam ante culpam, cumulum importare donorum supernaturalium et praeternaturalium quae ad hominem supra suam conditionem elevandum ordinabantur, ad illum videlicet, ex una parte, ad finem supernaturalem elevandum et ex alia parte ad illos defectus humanos corrigendos qui obstaculum constituere poterant ad talem finem assequendum. Dona ista ergo, harmoniam quamdam in homine constituebant et ordinem inter varias suas partes et potentias ponebant; corpus enim animae, facultates inferiores facultatibus superioribus et ratio voluntati Dei subdebantur. Originalis ergo iustitia erat principium quoddam rectitudinis pro homine, quod humanae naturae, ratione suorum elementorum constitutivorum, minime debebatur. Definiri itaque potest: « Rectitudo perfecta, gratuito a Deo homini, ante peccatum concessa ». Rectificatio ista defectuum naturalium effecta est per dona praeternaturalia: Mors per donum *immortalitatis et impassibilitatis*, concupiscentia per donum *integritatis*, ignorantia per donum *scientiae*. Dona haec quae, simul cum dono supernaturali gratiae sanctificantis, elementa constituebant iustitiae originalis, transmitti debebant

¹ Cfr KEUPPENS, *Mariologiae compendium*, pp. 67-69; MICHEL, *Justice Originelle*, in *Dict. de Théol. Cath.*, t. 8², coll. 2020-2042.

descendentibus Adam, si fidelis Deo remansisset. « Erat enim haec rectitudo — docet S. Thomas — secundum hoc quod ratio subdebatur Deo, rationi vero inferiores vires, et animae corpus » (*S. Th.*, p. I, q. 95, a. 1). Prima subiectio (i. e. subiectio rationis Deo) erat causa secundae et tertiae.

Ex dictis sequitur iustitiam originalem consistere *primario* in subiectione rationis ad Deum, et *secundario* (quamvis essentialiter) in subiectione inferioris partis ad superiorem (seu in immunitate a concupiscentia) et in subiectione corporis ad animam (seu in liberatione a necessitate moriendi et patiendi).

Tres ergo illae subiectiones, in quibus consistebat rectitudo primi hominis, seu *iustitia originalis*, ita se habent ut *prima*, seu subiectio supernaturalis voluntatis ad Deum, constituatur *formaliter* per gratiam sanctificantem; *secunda* vero et *tertia*, causentur *efficienter*, ex consequenti, a prima. Tertia subiectio solum lato sensu ad iustitiam pertinet, cum agatur de dominio animae in corpus; secunda vero adiuvat et complet *iustitiam ut materiale* eius: est enim immunitas a concupiscentia; prima, tandem, est iustitia seu sanctitas *formaliter*: est enim supernaturalis subiectio voluntatis ad Deum.

Hisce positis, quaeritur: B. Virgo estne gavis a hac triplici subiectione?...

Si agatur de prima et de secunda subiectione, nulla dubitatio oriri potest, et utramque, de facto, omnes Theologi admittunt.

Si vero agatur de tertia subiectione, disputatur: quidam enim affirmant; quidam vero negant. Hinc duplex habetur sententia.

2) **Prima sententia**, quae iam a Petro Galatino, a Vega, a Beza, a Sedlmayr tenebatur, et inter recentiores defenditur praesertim a card. Lépicier (o. c., pp. 537 et s.), a Janssens (tract. *de Deo-Homine*, pars II, t. 5, p. 864) a P. Dourche (*La Tutta Santa*, pp. 188 et s.) ab Alastruey (*Mariologia*, pp. 483 et s.) tenet B. Virginem habuisse etiam donum praeternaturale immortalitatis et impassibilitatis, et ideo B. Virgini concessum fuisse statum iustitiae originalis simpliciter quoad omnia. Quamvis vero B. Virgo *de iure immortalis* et impassibilis fuisset, *de facto* tamen mortalis et passibilis fuit, eo quod statim a primo instanti vitae suae (utpote usu liberi arbitrii donata et a Deo circa valorem passionis in ordine actuali illustrata) huic iuri suo libere renuntiavit. Potest etiam dici quod B. Virgo de facto gavis a dono impassibilitatis, donec in die annunciationis, de suo munere Corredemptricis plene conscia, iuri suo libere valedixit ad hoc ut Filio suo Redemptori plenius sese conformaret et amorem suum maternum erga nos melius ostenderet: quod meritum B. Virginis magis extollit. ¹

¹ Hoc sensu Synodus Hierosolymitana, anno 1672 contra Calvinistas adunata, sua fecit haec verba Cyrilli Lucaris: « Verum eam gratiam (B. Virgo) obtinuit ut mortem si ita voluisset numquam obiret, sed coelum, etiamnum vitae compos, inferretur; hac tamen praerogativa uti noluit ».

3) **Secunda sententia**, quae defenditur a Suarez (Disp. 3, sect. 6, in IIIp.), a P. Terrien (II, pp. 322 et 325), a P. Hugon (*La Mère de grâce*, p. 190), a Gorriño (*Maria SS.*, pp. 60-61), etc., tenet B. Virginem non habuisse simpliciter statum iustitiae originalis, sed habuisse tantummodo principales effectus illius status, videlicet, gratiam sanctificantem et immunitatem a concupiscentia. Caruisset ergo dono immortalitatis et impassibilitatis, et ideo mortalitati et passibilitati naturaliter subiucuit, non quidem ratione peccati (quo caruit) sed unice quia tales defectus sunt homini *naturales*.

4) **Argumenta pro prima sententia**. Pro prima sententia argumenta haec a Card. Lépicier adducuntur, videlicet:

1. *Ex Bulla Ineffabilis Deus*: « Quapropter illam longe ante omnes angelicos spiritus, cunctosque sanctos, caelestium *omnium* charismatum copia de thesauro divinitatis deprompta ita mirifice cumulavit, ut ipsa ab omni prorsus peccati labe semper libera, ac tota pulchra et perfecta, eam *innocentiae* et sanctitatis *plenitudinem* prae se ferret qua maior sub Deo nullatenus intelligitur, et quam praeter Deum nemo assequi cogitando potest ». « Quibus verbis — animadvertit card. Lépicier — agnoscitur in augusta Virgine status originalis innocentiae, cum admirabili praerogativa sanctitatis. Atqui conditio immortalitatis erat adnexa ex gratuito beneficio statui iustitiae originalis: unde, quia sine poenitentia sunt dona... Dei, hinc nulla est ratio cur Beatissimae Virgini immortalitatis privilegium sit *de iure* denegandum ».

2. *Ex salutatione Angelica*: Angelus Mariam salutavit *gratia plenam*; iamvero, potius dici debuisset B. Virgo gratia ex parte carens, si mortis aculeo, qui est effectus peccati, de necessitate subiucisset. ¹

3. Deus, in initio, promisit se inimicitias constituturum inter diabolum et Mariam, et quidem, tales inimicitias quibus Deipara in nullo prorsus a daemone vinci debuerit; quod quidem non esset, si saltem ex parte mortis, quam ille sua invidia introduxit in orbem terrarum, victoriam in Mariam reportasset. ²

¹ Adiungi etiam potest: Pius IX in Bulla *Ineffabilis* docet quod Patres et Ecclesiae scriptores docuerunt, ex salutatione angelica ostendi B. Virginem numquam fuisse *maledicto obnoxiam* et una cum Filio suo fuisse *perpetuae benedictionis participem*. Benedictio ista est opposita communi maledictioni culpae originalis. Iamvero, maledictio peccati originalis, viris et mulieribus communis, triplex est: culpae, concupiscentiae et *mortis*. Ergo, quemadmodum B. Virgo effugit maledictionem culpae et concupiscentiae, ita etiam maledictionem *mortis* effugere debebat, et ideo *de iure* immortalis esse debebat. Frustra vero immunitas ab hac tertia maledictione ad solam impulverizationem corporis restringitur. Mors enim, sicut et impulverizatio, cuius est naturale consecrarium, ad illam maledictionem evidenter pertinet.

² Etiam hic adiungi potest quod Beata Virgo, prout apparet ex Gen. 3, 15, et prout docet explicitè Pius IX, iuxta Patres et Scriptores (in Bulla *Ineffabilis*) referre debebat supra serpentem *plenissimum* seu perfectissimum triumphum. Atqui si B. Virgo non triumphavit supra mortem (ab invidia diaboli in mundum introductam) non retulisset supra diabolum *plenissimum* trium

Igitur Beatissima Virgo cum Christo et caeteris hominibus ex parte convenit, et ex parte differt. Cum Christo et caeteris hominibus convenit in eo quod mortale corpus naturaliter habuerit, id est corpus quod ex principiis humanae carnis corruptibile est. Differt autem ab aliis hominibus, eo quod immortalitatem gratiae supra illos habuerit, quam etiam habuit Christus; sed tamen a Christo differt Beata Virgo, eo quod Christus, cum esset etiam comprehensor, immortalitatem gloriae habuisset, nisi permisisset carni agere et pati quae propria. Quapropter novissima Eva, in pristino originalis iustitiae statu constituta, sicut Evae veteris innocentiam aequavit, ita et immortalitatem de iure est assecuta.

Nec valet obicere quod gratiam quidem recuperaverit homo ad remissionem culpae et meritum gloriae, non vero ad amissae immortalitatis restitutionem: hoc enim valet pro iis qui in Adam peccaverunt, siquidem ait Apostolus: (Rom. 5, 12) *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransit, in quo omnes peccaverunt.* Sed nullo modo hoc valet pro Beata Virgine, quae in Adam minime peccavit, et in quam consequenter mors non pertransiit quantum ad causam illius *proximam*,¹ quae est subtractio iustitiae originalis. Unde sicut Christus, ex eo quod fuit sine peccato, non contraxit mortem, id est non habuit causam proximam mortis, quae est carentia iustitiae originalis, ita et Maria, quae ab omni originalis peccati labe fuit praeservata immunis, non debet dici contraxisse mortem, id est habuisse necessitatem proximam moriendi.

Sed nec obiciantur S. Augustini verba:² « Quia in (Christo) erat similitudo carnis peccati » etc., ex quibus deducit Angelicus conclusionem, Christum simpliciter necessitatem moriendi habuisse: — nimirum, quod aiunt eximii Doctores, intelligendum est, supposita ipsius Christi voluntate et libera mortis aliorumque defectuum susceptione; quae omnia proportionaliter valent pro incomparabili et gloriosissima Deipara, quam in omnibus, et signanter in praesenti re, dilecto suo Filio simillimam fuisse novimus.

4. Quamvis privilegium immortalitatis et impassibilitatis Adae concessum, pro universalitate generis humani fuerit revocatum, in illa tamen una, quae in Adam non peccavit, adhuc perdurare debuit.

5. Revocatio huius privilegii, quantumvis gratuiti, habet rationem poenae. Atqui poena mortis supponit peccatum, dicente S. Paulo: *Stipendia enim peccati mors.*³ Ergo privilegium immortalitatis non fuit revocatum pro Beata Virgine quae omnino non peccavit.

phum, eo quod in aliquo saltem ei cessisset. « Perfectissimum enim genus victoriae est, et pulcherrimum, *hosti numquam cessisse* » (*IV Sent.*, 49, 5, 3, qc. 1 ad 1. um). Mors enim est maxima poena et magna victoria illius qui dicitur *homicida ab initio*, iuxta illud: « Morte morieris ». Dolor, mors, impulverizatio etc. non sunt nisi plures adspectus *unius* eiusdemque maledictionis in paradiso a Deo prolatae. Unde, si unus adspectus illius maledictionis in B. Virgine non invenitur, rationalibiter ipsa maledictio (quoad omnes suos adspectus) excluditur.

¹ Duplex enim distingui debet causa mortis: *remota* et *proxima*.

² Lib. 2 de Pecc. mer. et rem., c. 29, n. 48, t. 12, col. 66.

³ Rom., 6, 23.

6. Privilegium immortalitatis est unum ex illis quae complexive revocata sunt in poenam peccati originalis, ut sunt, verbi gratia, immunitas ab ignorantia et a fomite, a debilitate naturali, a dolore in pariendo filios. Atqui haec omnia privilegia in Beata Virgine revocata non sunt: ergo nec immunitas a morte.

7. In propositione septuagesima tertia Michaëlis Baii, inter condemnatas a S. Pio V, Gregorio XII et Urbano VIII, legitur: « Nemo praeter Christum est absque peccato originali, hinc Beata Virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum, omnesque eius afflictiones in hac vita, sicut et aliorum iustorum fuerunt ultiones peccati actualis vel originalis ». Porro, sensus obvius damnatus in hac propositione non est quidem quod Beata Virgo mortua sit, sed quod mortua sit in poenam peccati originalis, quasi contraxerit peccatum originale, et in eius poenam ipsa debuerit mori sicut caeteri homines. Atqui Beata Virgo peccatum originale non contraxit. Ergo mortis debitum non habuit: unde hucusque, quod ad quaestionem iuris attinet, resolvendum est Beatam Virginem morti non subiacuisse, iuxta illa verba superius recitata: « Noli metuere, non morieris; non enim pro te, sed pro omnibus haec lex constituta est ». ¹ Haec argumenta allata a card. Lépiciier, ab aliis etiam auctoribus Mariologiae passim, saepe etiam eiusdem fere verbis, repetuntur. Unde card. Lépiciier praecipuus huius opinionis defensor merito habetur.

Keuppens (o. c., p. 69) fatetur quod rationes istae « licet apodictice rem non dirimant, ad aliqualem probabilitatem assurgere videntur ». Gorrino, e contra, asserit: « Questa dottrina... non sembra plausibile ».

5) **Argumenta pro secunda sententia**, ita a P. Keuppens resumuntur: « Probatum assertum ex eo quod hae infirmitates 1) sanctitati non adversantur; 2) quod Maria eas de facto habuit; 3) quod utiles sunt ad munus Corredemptricis implendum et ad sese plene Filio conformandum; 4) quod gratia sanctificans in Virgine non habuit vim originalis iustitiae quia fuit gratia Redemptoris. Quae argumenta non sunt spernenda et validam tribuunt huic sententiae probabilitatem » (o. c., p. 69).

Primum argumentum, enunciatum a P. Keuppens, ita a quibusdam (e. g. a cl. Campana, o. c., p. 402) evolvitur:

Mortalitas et passibilitas nullo modo sanctitati adversantur, sicut ignorantia et fomes concupiscentiae; quinimmo suae futurae gloriae, tamquam occasio meritorum et virtutum, valde inservire poterat. Et ob hanc rationem Deus, Matrem suam praeservando a peccato, cuius, utpote filia Adae, debitum habuit, noluit illam a doloribus et a morte liberare.

¹ Ex hac expositione patet quomodo Gorrino (pp. 60-61) non omnia argumenta a Card. Lépiciier allata exposuerit ac examini subiecerit.

En verba Cl.mi Campana: « Maria ebbe il debito del peccato: senza uno speciale privilegio di grazia avrebbe avuto le origini moralmente inquinate. Dio però la liberò, perchè sua madre, da qualunque deformità morale, lasciandole del peccato solo quanto non la disonorava minimamente, che poteva anzi servire come piedestallo della futura sua gloria. Tali cose erano i dolori e la morte. L'ignoranza, la debolezza della volontà, il fomite delle passioni benchè non fossero formalmente peccato, non avrebbero potuto trovarsi nell'Immacolata, senza avvilupparla in un'atmosfera moralmente vergognosa. Questi difetti hanno un rapporto stretto col peccato: oltre all'esserne la necessaria conseguenza, ne sono anche una lagrimevole predisposizione. Tutta la loro azione tende precisamente a far cadere, chi ne è infetto, nella colpa. Per questo S. Paolo ha potuto bollare la concupiscenza col vergognoso titolo di peccato. E quel che S. Paolo dice del fomite delle passioni, lo si può, per l'identica ragione, ripetere delle altre magagne che direttamente intaccano l'intelletto e la volontà! Ecco perchè Maria ne dovette andare esente... Ma la medesima ragione non varrebbe per l'impassibilità. I dolori e la morte, dopo che Gesù li volle per sè, si possono concepire anche nella natura rifulgente di massima purezza. La loro presenza non richiama neanche lontanamente l'idea di deformità morale. Servono invece eccellentemente come occasione e mezzo per praticare le virtù più ardue, più eroiche, quelle virtù che apportano la più imponente grandezza alla nostra natura. Ed è per questo che Dio, liberando la Madre sua dal peccato, a cui avrebbe dovuto andar soggetta come figliuola di Adamo, non la volle però liberare dai patimenti e dalla morte » (o. c., pp. 402-403).

Ultimum vero argumentum ita a Gorrino evolvitur: « Non è esatto dire che a Maria sia stato concesso lo stato di giustizia originale, perchè tale stato cessò immediatamente e per tutti colla caduta di Adamo. Nello stato di innocenza l'uomo riceveva la grazia *vi generationis* per il fatto stesso di ricevere la natura umana di cui la grazia era *accidens speciei* (S. Tomm., l. q. 100, a. 1). Invece Maria, *vi generationis*, avrebbe contratto il peccato, se per privilegio personale e straordinario non fosse stata prevenuta dalla grazia. Quindi Ella non appartenne allo stato di innocenza originale, ma all'*ordine della riparazione*, del quale anzi in unione col suo Figlio fu strumento efficacissimo.

« In detto ordine non è più esistita la connessione del dono dell'immortalità colla grazia santificante, per ragioni diverse tra la massa dei discendenti di Adamo da una parte, e Gesù Cristo e la sua Madre dall'altra. Per la posterità di Adamo, la privazione dell'immortalità fu pena del peccato; in Cristo e in Maria fu effetto della volontà positiva di Dio, che ha scelto come mezzo di redenzione dell'uomo, il sacrificio del suo Figlio. Si comprende che Gesù Cristo dovesse avere un corpo che potesse patire e morire, poichè doveva riparare i danni del peccato appunto coi patimenti e colla morte; la stessa cosa deve dirsi per Maria, che doveva essere simile al suo Figlio e aveva parte con Lui nella stessa opera di salute. Ma ciò non fu per essi effetto e pena del peccato, ma condizione necessaria perchè potessero essere strumento sublime di grazia nella mani di Dio.

« L'affermazione del Lépicièr, che Maria dotata di immortalità sia morta, perchè ha voluto essa stessa morire per essere simile al suo Figlio, oltre che non è appoggiata ad alcuna prova, suppone che non fosse già ordinato nel piano della Provvidenza divina che la Redenzione si compisse con la partecipazione della Madre di Gesù ai patimenti del Figlio; suppone anche che la perfetta somiglianza tra il Figlio e la Madre non rispon-

desse già direttamente al volere di Dio. Ora è chiaro che queste supposizioni non hanno fondamento alcuno, anzi sono contro verità, poichè la comunione di sorte fra Gesù e Maria era già accennata nella promessa del futuro Redentore fatta ad Adamo (Gen. 3, 15).

« Dobbiamo pertanto concludere che Gesù Cristo e Maria ebbero il corpo mortale e passibile, poichè tale era il mezzo con cui doveva operarsi secondo le disposizioni della Provvidenza la redenzione dell'uomo.

« Ma tra il Figlio e la Madre notevoli furono le differenze.

« È risaputo che Cristo: 1) *assunse di propria volontà* le imperfezioni e le deficienze della natura umana, come mezzo per soddisfare i debiti del peccato; 2) però non ne assunse tutti i difetti, ma solamente quelli che sono propri della natura, escluse pertanto le imperfezioni che dipendono dalla viziosa costituzione del corpo, o da deficienze contratte per disordini individuali, o che in qualsiasi modo fossero sconvenienti alla sua dignità personale (S. Tomm. 3, q. 14, a. 4); 3) ancora, non assunse neppure tutti i difetti propri della natura, ma solamente quelli che erano sufficienti per soddisfare al peccato degli uomini (S. Tomm., c. l. ad 2); per tale ragione non assunse le malattie e le passibilità per gli accidenti fortuiti o cagionati dalle cause naturali; 4) di più Egli ebbe sempre piena potestà sul proprio corpo e sulle disposizioni di esso e anche le imperfezioni di natura dipendevano assolutamente dal suo volere (S. Tomm., 3, q. 13, a. 3).

« Per Maria le cose furono in quest'altro modo: 1) in Lei le condizioni di passibilità e mortalità del corpo non furono conseguenze del peccato, perchè Ella fu libera da ogni forma di esso; ma non può dirsi che Ella abbia *assunto* di propria volontà tali deficienze, poichè non aveva la potestà sul suo corpo; 2) quindi Maria ricevette da Dio il corpo mortale e passibile, perchè nel piano della Provvidenza la redenzione dell'uomo esigeva tale mezzo di espiazione; 3) ma poichè la redenzione doveva compiersi propriamente mediante i patimenti inferti dalla malvagità degli uomini e non per le sofferenze dipendenti dagli agenti naturali, è credibile che Dio abbia protetto e difeso il corpo della Beata Vergine dalle malattie e dai danni delle cause materiali; 4) e ciò, non con un dono intrinseco al corpo medesimo, che lo rendesse immune dal male (il che avrebbe importato un vero miracolo), ma coll'opera della sua Provvidenza esterna, eliminando via via le cause che avrebbero potuto nuocere alla Madre divina; 5) donde consegue che Maria *di fatto* non avrebbe sofferto infermità, nè danni per accidenti fortuiti, senza che il suo corpo benedetto per *condizione propria* fosse esente dalle malattie.

« Se poi si tien conto che nella tradizione dei Santi Padri non è dichiarato che Maria non fosse soggetta alle infermità (TERRIEN, 2, p. 235) e che l'esistenza dei miracoli deve essere dimostrata e non facilmente presunta, sembra potersi giustamente concludere che la Beata Vergine, come era soggetta alla morte, era anche per propria condizione soggetta alle infermità naturali, sebbene Dio con particolare assistenza, per un certo riguardo al suo Figlio divino, possa aver disposto per la sua immunità anche totale da ogni malattia.

« Nel fatto poi, che realmente la Beata Vergine non abbia mai sofferto infermità anche leggere, non risulta da alcuna prova positiva e quindi tale opinione rimane nel campo delle libere pie credenze, dalle quali altri potrebbero liberamente dissentire ».

6) **Quid tenendum?** Est difficile dictu. Attamen si liceat mentem nostram candide aperire, omnibus bene perpensis, argumenta pro secunda sententia nobis valde debilia videntur.

Ad primum argumentum responderi potest: verum est tales infirmitates sanctitati non adversari et ideo absque ullo praeiudicio assumi aut imponi posse, sed hoc non sufficit ad hoc ut quis concludere valeat: ergo in B. Virgine admitti debebant. Idem enim etiam de Christo quis concludere posset, qui tamen absque dubio, de iure immortalis et impassibilis fuit. Insuper animadvertendum est quod carentia talium infirmitatum *rectitudinem* inter animam et corpus (prout praenotavimus) in B. Virgine congrue omnino ponebat, quemadmodum in progenitoribus illam posuerat. Et ideo absentia immortalitatis et impassibilitatis deficientiam aliquam in ipsa arguebat. Concedimus ergo, infirmitates illas non esse malum, et ideo praeiudicium non afferre ideae puritatis, sed concedi etiam debet immunitatem ab illis esse aliquod, nec parvum, bonum; est enim *donum praeternaturale* et carentia illius praeiudicium affert rectitudini generali quae etiam in B. Virgine, utpote summum Dei opus, sicut in progenitoribus, apparere debuit.

Nec iuvat asserere: B. Virgo habuit *debitum* peccati et sine speciali privilegio gratiae habuisset originem moraliter inquinatam. Etenim, prout animadvertit Janssens, « debitum moriendi non respondet debito peccati, sicut mors ipsa peccato. Debitum moriendi causatur a *contractione* peccati, non a *mero debito* illud contrahendi, nisi in ordine hypothetico. Et sane, debitum contrahendi peccati originalis non est aliquid *reale*, sed mere *logicum*, cui cum nihil reale a parte rei in B. Virgine respondeat, deest quoque in Maria reale substratum debito moriendi » (l. c., p. 864).

Ad secundum argumentum: B. Virgo infirmitates illas *de facto* habuit. Verum est; sed aliquid dupliciter haberi, de facto, potest: vel *ratione peccati* originalis (cuius sunt effectus) vel ratione *conditionis* vel muneris Corredemptricis. Iamvero B. Virgo, passibilitatem habuit non ratione peccati originalis (quod nullimode contraxit) sed solum ratione conditionis seu muneris Corredemptricis, ad hoc ut cum Filio suo pro peccato satisfacere posset. In B. Virgine enim nihil quod effectus peccati est poni debet. Id quod in aliis est effectus peccati, in Deipara ut effectus muneris Corredemptricis habendum est.

Ad tertium argumentum. Nemo negat tales infirmitates (i. e. passibilitas et mortalitas) utiles esse ad munus Corredemptionis implendum. Imo unica eorum ratio munus Corredemptricis dici debet.

Ad quartum argumentum. Verum est (gratiam) B. Virgini collatam fuisse gratiam *Redemptionis*, attamen, ex hoc non sequitur illam in B. Virgine non habuisse vim originalis iustitiae. Gratia enim redemptionis ideo in nobis non habet vim originalis iustitiae, quia *liberati* sumus a peccato postquam in Adam *de facto* peccavimus; et omnia bona ipsi collata amisimus; in B. Virgine e contra gratia Re-

demptionis habuit vim originalis iustitiae quia per ipsam *praeservata* est (non liberata est) a peccato incurrando, antequam, *de facto*, in Adam peccaret. Status ergo iustitiae originalis immediate cessavit cum culpa Adae pro ipso et pro illis qui peccaverunt in ipso; non cessavit tamen pro illa quae, de facto non peccavit in ipso (quamvis, ratione originis ab ipso, peccare et ipsa debuisset). Igitur, dum nos omnes pertinemus ad staturum naturae lapsae et reparatae, B. Virgo pertinuit tantummodo ad staturum naturae reparatae (et quidem per *praeservationem*), non vero ad staturum naturae lapsae (quia de facto numquam lapsa est). Sed pertinere ad staturum naturae *reparatae* et quidem per praeservationem (non per liberationem) idem est ac excludi de facto a staturum naturae lapsae; et excludi de facto a staturum naturae lapsae idem est ac non excludi a staturum iustitiae originalis: *Duo* enim de facto, sunt status historici humanae naturae relate ad gratiam: status *iustitiae originalis* seu naturae innocentis, et status *naturae lapsae*. Atqui, B. Virgo numquam pertinuit ad staturum naturae lapsae. Ergo, remanet ut pertineat ad staturum naturae innocentis, seu iustitiae originalis. Consequenter gratia eius, quamvis ei concessa intuitu Redemptoris, vim habere debuit (secus ac in nobis) originalis iustitiae.

Quapropter obicienti: gratia redemptionis immortalitatem veram et propriam non conferebat; responderi potest cum distinctione: gratia redemptionis prout confertur *nobis* (qui a peccato *liberati* sumus) veram immortalitatem non conferebat, *concedo*; gratia redemptionis prout B. Virgini (quae a peccato praeservata est) confertur, veram et propriam immortalitatem non conferebat, *nego*.

Inane vero nobis omnino videtur quod Gorrino contra card. Lépicier animadvertit, videlicet: «L'affermazione del Lépicier che Maria dotata di immortalità sia morta, perchè ha voluto essa stessa morire per essere simile al suo Figlio: oltre che non è appoggiata ad alcuna prova, *suppone che non fosse già ordinato nel piano della Provvidenza divina che la Redenzione si compisse colla partecipazione della Madre di Gesù ai patimenti del Figlio; suppone dunque che la perfetta somiglianza tra il Figlio e la Madre non rispondesse già direttamente al volere divino*. Ora è chiaro che queste supposizioni non hanno fondamento alcuno, anzi sono contro verità, poichè la comunione di sorte tra Gesù e Maria era già accennata nella promessa del futuro Redentore ad Adamo ».

Haec animadversio, dixi, omnino inanis videtur eo quod gratis omnino in sententia card. Lépicier ea quae Gorrino supponit, supponuntur. Deus enim, in suo aeterno consilio statuere poterat — et de facto nos haec statuisse tenemus — nedum participationem B. Virginis doloribus Filii ob redemptionem generis humani, nec non similitudinem Matris cum Filio, sed etiam statuere poterat ut talis participatio et talis similitudo *libere* (iuri suo impassibilitatis valedicendo) non vero *necessario*, verificarentur: quod in maiorem Virginis et Dei etiam gloriam et laudem evidentissime cedit.

At praecipuum argumentum ad hanc sententiam vindicandam, desumitur ex

canone 2 Concilii Aransicani II (a. 529), a Bonifacio II solemniter approbato, ubi dicitur: « Si quis soli Adae praevaricationem suam, non et eius propagini asserit nocuisse, aut certe mortem tantum corporis, quae poena peccati est, non autem et peccatum, quod mors est animae, per unum hominem in omne genus humanum transiisse testatur, iniustitiam Deo dabit, contradicens Apostolo dicenti: *Per unum hominem peccatum intravit in mundo...* » (Denz. 175). Sensus obvius huius canonis est: transmissio mortis (reatus poenae) in posteros Adae sine transmissione culpa originalis, in praesenti rerum ordine, iniustitia quaedam esset. Adest ergo ius quoddam ad immortalitatem in eo qui a culpa originali immunis est. Datur ergo, in ordine praesenti, nexus quidam iustitiae inter immunitatem a culpa originali et dona praeternaturalia (inter quae immunitas a morte). Si quis hunc nexum negaret, iniustitiam Deo daret, seu, in haeresim incideret.¹

Haec omnia, sententiae a card. Lépicier, prae aliis omnibus auctoribus fuse propugnatae, haud leve robur, ni fallor, adiiciunt.

Addi etiam potest, quod sententia quam rationibus unice motis vindicamus, magnam congruentiam praesefert sive relate ad Deum, sive relate ad B. Virginem, sive relate ad genus humanum: relate quidem ad *Deum*, eo quod consilium suum circa statum iustitiae originalis, in quo genus humanum collocare statuerat, omnino i. e. quoad omnes homines subverti a daemone non est passus; relate ad *B. Virginem* quae, tali modo, minora privilegia quam parentes nostri, non habuit, dum illa rectitudine qua protoparentes gavisus sunt et Ipsa donata est: quod enim aliis concessum est, B. Virgini negari non potest; relate tandem *ad genus humanum*, eo quod una saltem persona, et quidem quoad omnia (i. e. nedum quoad amicitiam cum Deo, sed etiam quoad dona praeternaturalia) triumphali influxui daemonis, cuius caput contritura erat, non subiacuit, ideoque flos nostrae stirpis evasit.

Cum ergo sententia haec magis honorabilis sit pro Beata Virgine, et cum solidissima probabilitate gaudeat, illam amplectimur, illud Gulielmi Ware² ex animo repetentes: « Si debeam deficere... magis volo deficere per superabundantiam, dando Mariae aliquam praerogativam, quam per defectum, diminuendo vel subtrahendo ab ea aliquam praerogativam quam habuit ».

Asserere tamen non audemus Deiparam, proprie loquendo, in *statu innocentiae* seu iustitiae originalis simpliciter constitutam fuisse; at neque asserendum est illam in statu naturae *lapsae et reparatae* constitutam fuisse. Deipara, enim, cum ordinem a se constituat ab ordine aliorum diversum, in nullo ex variis statibus ad quos alii omnes pertinent per se reduci valet; et ideo *statum a se constituit* qui medium veluti locum tenet inter statum innocentiae (eo quod de statu illo habuit gratiam et dona praeternaturalia integritatis, immortalitatis et scientiae)

¹ Cfr KOSER, in *Revista Ecclesiastica Brasileira*, 7 (1947) 255-276.

² GUARRA, *Quaest. Disput. de Immac. Conc.*, Quaracchi, 1904, p. 4.

et statum naturae lapsae (eo quod de statu illo habuit passibilitatem ob redemptionem). Passibilitas enim in Ipsa non habuit rationem *privationis* alicuius rei ipsi debitae (sicut in nobis) sed rationem habuit simplicis *absentiae* ob humanae naturae restaurationem a Deo dispositae. Status iste peculiaris ad quem Deipara pertinet, haud incongrue appellari posset *status iustitiae originalis incompletus*, seu, status peculiaris et personalis, iustitiae originalis, passibilitati dispen-sative coniunctus, vel, paucis, *status privilegii*.

CAP. III – DE MORTALITATE B. M. V.¹

Ratio quaestionis. Postquam egimus de passibilitate B. M. Virginis, agendum nunc est de mortalitate eiusdem. Haec quaestio, prout animadvertit card. Lépicier (o. c., p. 352) inter difficillimas theologiae marianae quaestiones merito recensetur.

Divisio quaestionis. Duo quaeri possunt, videlicet: 1) De *facto* mortis B. M. V., et 2) de *modo* mortis eiusdem.

Art. I – DE FACTO MORTIS B. M. V.

Sententiae. De facto mortis B. M. Virginis primus dubitasse videtur S. EPIPHANIUS qui scripsit: « Quaerant vestigia Scripturarum, et invenerint utique neque mortem Mariae, neque an mortua sit, aut non mortua, neque an sepulta sit aut non sepulta... Ego enim non audeo dicere, sed cogitans silentium mihi impero; fortassis enim alicubi etiam vestigia invenerimus sanctae illius ac beatae: sicut neque invenire datur mortem ipsius... Non autem omnino definitio hoc, et non dico quod immortalis mansit, sed neque affirmo an mortua sit. Excessit enim Scriptura mentem humanam, et in suspenso reliquit, propter vas pretiosum ac excellentissimum, ut ne quis ad suspicionem veniat carnalium de ipsa rerum. Sive igitur mortua est, non novimus: sive sepulta est, non copulata fuit carni, absit » (*Haer.* 78, 10-11, PG 42, 716).²

P. Jugie (in *Echos d'Orient*, 1926, pp. 286 s.) conatus est demonstrare quod inde a saec. IV vel V extabat traditio quaedam Hierosolymitana iuxta quam B. Virgo mortua non fuisset.³ Huius autem traditionis testes et organa fuissent Timotheus (PG 86, 245), Hesychius (PG 93, 1464) et Chrysippus (*Patr. Or.*, 19, 336-343), illius Ecclesiae presbyteri nec non narratio peregrinationis cuiusdam

¹ Cfr BASILIO DE S. PABLO, C. P., *Si la gracia de Marta excluye o reclama su muerte*, in *Estudios Marianos*, 5 (1946) 309-345; NAULAERTS I., *De morte B. M. Virginis*, in *Collect. Mechlin.*, 3 (1929) 591-593.

² Cfr commentarius huius textus cl. DRAGUET in *Rev. d'Hist. Eccl.*, 1928, pp. 805 s.

³ Cfr etiam opus *La Mort et l'Assomption de la Sainte Vierge. Etude historico-doctrinale* (« Studi e testi », 144). Città dal Vaticano, 1944, in-8^o gr., VIII-747 pp.

circa a. 570 conscripta (cfr GEYER, *Itinera Hierosol., Corpus Script. Lat.*, 38, 203).¹

Factum mortis in B. M. Virgine negaverunt etiam inter recentiores DOMINICUS ARNALDI (in opere *Super transitu B. M. Virg.*, Mediol., Ghezzi, 1879), IOSEPHUS PENNACCHI (apud Campana, l. I, P. II, q. 5, c. I, art. I), et IOSEPH ANTONIUS VIRIDIA, O. F. M. Conv., Episcopus Cariati, qui, in petitione Leoni XIII directa, sub titulo: *Pro dogmatica definitione integrae ad coelos assumptionis Deiparae Virginis*, scripsit: « Me magis magisque delectat, non repellendam esse eorum opinionem, qui propugnant Deiparam Virginem, ratione suae praeservationis et immunitatis ab omni peccati labe, nec communem quidem subiisse mortem, poenam adamitici piaculi » (Catanzaro, Typ. Veltri, 1880). Idem etiam nostris diebus tenuit P. IOSEPH M. ANGELUCCI, O. S. M. (in Ephem. *La Regina dei Martiri*, Caserta, a. 1932-1933).

At communis sententia tenet B. Virginem vere mortuam fuisse. Haec autem sententia a card. Lépicier dicitur *theologice certissima* (o. c., p. 360).

Prop.: *B. Virgo Maria, iuxta communem Theologorum sententiam, I) vere mortua est; non tamen II) corruptioni sepulcri subiacuit.*

Prima pars: Prob.: I. Auctoritate: I) PATRUM ET SCRIPTORUM ECCLES.: ORIGENES testatur Deiparam, virginem permansisse *usque ad mortem* (*Origenes Werke*, B. IV: *Der Iohannes Kommentar*, fragm. 31, ed. E. Preuschen, Leipzig 1903, p. 506).²

S. EPHRAEM asserit signa virginalia Deiparae, *per mortem*, soluta non fuisse (*Hymni et Sermones*, ed. Th. I. Lamy, t. 2, Mechiniae 1886, col. 584, n. 2).³

S. GREGORIUS NYSSENUS, in op. *De Virginitate*, c. 13, aperte mortem Deiparae profitetur (PG 46, 377). Cfr *Echos d'Orient*, 25 (1926), p. 131.

S. AUGUSTINUS, pluries de morte Deiparae loquitur (PL 35, 1456; 36, 335; 40, 339).

¹ *Timotheus Hieros.* assertionem P. Jugie probare videtur cum asserat Mariam usque *nunc immortalem mansisse*. Alia vero tria testimonia sunt sat generalia et vaga. Sic HESYCHIUS († c. 452) Virginem appellat *arbusculum incorruptionis, paradisum immortalitatis*; CHRYSIPPUS († 479) Mariam appellat radicem Iesse iugiter virescentem. Narratio vero peregrinationis haec habet: « Et in ipsa valle est domus S. Mariae, de qua eam dicunt fuisse sublatam ». Contra thesim P. Jugie, scripserunt IANSENS AL., *La mort de la S. Vierge*, in *Divus Thomas* (Plac.), a. 34 (1931); CAVALLERA, *A propos d'une enquête patristique sur l'Assomption*, in *Bull. de Lit.*, 22 (1926) 97-116.

² Attamen de authentia huius fragmenti valde dubitatur (cfr DEVRESSE R., *Chaînes exégétiques*, in *Dict. Bibl., Suppl.*, t. I, coll. 1198-1199).

³ In Ecclesia Syriaca, praeter S. Ephraem, de morte Deiparae loquitur *Iacobus Sarug* (cfr *Oriens Christianus*, 1905, pp. 91-99).

ANONYMUS PLACENTINUS (ca. 570) traditionem Hierosolymitanam refert de morte Virginis (*Itinera Hierosolymitana*, ed. Geyer, CSEL, 39, Vindobonae 1898, 170).¹

S. IOANNES DAMASCENUS: « Ex qua enim omnibus vera vita manavit, quomodo illa mortem gustaret? Sed cedit legi latae ab eo quem genuit; et ut filia veteris Adam, veterem sententiam subiit (nam et eius Filius, qui est Vita ipsa, eam non recusavit) » (*Hom. II in Dormit. B. M. V.*, PG 96, 725).

S. ANDREAS CRETENSIS: aperte asserit Deiparam *mortem gustasse*, quamvis in eius dominio non remanserit (*Hom. I in Dormit.*, PG 97, 1053; cfr etiam *Hom. III in Dormit.*, PG 97, 1085).

EPIPHANIUS AGIOPOLITA, in sua *Enarratio Syriae, Urbis Sanctae et sacrorum ibi locorum*, circa annum 785 conscripta, aperte pariter asserit mortem Deiparae (PG 120, 261 C).

EPIPHANIUS MONACHUS, a praecedenti diversus, in sua *Vita B. Virginis* inter a. 780 et 813 composita (cfr DIEKAMP, *Hippolytos von Theben*, Münster i. W. 1898, p. 134 et s.) de morte Deiparae loquitur (PG 120, 216 A).

S. IOANNES ARCH. THESSAL.: « Haec, inquam, omnino gloriosa ac Deipara Virgo, cum iam quoddam temporis intervallum elapsum esset, ex quo singuli Apostoli, Spiritus Sancti iussu, ad praedicandum in universo mundo Evangelium, profecti essent, naturali obitu terram reliquit » (*Or. in Dormit. Deip.*, apud JUGIE, in *Patr. Or.*, t. 19, p. 344 s.).

MICHAEL GLYCAS: « Etsi Virgo Mater naturae legibus fuit obnoxia; tametsi mortem degustaverit: tametsi ut homo in sepulchrum est deposita, naturae tamen fines atque terminos superavit et excessit; neque sepulchrum et mortalitas eam in potestate sua retinere potuit » (*Annal.*, p. III, PG 158, 439).

NICOLAUS CABASILAS: « Oportebat, inquit, sanctissimam hanc animam a sacratissimo illo corpore solvi... Corpus vero paulisper in terra moratum, et ipsum commigravit. Oportebat enim illud per omnes incedere vias, per quas Salvator transivit, et viventibus splendere et mortuis, et in omnibus sanctificare naturam et rursus congruum locum recipere » (*Serm. in Dormit. Deiparae*, apud JUGIE, in *Patr. Or.* t. 19, p. 508 s.).

2) *Liturgiae*, quae in quadam collecta pro festo Assumptionis, olim in usu habita et a S. Gregorio edita, ita Deum exorat: « Veneranda nobis, Domine, huius diei festivitas opem conferat salutarem, in qua sancta Dei Genitrix mortem subiit temporalem, nec tamen mortis nexibus deprimi potuit, quae Filium tuum Dominum nostrum de se genuit incarnatum » (*Sacram. Gregorian.*, PL 88, 133). Quinimmo, in oratione secretali pro eodem festo nunc legitur: « Subveniat, Domine,

¹ P. Jugie, tamen, putat redactionem primitivam habuisse: « ... de qua eam dicunt ad caelum fuisse sublatam » (art. cit., pp. 292 sq.).

plebi tuae Dei Genitricis oratio, quam etsi *pro conditione carnis migrasse cognoscimus*, in caelesti gloria apud te pro nobis intercedere sentiamus » (ibid.): quae quidem verba — asserunt — valorem dogmaticum habent, cum legem credendi lex statuat supplicandi. Attente vero considerentur verba: « *pro conditione carnis* »; ipsa enim — dicunt — sat evidenter expriment mortem, in B. Virgine, non fuisse stipendium peccati, sed consecrarium humanae naturae, quia conditio materiae seu carnis talis est ut eam separabilitas ab anima sequatur et ita mors inducatur. Tandem, in *Missale Gothico* dicitur: « *Nec per assumptionem de morte sensit inpluviem, quae vitae portavit auctorem* » (PL 72, 243-47).

3) **Universalis fidelium sensus.** Fideles enim — prout animadvertit Card. Lépicier¹ — *unanimiter tenent* Beatissimam Virginem, non nisi media morte corporali ad aethereas sedes, per gloriosam assumptionem, pervenisse. Porro, cum unanimes fidelium sensus in rebus fidei et morum a Spiritu Sancto immediate proveniat, hinc nullo modo catholico viro licet a sententia discedere, qua tenetur Beatissimam Virginem mortem vere obiisse, mox in carne resurrecturam, et in caelum gloriose conscensuram ».

« *Nec magni faciendae sunt* — animadvertit idem Erius Auctor — quae in contrarium obiiciuntur rationes.

« *Quarum prima in hoc sita est, quod monumenta quibus innititur traditio circa almae Virginis mortem, omnia sunt apocrypha.* Porro ista summatim ad duo reducuntur: scilicet ad librum de *Divinis Nominibus*, quem falso adscribunt Dionysio Areopagitae, et ad alterum Pseudo-Melitonis de Transitu B. Mariae V. ex quibus Damasceni liber de Dormitione Virginis, ad quem in facto et circumstantiis facti referendis communiter appellatur, ex toto contextitur.

« *At facile respondetur, aliud esse factum, aliud vero circumstantias facti mortis Beatae Mariae Virginis; et has quidem ex apocryphis monumentis desumi; illud vero ex constanti Ecclesiae traditione, a praefatis monumentis praescindente, derivari* » (l. c., p. 364).

II. Ratione: Variarum rationum congruentiarum quibus Theologi *factum* mortis B. M. V. suadere conantur, sunt:

1) *Ratione conformitatis cum Filio* qui mortem sustinuit et per mortem ad gloriam pervenire voluit. Iamvero, matris conditionem conditione Filii sui meliorem esse non congruebat.

2) *Ratione confirmationis veritatis Incarnationis:* ex eo enim quod B. Virgo pro conditione carnis migrasse cognoscitur, veritas humanitatis Christi, ex Virgine desumptae, valide confirmatur. Secus enim suspicio oriri posset non verum sed phantasticum esse illud quod de immortalis mulieris natum fuisset.

¹ O. c., p. 363.

3) *Ratione associationis operi redemptionis.* Congruum erat quod B. Virgo, socia Redemptoris seu Corredemptrix, mortem suam sociaret morti Christi, per quam salus nostra operata est.

4) *Ratione exempli.* Congruum erat quod B. Virgo exemplum patientiae nobis praeberet praesertim in summo omnium physicorum malorum, id est in morte subeunda. « Divina bonitas — scribit S. Petrus Canisius — hoc nobis solatium tribuit ut non Christi modo sed et Matris eius morientis exemplo confirmemur, nosque et alios consolemur, quando supremam illam difficillimamque pugnam sudor ille mortis erumpens ostendit, aut mortis angores et pericula nos obruunt » (o. c., l. 5, c. 1).

Secunda pars: B. Virgo corruptioni sepulcri non subiicit.

Prob.: I. Auctoritate: 1) S. SCRIPTURAE: In Gen. 3, 15 promittitur inimicitia perpetua B. Virginis cum diabolo ac plenus triumphus super ipsum. Iamvero triumphus iste plenus non fuisset, si B. Virgo corruptioni sepulcri quae est sequela mortis, a diabolo in orbem terrarum introducta, subiacuisset.

2) PATRUM ET SCRIPTORUM: S. MODESTUS HYEROSOLYMITANUS: « O beatissima dormitio gloriosissimae Deiparae, post partum semper Virginis, quae corporis, quo vita continebatur, nullam passa est in sepulcro corruptionem » (*Encom. in dormit. Ss. Dom. nostrae Deip. semperque Virg. Mariae*, PG 86, 3293).

S. ANDREAS CRETENSIS: « Ut enim minime corruptus est parientis uterus, ita nec interiit defunctae caro. O mirandas res! Partus omnino corruptionem effugit; nec sepulcrum illam a morte extremam corruptionem admittit » (*Hom. II in dormit. Ss. Deiparae*, PG 97, 1081 D).

S. GERMANUS Patr. Const.: « Quomodo carnis te dissolutio in cineres ac pulverem potuisset redigere, quae humanum genus a mortis corruptione per Nati ex te assumptam carnem liberasses? » (*In dormit. B. Mariae*, PG 98, 345).

S. IOANNES DAMASCENUS: « Hanc vere beatam quae Dei Verbo aures praestitit, et Spiritus Sancti operatione repleta est, atque ad Arcangeli spiritualem salutationem sine voluptate et virili consortio Dei Filium concepit et sine dolore aliquo peperit, ac totam se Deo consecravit, quonam modo mors devoraret? quomodo inferni susciperent? quomodo corruptio invaderet corpus illud in quo vita suscepta est? » (*Homil. II in Dormit.*, PG 96, 728 B).

S. THOMAS A VILLANOVA: « Nec iustum est, ut subsit corruptioni corpus, quod nulli fuit subiectum concupiscentiae, et indignum, ut putrescat in sepulcro, quod non fuit vitio contaminatum, et sentiat labem putredinis quod non est expertum labem criminis » (conc. 4 in *Assumpt. B. M. Virginis*).

In antiqua liturgia, pro die Assumptionis haec habetur oratio: « Veneranda nobis, Domine, huius diei festivitas in qua sancta Dei Genitrix mortem subiit temporalem, nec tamen mortis nexibus deprimi potuit, quae Filium tuum Dominum nostrum de se genuit incarnatum » (*Sacram. Gregorianum*, PL 78, 133).

Circa quam orationem sic disserit S. ALBERTUS MAGNUS: « Modo quaero, quid appellatur *nexus* mortis? vel est bonum vel est malum. Non bonum, quia omnis boni incapax fuit; item bonum non deprimit, sed elevat. Ergo nexus non nominat ibi aliquid boni. Si autem est malum, aut est malum culpae aut malum poenae. Non culpae, quia mors non est nexus ad culpam; quia post mortem non est status culpae sed poenae... Si autem est malum poenae, quaero, quam poenam importat? Non gehennae; quia ad illam non nequit mors; quia multi moriuntur, qui non vadunt ad gehennam. Eadem ratione nec ad purgatorium; quia multi moriuntur qui non vadunt ad purgatorium. Nec etiam potest dicere poenam temporalem; quia ad illam non nequit mors, sed absolvit ab illa. Item, non potest dicere poenam mortis; quia beatissima Virgo vere mortua fuit. Ergo relinquitur quod non potest significare nisi incinerationem; ergo erit sensus: Non potuit nexibus mortis deprimi, id est, non potuit incinerari » (*Mariale*, q. 132).

II. Ratione. 1) *Ratione discriminis inter mortem et corruptionem:* Mors enim nullam imperfectionem, quam Deiparam non deceret, involvit, ac insuper summe meritoria fuit; corruptio vero sepulcri in dedecus Virginis fuisset, nec meritoria esse poterat. Quamvis ergo B. Virgo convenienter morti subiacere poterit, corruptioni tamen sepulcri subiacere non conveniebat.

2) *Ratione pietatis Filii erga matrem:* pietas enim filialis exigebat ut Matrem a quovis dedecore, quale est corporis corruptio, praeservaret. Eo vel magis quod talis exemptio quibusdam Sanctorum corporibus a Deo concessa est. Putandum est proinde B. Virginem NON DIU, nec per triduum sicut Christus, prout vellent apocrypha, MORTUI SUBIACUISSE. Adest enim magnum discrimen inter Christum et B. Virginem. Christus enim, ob unionem hypostaticam cum Verbo, suam *numericam* identitatem non amisit; corpus B. Virginis, e contra, ab anima separatum, non remansit idem numero ac antea; et ideo minime decebat corpus illud, quod vitam Verbo Incarnato dederat, ita mancum et imperfectum diutius manere. Putat ergo card. Lépiciér,¹ corpus illud sacratissimum non diu remansisse ab anima separatum, sed *statim post mortem* gloriose resurrexisse et fuisse animae iterum unitum.

Utrum vero B. Virgo Hierosolymis an Ephesi mortua sit, et quanquam aetate, inter eruditos adhuc disputatur.

Art. 2 – DE MODO QUO B. VIRGO MORTUA EST

Variae Doctorum sententiae:

1) Nonnulli, de quibus mentionem facit S. Isidorus (*De vita et obitu Patrum*, c. 67), Simeonis oraculo innixi (« Et tuam ipsius animam pertransibit gladius » Luc. 2, 35), putaverunt B. Virginem martyrio mortem subiisse. Ipsemet S. Isidorus anceps haeret.

¹ O. c., p. 367.

2) S. Petrus Damiani affirmat B. Virginem *ex vi doloris* obiisse. Ita enim scribebat ad Eremitas illos qui ieiunium in vigilia Assumptionis non servabant: « At fortasse, inquit, dicitur quia B. Virgo, quae sine dolore vitae auctorem edidit, dolorem moriendo non sensit? Sed, qua auctoritate, eam quis divinetur in corpore non doluisse morientem, cuius animam pertransierit gladius adhuc etiam in carne manentem? Praesertim, cum et ipse mediator Dei et hominum moriturus dicat: Tristis est anima mea usque ad mortem? ».

Hinc subinfert vigiliam Assumptionis ieiunio celebrari, sicut pervigilium nativitatis S. Ioannis, qui cum dolore et vagitibus natus est. « Si rei dignitas vigilanter inspicitur, idcirco utraque haec festivitas digne praemissis est excipienda ieiuniis; quia et B. Virgo molestias carnis moriens pertulit, et beatus Ioannes per conditionem nascendi ex maternis visceribus vagiendo atque plorando processit » (opusc. 55, c. 1, *De celebrandis Vigiliis*, PL 145, 801).

3) Alii, sat communiter affirmant B. Virginem mortuam fuisse *ex ardore amoris Dei* ex quo veluti occisa remanserit.

Primus qui hoc tenuit videtur fuisse Auctor Epistolae *Ad Paulam et Eustochium* (Paschasius Radbertus).

Scripsit enim: « Quaeso, si qua sunt in vobis viscera pietatis, considerate *quo cruciatur amore, quoque desiderio* aestuabat haec virgo, dum revolveret animo cuncta quae audierat, quae viderat, quod cognoverat. Puto quod quiquid cordis est, quidquid mentis, quidquid virtutis humanae, si totum adhibeas, non sufficiat ut cogitare valeas, *quanto indesinenter cremabatur ardore pii amoris*; quantis amovebatur repleta Spiritu Sancto caelestium secretorum incitamentis: quia etsi diligebat Christum ex toto corde, et ex tota anima, et ex tota virtute, *novis tamen quotidie inflammabatur praesentia absens desideriorum affectibus*; tanto siquidem validius, quanto divinis illustrabatur intus visitationibus; quam totam repleverat Spiritus Sancti gratia, quam totam incanduerat divinus amor: ita ut in ea nihil esset, mundanus quod violaret affectus, *sed ardor continuus et ebrietas perfusi amoris*... Denique, amor Christi desiderium pariebat. *Desiderium vero gliscens, quasi novis reparabatur ardoribus*, in tantum ut credam nonnumquam, quod omnia et etiam semetipsam transcenderet: quia omnino amor impatiens, quod amat, non potest non videre » (PL 30, 140-41). Idem asserunt plus minusve Ps-MODESTUS, *Homil. in Dormit.*, PG 176², 3308 A, GUERRICUS Abbas Igniacensis († 1157) cfr PL 185, 190-93 et S. ALBERTUS M. (*Mariale*, q. 131, Op. ed. Vivès, t. 37, p. 183).

Ita etiam S. Franciscus Salesius: « La Vierge Mère ayant assemblé en son esprit, per une très vive et continuelle mémoire, tous les plus aymables mystères de la vie et mort de son Filz, et recevant tous-jours à droit fil parmy cela les plus ardentes inspirations que son Filz, soleil de justice, jettast sur les humains au plus fort du midy de sa charité, puis d'ailleurs faysant aussi de son costé un perpétuel mouvement de contemplation, en fin le feu sacré de ce divin amour la cosuma toute, comme un holocauste de suavité; de sorte qu'elle en mourut, son âme estant toute ravie et transportée entre les bras de la dilection de son Filz. O mort amoureuxment vitale, o amour vitalement mortel ! ». Et rursus: « Bien que cette sainte âme aymast extrêmement son très-saint, très-pur, et

très-aymable corps, si le quitta-t-elle néanmoins sans peine ni résistance quelconque, comme la chaste Judith, quoyqu'elle aymast grandement les habitz de pénitence et de viduité, les quitta néanmoins et s'en despouilla avec playsir pour se revestir de ses habitz nuptiaux, quand elle alla se rendre victorieuse d'Holophernes; ou comme Joanathas, quand, pour l'amour de David, il se despouilla de ses vestements. L'amour avoit donné près de la Croix à cette divine Espouse les suprêmes douleurs de la mort; certes, il estoit raysonnable qu'enfin la mort luy donnast les souveraines délices de l'amour» (*Traité de l'amour de Dieu*, l. 7, c. 13).

Ita etiam Bousset: « Si vous m'en croyez, saintes âmes, vous ne cherchez point d'autres causes de la mort de la sainte Vierge; son amour étant si ardent, si fort et si enflammé, il ne poussait pas un soupir qui ne dût rompre tous les liens de ce corps mortel; il ne formait pas un regret qui n'en dût dissoudre toute l'harmonie; il n'envoyait pas un désir au ciel qui ne dût tirer après soi l'âme tout entière. Je vous ai dit, chrétiens, que sa mort est miraculeuse; je suis contraint de changer d'avis: la mort n'est pas le miracle, c'en est plutôt la cessation. Le miracle continu, c'était que Marie pût vivre séparée de son Bien-Aimé... Ainsi point d'autre cause de la mort de Marie, que la vivacité de son amour» (2^e *Sermon sur l'Assomption de la Sainte Vierge*, 2^e point, *Œuvres*, etc., t. 2, p. 805).

Ita etiam Suarez: « Fieri enim potest ut mens tanta efficacia et intentione in his actibus occupetur, ut veluti destituat corpus, ita ut paulatim eius dispositiones remittantur ac deficiant ac tandem ob earum defectum non possit anima in corpore conservari» (in 3, disp. 21, sect. 1).

4) Card. Lépicier, ¹ quem sequi videtur P. Durche, O. S. M., ² asserit mortem Deiparae animaeque illius a corpore separationem, potius quam mortem, placidissimam dormitionem ac velut tranquillum somnum fuisse. ³

Et hoc modo suam sententiam exponit:

« Cum enim eius mens vehementissima in Deum fereretur extasi, anima nexibus corporis soluta evolavit, mox suo corpori coniungenda, ut in caelum tota corporaliter conscenderet, a suo Filio in universi Reginam coronanda: dormitio, enim est, aut somnus, a quo quis citius excitatur.

« Quod tamen ut rite intelligatur, primo loco supponi debet, quod alibi ostensum est (p. II, c. 1, a. 5, n. 22), Beatæ Virginis in Deum caritatem iugi profectu ita crevisse, ut appropinquante termino eius mortalis vitae a divina Providentia praefixo gradum attigerit omni humana cogitatione maiorem.

« Iamvero, vehementioris amoris effectus est, ut docet Angelicus Doctor, ⁴ amantem ab eo quod est secundum naturam, in id quod est supra naturam ita elevare, ut illum

¹ O. c., p. 368-371.

² *La Tutta Santa*, pp. 198-208, Roma, 1929.

³ Etiam Theodorus ABOU-KURRA († 820), S. Ioannis Damasceni discipulus, hoc fere modo Deiparae mortem explicabat. Dicebat quod, sicut Adam, dum dormiebat, costula privatus remansit, ita Deipara, veluti in sommo, sanctissimam suam animam Deo tradidit (PG 97, 1497 B). Idem docuerunt S. Ioannes Damascenus et S. Germanus etc., prout ex textibus afferendis in questione de Assumptione patebit.

⁴ S. THOM., 2a, 2ae, Q. 175, a. 2.

extra se rapiat: *ex hoc enim ipso quod appetitus ad aliquid vehementer afficitur, potest contingere quod ex violentia affectus homo ab omnibus aliis alienetur*, quod maxime verum est de divino amore; unde etiam Paulus, ex virtute divini amoris extasim faciente, dicebat:¹ *Vivo autem, iam non ego, vivit vero in me Christus* ».

« Quapropter, Beata Virgo pro immensa caritate qua flagrabat, dicenda est, sub fine vitae suae mortalis, extases et raptus quasi incessanter habuisse, in quibus divinam bonitatem contemplabatur, sive per similitudines quasdam imaginarias, qualis fuit, verbi gratia, excessus mentis qui cecidit supra Petrum,² sive per intelligibiles effectus, sicut fuit excessus David dicentis:³ *Ego dixi in excessu meo: Omnis homo mendax*.

« Huiusmodi tamen raptus tales sane fuerunt, ut compossibiles essent in Maria cum statu vitae praesentis, cum haec contemplatio non solum non tollat unionem animae ad corpus; sed nec conversionem ad phantasmata excludat. *La très sainte Mère, ait S. Franciscus Salesius, n'ayant rien en soi qui empêchat l'opération du divin amour de son Fils, elle s'unissoit avec iceluy d'une union incomparable, par des extases douces, paisibles et sans effort, extases esquelles la partie sensible ne laissoit pas de faire ses actions, sans doner pour cela aucune incommodité à l'union de l'esprit, comme réciproquement la parfaite application de son esprit ne donnoit pas fort grand divertissement aux sens* » (*Traité de l'amour de Dieu*, l. 7, c. 14, Paris, 1862, t. 2, p. 194). « Dicendum igitur quod, cum Beata Virgo ad tantum contemplationis gradum vi intensissimi amoris antea elevata fuisset, tempore a Deo praestituto, raptu excellentiori ad tertium caelum sublimata est, ut scilicet ipsam divinam Essentiam in seipsa, sine ulla specie, contemplaretur, non quidem per modum passionis transeuntis, sicut alias ipsi obtigerat, sed per modum formae permanentis.

« At recolendum est divinam Essentiam, quia excedit in infinitum non solum omnia corpora, sed etiam omnem intelligibilem creaturam, ideo non posse videri mediantibus phantasmatibus, sed nec mediante quacumque specie intelligibili creata: unde necesse est hominem in statu viae abstrahi seu alienari totaliter a sensibus, ad eam facialiter videndam.⁴

« Haec autem abstractio, seu alienatio dupliciter fieri potest: *uno modo sic*, ut auferatur ab anima *actualis* conversio ad phantasmata et sensibilia, *alio modo*, ut auferatur ab anima etiam *connaturalis habitudo* ad praedictam conversionem, quod non nisi per mortem corporalem compleri potest. Quae duo ita complectitur S. Augustinus:⁵ *Nemo videns (Deum) vivet ista vita, qua mortaliter vivitur in istis sensibus corporis, sed nisi ab hac vita quisque quodammodo moriatur, sive omnino exiens de corpore, sive ita aversus et alienatus a carnalibus sensibus, ut merito nesciat, sicut Apostolus ait, utrum in corpore an extra corpus sit, cum in illam rapitur et subvehitur visionem*.

« Porro, ad visionem divinae essentiae per modum passionis transeuntis perficiendam, sufficit prior abstractio, quae quidem mortem de necessitate non inducit, ut dictum est, et miraculose per virtutem divinam completur, sicut si *corpus per violentiam fortioris virtutis elevatur supra locum convenientem sibi secundum speciem suae naturae*;⁶

¹ Gal., 2, 20.

² Act., 10, 10.

³ Ps., 115, 11.

⁴ S. Thom., l. c., art. 3, ad 2um.

⁵ L. 12 Sup. Gen. ad litt., c. 27, t. 3, pars I, col. 317.

⁶ Ibid., ad 2um.

visio autem divinae essentiae quae est per modum formae permanentis, scilicet per lumen gloriae, non potest perfici, nisi habitudo connaturalis animae ad intelligendum per conversionem ad phantasmata radicitus tollatur: radicitus autem nequit tolli, nisi per separationem animae a corpore, ut innuimus: unde huiusmodi visio divinae Essentiae mortem corporis secumfert, iuxta illud: ¹ *Non enim videbit me homo et vivet*; et rursus: ² *Scientes, quoniam dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino, per fidem enim ambulamus, et non per speciem. Audemus autem et bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, et praesentes esse ad Dominum.*

« Cum igitur tempus advenisset quo Deiparae intensissimus amor coronari deberet, ipse se Deus ei conspiciendum exhibuit facie ad faciem, non transeunter, sed permanenter, ex quo de necessitate sequi debuit vinculi mortalis dissolutio; ipsa Deipara in hanc dissolutionem consentiente, et sic culmen suis meritis apponente.

« Equidem Deus, apud quem non est *impossibile omne verbum*, potuisset, si ita voluisset, impedire quin haec facialis et permanens visio Mariae concessa, illius animam a corpore separaret, et sic illam potuisset in caelum, quin mortem gustaret, transferre, quemadmodum Adam de paradiso terrestri ad caelum transtulisset, si ille minime peccasset: at talem translationem, quae, utpote supra naturae leges, fuisset verum miraculum, Deus in casu Mariae complere noluit.

« Cum enim Deus decrevisset ut Mater Verbi Incarnati similis eidem fieret per omnia quantum possibile sit, et cum inter mysteria Christi proprie emineat illius mors pro nobis libere suscepta, ideo, quo etiam hac in re Mater Filio conformis existeret, mortis cursum miraculose impedire noluit, ut scilicet etiam ex hoc capite Deiparae gratia augetur, nobisque exemplum subministraretur perfectae conformitatis cum divina Voluntate in mortis sententia subeunda ».

¹ Exod., 33, 20.

² 2 Cor., 5, 6, ss.

ANIMADVERSIONES RELATE AD MORTEM DEIPARAE

I) Animadversiones circa factum mortis.

Argumenta quaedam quae adduci solent ad Deiparae mortem probandam non tam valida — prout prima fronte viderentur — apparent. Etenim:

1) Relate ad argumentum desumptum EX TRADITIONE seu auctoritate Patrum et Scriptorum Ecclesiae, animadvertendum est traditionem illam *unanimem et constantem* non esse. In tribus enim prioribus saeculis nemo (si excipiatur Origenes, cuius tamen testimonium *incidentale* omnino valde dubiae authentiae est) locutus est de morte Mariae. Saec. iv S. Epiphanius, Palaestinensis, primus est qui quaestionem de morte Deiparae sibi ex professo proposuit, et conclusit asserendo *neminem scire* quonam modo Deipara hunc mundum reliquerit. Circa idem tempus Timotheus Hierosol. explicitè immortalitatem Deiparae asseruisse videtur. Et de facto, usque ad finem saeculi v, ignorabatur Hierosolymis sepulcrum Deiparae. Solummodo circa finem saeculi v, cum apparitione et celerrima multiplicatione, sive in Oriente sive in Occidente, apocryphi circa *Transitum Mariae*, opinio de morte Deiparae communis evadere coepit. Patres vero et Scriptores qui de morte Deiparae locuti sunt (S. Ephraem, S. Augustinus, etc.) tantummodo *per transennam* de eadem egerunt, et ad illam alludunt, quin quaestionem sibi proponerent, obvie supponentes B. Virginem, sicut alii omnes, obiisse; ideoque eorum testimonium non tanti faciendum esse videtur.

2) Argumentum EX LITURGIA non videtur omnino peremptorium. Verum quidem est titulum primaevae festivitatis diei 15 augusti *Dormitionem* fuisse, attamen ex liturgia diei simul sumpta patere videtur obiectum directum et praecipuum festi non fuisse proprie mortem, sed assumptionem, seu Mariae ingressum in gloriam caelestem eiusque pro hominibus apud Deum intercessionem. Mors, in initio, occasio potius quam *obiectum* directum festi fuisse videtur. De facto, in liturgia Romana, inde a saec. ix, verus regressus habetur relate ad mortem Deiparae, ita ut nihil vel fere nihil de ipsa remanserit.¹

3) RATIONES THEOLOGICAE vero quae ad factum mortis stabiliendum adduci solent, non satis validae videntur. Etenim:

a) *Conformitas cum Filio* potius quam in morte reali, *suavissima*, dulcissima, inveniri debet in morte eius *mystica* seu in compassione Deiparae stantis iuxta crucem *commorientis* tunc cum Filio, quia tunc revera dolores mortis gustavit dolore imo qualibet morte amariorem. Tunc enim, iuxta Simeonis prophetiam, anima eius fuit doloris gladio transfixa.

¹ Cfr JUGIE M., o. c., pp. 519 ss.

b) *Veritas Incarnationis* iam plusquam sufficienter confirmata fuerat a morte Christi in cruce et ab eius sepultura, quin necessaria fuerit mors et sepultura Deiparae. Eo vel magis quod iuxta quosdam Theologos (e. g. Lépiciér) corpus Deiparae, *statim post mortem* resurrexisset et denuo fuisset animae unitum.

c) *Associatio operi redemptionis* et morti redemptivae Christi, habita iam fuit iuxta crucem, cum Deipara « pene commortua » est cum Filio. Morte autem Filii, redemptio nostra iam operata est. Necessaria igitur non erat etiam realis mors Matris. Eo vel magis quod mors eius, utpote dulcissima, parum apta videbatur ad satisfaciendum pro peccato.

d) *Exemplum vero patientiae* potius quam in morte reali sed *placidissima*, et ideo tam dissimili a nostra, aptius invenitur in morte eius mystica sed amarissima iuxta Crucem Filii. Tunc enim ex his quae passa est didicit misericors fieri et exemplum fulgidissimum patientiae in adversis sustinendis evasit.

II) Animadversiones circa modum mortis.

Quae cum ita sint, *factum* mortis Deiparae cum absoluta certitudine probatum dici non posse videtur. Eo vel magis quod assertores sententiae communis de morte Deiparae, ubi agitur de assignando *modo* mortis eius, non solum mire dissentiunt, ¹ sed maximas etiam angustias patiuntur, eo quod difficulter omnino modus invenitur quo Deipara mori potuisset. Hinc magna dissensio in assignanda causa proxima mortis Deiparae.

Excluditur communiter quod Deipara mortua sit *ob aegritudinem* aliquam eo quod, ob perfectissimam corporis complexionem, aegritudini subiacere non potuit. Excluditur pariter quod mortua sit *ob senectutem*, eo quod Deipara — sicut et Christus — valde probabiliter senectuti subiecta non fuit, quemadmodum subiecta non fuit aegritudini, cum senectus ipsa — iuxta communem effatum — morbus sit, eo quod ob senectutem corporis organa consummantur, male disponuntur et ipsae facultates animae ita efficiuntur ut senes parvulis assimilentur: quae omnia Deiparae — sicut Christo — convenire non poterant. ²

Nec admitti potest sententia secundum quam Deipara obiisset *martyrio* aut morte violenta, quia — prout animadvertit S. Ambrosius — « Nec littera, nec historia docet ex hac vita Mariam corporalis necis passione migrasse: non enim anima, sed corpus materiali gladio transverberatur » (in Luc., 2, PL 15, 1656). Unde Baronius scribebat: « Eos non recipi ab Ecclesia catholica qui tradunt Mariam Virginem martyrio vita functam esse » (*Annal. Eccl.*, ad a. 48).

¹ Maxima etiam habetur dissensio circa annum mortis Deiparae. Numerantur enim viginti circiter anni diversi.

² Haud inutile erit animadvertere quod si Deipara ob senectutem mori debuisset, posita eius perfectissima corporis complexione, aetatem longiorem aetate Patriarcarum (Mathusala comprehenso) habuisset. De hac tamen longa commoratione Deiparae in terris nemo loquitur.

Nec sustineri potest peregrina sententia S. Petri Damiani, iuxta quem B. Virgo *ex dolore* mortua esset; passiones, enim, qualis est dolor, in B. Virgine semper rationi subiectae fuerunt.

Sustineri pariter nequit sententia iuxta quam B. Virgo *ex amoris excessu* veluti occisa fuisset. Talis enim amor sensitivus, vitae nocivus, prout animadvertit card. Lépicier,¹ inordinatus fuisset, corrigendus propterea a ratione; decebat autem quam maxime ut amor Deiparae in Deum esset ordinatissimus, ideoque in voluntate magis residens, nec in sensum, ultra quod natura ferre posset, redundaret.

Attamen nec sententia card. Lépicier admitti posse videtur. Gratis enim asseritur ad visionem beatificam *permanenter* habendam necessariam esse mortem. Si enim Adam non peccasset, in Paradisum absque morte, directe translatus fuisset.

Dicendum igitur videtur mortalitatem Deiparae in eius passibilitate implicite inclusam fuisse. Ex eo enim quod fuit passibilis (ob munus Corredemptricis) fuit etiam mortalis, cum terminus naturalis et necessarius passibilitatis sit praecise mortalitas. Cooperari enim debebat, ratione suae missionis Corredemptricis, operi quod in passione et morte consistebat, et ideo passibilitati et morti debuit esse subiecta.

¹ O. c., p. 369.

SECTIO TERTIA

DE HIS QUAE PERTINENT AD ANIMAM SIMUL
ET CORPUS BEATAE MARIAE VIRGINIS

Ratio huius sectionis. Expleta tractatione de iis quae pertinent ad animam et de iis quae pertinent ad corpus B. M. Virginis, remanet ut de iis agamus quae ad animam *simul* et ad corpus pertinent.

Divisio huius sectionis. Quia vero ea quae ad corpus simul et ad animam B. M. Virginis pertinent duo sunt, videlicet, illibata Deiparae Virginitas tum mentis tum corporis, et animae corporisque, per assumptionem, glorificatio, hinc in duo capita haec ultima sectio dividitur:

I) *De Virginitate B. M. V.*

II) *De Assumptione et glorificatione B. M. V.*

CAP. I – DE VIRGINITATE B. MARIAE

BIBLIOGRAPHIA: ALLO E. B., O. P., *La conception virginale de Jésus*, in *Nova et vetera*, 2 (1927) 324-339; BARDENHEWER O., *Mariae Verkündigung*, Freiburg 1905, 4-26; BEITTEL A. D., *A defense of the Virgin Birth*, in *Journ. Relig.*, 10 (1930) 601-603; BERGIN E., S. I., *Natus ex Maria Virgine*, in *Eccles. Rev.*, 71 (1924) 572-80; BOTZ P. R., O. S. B., *Jungfrauschaft Mariens im Neuen Testament und in der nachapostolischen Zeit*, Bottropi i. W. Postberg, 1935, in-8, xv-120 p.; CARPENTER H. I., *The Birth from Holy Spirit and the Virgin in the old Roman Creed*, in *Journ. theol. Stud.*, 40 (1939) 31-36; CLARKE L., *The Virgin Birth and recent discussion*, in *Theology*, 13 (1926) 78-92; CONWAY B. L., C. S. P., *The Virgin Birth*, New York, 1924; COOKE R., *Did Paul Know of the Virgin Birth? A historical study*, London 1927, in-8, 152 p.; CRAIN O. E., *The credibility of the Virgin Birth*, New York, 1921, in-8, 150 p.; DUBLANCHY E., in *Dict. Théol. Cath.*, t. 9, coll. 2341-2346; Galfano G., *La Vergine delle Vergini*, Palermo 1882; GRESHAM MACHEN I., *The Virgin Birth of Christ*, New York and London, 1930; GUITON W. H., *The Virgin Birth of our Lord*, in *Princeton Theol. Rev.*, 25 (1927) 389-416; KOCH H., *Virgo Eva-Virgo Maria. Neue Untersuchungen über die Lehre von der Jungfrauschaft und der Ehre Mariens in der ältesten Kirche*, Berlin, 1937, in-8, 115 p.; LOCKTON W., *The Resurrection and other Gospel narratives, and the narratives of Virgin Birth. Two Essays*, London 1924, in-8, 194 p.; MC CORMICK A., S. I., *The Doctrine of the Virginal Birth and some of its consequences*, in *Eccl. Rev.* 70 (1924) 492-502; NAULAERTS I., *Probatur Mariam esse virginem ante partum*, in *Vie Dioces.* 13 (1924) 575-570; *Probatur Mariam esse virginem in partu*, l. c., 651-655; *Probatur Mariam esse virginem post partum*, l. c., 14 (1925) 77-84; PFISTER K., *Defensorium immaculatae virginitatis* (Blockbücher, t. 2), Leipzig 1925.; RAHNER H., *Die Gottesgeburt. Die Lehre der Kirchenväter von der Geburt Christi im Herzen des Gläubigen*, in *Zeitschr. Kath. Theol.*, 59 (1935) 333-418; RHYS G., *The Virgin Birth of Christ*, New York 1930, in-8, 415 p.; SOMMERFELD K.,

Die jungfräuliche Geburt in den verschiedenen Religionen, Berlin, 1930, in-8, 36 p.; STAFFORD B. T., *The science of the Virgin Birth*, in *Bibl. Sac.* 84 (1927) 167-196; VOSTÉ I., O. P., *De conceptione virginali Iesu Christi*, Romae, 1933; WILSON L. M., *The Tree of knowledge of Good and Evil and the Virgin Birth explained*, London, 1925, in-8, 64 p.

Tractationis excellentia.

In corona fulgidissima maternitatis divinae, quam Deus capiti Mariae imposuit, plures singularissimae margaritae refulgent; at praecipua, inter omnes, virginitatis margarita resplendet.

Maternitas et virginitas fulgidissimum mulierum ornamentum constituunt; at ambo, naturaliter, simul existere nequeunt: maternitas enim virginitatem excludit, quemadmodum flos fructum et fructus florem excludit. Tantummodo Matrem suam Deus, munificentissime, ab hac naturali lege excipere voluit florem cum fructu, filium cum lilio in ipsa mirabiliter coniungendo. Et in hoc praecise B. Virgo ab omnibus aliis distinguitur, prout perpulchre S. Bernardus animadvertebat dicens: « Si in ea laudavero virginitatem, mihi multae virgines post eam videntur offerri. Si humilitatem praedicavero, invenientur forte vel pauci, qui, dicente Filio eius, mites facti sunt et humiles corde. Si magnificare voluero misericordiae eius multitudinem, sunt aliqui misericordiae viri etiam et mulieres. Unum est in quo, nec primam similem visa est, nec habere sequentem, gaudia matris habens cum virginitatis honore » (*Serm. IV, de Assumpt.*, n. 5, PL 183, 428). De hoc igitur summo Deiparae honore gratissima nunct ractatio habenda est. Quaedam tamen, praemittenda sunt.

Quid sit virginitas. Virginitas, a *virore*, est pars *castitatis*, cuius est « ut secundum iudicium rationis et electionem voluntatis, aliquis moderate utatur corporalibus membris » (2a.-2.ae, q. 151, a. 1, ad 1). Delectationes enim venereorum, quas moderatur castitas, specialem quamdam vehementiam habent, unde speciali refrenatione indigent (1. c., q. 152, a. 3).

At virginitas, non solum vetat ut quis in usu venereorum modum excedat, sed etiam facit ut homo immunem omnino se conservet a quolibet venereae voluptatis usu; et ob hanc rationem, virginitas supra castitatem specialis virtus est, cuius pars veluti *formalis* et completiva est propositum perpetuo abstinendi a qualibet delectatione venerea, etiam licita (prout fit in matrimonio), et vocatur *virginitas mentis*; pars vero *materialis* est integritas carnis numquam violata, et vocatur *virginitas corporis*.¹ Virginitas *mentis* (quae est proprie virtus) nullatenus amittitur per involuntariam violationem carnis, sed amittitur per violationem carnis voluntariam, etiam licitam; imo, amittitur etiam — salva integritate corporali — sive per alios actus libidinosos, sive etiam per sola turpia desideria, sive

¹ Quidam, e. g. VAN NOORT, praeter virginitatem *corporis et mentis*, admittit *virginitatem sensus* i. e. immunitatem a motibus concupiscentiae seu a fomite, de qua iam fuse egimus.

tandem per ipsum innocens desiderium contrahendi matrimonium eoque utendi.

Virginitas *corporis* e contra (quae, potius quam virtus, est naturalis conditio in qua personae nascuntur) amitti potest *voluntarie*, per voluntariam signaculi virginalis effractionem sive peccando, sive non peccando; *involuntarie* vero, per infirmitatem naturalem, vel ob casum fortuitum, vel etiam ob violentam alterius oppressionem.

Deipara *semper et perfectissime* Virgo fuit, sive mente sive corpore.

Synopsis errorum. Praeclarissimam hanc Deiparae praerogativam plures, saeculorum decursu, acriter impetiti sunt.

I. Virginitatem ANTE PARTUM seu conceptionem virginalem negarunt: 1) IUDAEI ET IUDAIZANTES qui, medio saeculo saecundo, odio in Christum eiusque Matrem incensi, Iesum vocaverunt (sit venia blasphemiae!) *Hannido* (i. e. ex adulterio natus),¹ et B. V. appellaverunt (sit venia blasphemiae!) *Sane* (i. e. publica peccatrix) et *Thmea* (i. e. in coenum libidinis volutata).

2) EBIONITAE — iuxta testimonium Eusebii² — et GNOTICI Cerinthus et Carpocrates³ nec non quidam Iustinus⁴ tenuerunt Iesum natum fuisse modo communi ex Maria et Ioseph.

¹ B. Virgo, iuxta Iudaeos, teste Celso (cfr ORIGENES, *Contra Celsum*, I, 32; PG 11, 722 sq.), cognita fuisset a *Panthera*, milite romano, a quo cognominatus esset *ben-Panthera* (cfr STRAK, *Kommenar z. N. T. und Midrasch*, I, 1922, pp. 36 sq.).

At, iniquissima haec fabula nullo nititur fundamento historico prout fatetur ipsemet Klausner, Iudaeus, recens biographus Christi (*Jesus of Nazareth*, translated from the original Hebrew by H. Dauby, 1925). Ita autem origo talis fabulae explicatur a Klausner (post Nietsch et Bleek): *Panthera* est corruptio vocis *παρθένος*. Iudaei enim audientes Christianos Christum appellare *filium Virginis*, *υἱὸς τῆς παρθένου*, Iesum vocare coeperunt, irrisiois causa, *ben ha-Pantera*, id est, *filium pantherae*. Postea tamen, sensim sine sensu, corruptionem nominis *παρθένος* in *Pantheram* oblitum, putaverunt *Panteri*, *Pantori* aut *Pandera* nomen fuisse patris Iesu. Cum vero *Panthera* non sit nomen hebraicum, putaverunt praedictum *Pantheram*, patrem Iesu, militem quandam romanum fuisse (l. c., pp. 23-24; 231-233).

Impia haec fabula a priori reiicienda apparet. Si enim Christus fuisset *illegitimus*, ex adulterio genitus, Iudaei, coevi Christi, et in ipsum maxime infensi, talem ignominiosam maculam ipsi obiecissent, praesertim cum seipsum Christum ac Filium Dei proclamabat. Hoc autem fecisse minime constat.

² *Hist. Eccl.*, 30, 8, 10; 6, 17, 1, PG 20, 452 A-460 A.

³ De istis S. Epiphanius scripsit: « Christum ex semine Ioseph et Mariae esse iuxta ipsorum Evangelium asserunt » (Haer., 30, 14, 3, PG 41, 429 B). De Carpocrate haec scribit S. Philastrius Brixianensis: « Christum autem dicit non de Maria Virgine et divino Spiritu natum, sed de semine Ioseph natum arbitratur, deque eo natum carnaliter sicut omnes homines suspicatur » (*Divers. Haeres.*, l. 35, ed. Vien., cur. Marx, p. 19). De Cerintho autem haec scribit S. Irenaeus: « Iesum autem subiecit non ex virgine natum (impossibile hoc ei visum est); fuisse autem Ioseph et Mariae filium similiter ut reliqui homines et plus iustitia et prudentia et sapientia » (*Contr. Haeres.*, l. 1, 26, PG, 7, 686).

⁴ HIPPOLYTUS, *Elenchus*, 5, 26, 29, PG 41, 429 B.

Ideas huiusmodi libenter secuti sunt Ethnici, praesertim vero Celsus et Iulianus apostata, quorum primus tenebat Pantheram patrem Christi fuisse, ¹ alter vero a Christianis quaerebat: quomodo, iuxta vos, Christus non ex Ioseph sed ex Spiritu Sancto ortus est? ²

3) Etiam pseudo-christiani a Iudaeis et ab Ethnicis mutuati sunt varias accusationes contra virginalem Christi conceptionem ex parte Mariae.

Reformationis seu melius Deformationis temporibus, *Anabaptistae* ³ virginalem Deiparae conceptionem impie negarunt. Eminent Lucas Sternberger qui contendit Iesum naturali modo ex Ioseph et Maria natum esse, et primogenitum fuisse multorum fratrum ex eodem connubio progenitorum. ⁴ *Centuriatores*, Martinus Bucerus et Petrus Martyr dixerunt Christum conceptum quidem fuisse de virgine corpore, sed non mente. Nec hodie desunt inter Protestantes adversarii Virginalis conceptionis B. M. V. ⁵ *Rationalistae* vero, inde a Fr. Strauss, in eorum Commentariis in Evangelium et in multis aliis scriptis, ⁶ non solum factum virginalis conceptionis reiciunt, sed etiam eiusdem possibilitatem, quia a priori miracula negant. ⁷ Ipsis adhaesit, in Italia, Sacerdos apostata Bianchi-Giovini in opere *La critica degli Evangelii*.

¹ Cfr NEWMAN C. I., *Iuliani Imp. librorum contra Christianos quae supersunt*, Lipsiae 1880, p. 212.

² Cfr ORIGENES, *Contra Celsum*, I, 32, PG 11, 722 ss.

³ Veteres Protestantes, ut Lutherus, Zwinglius, etc., perpetuam Deiparae virginitatem agnoverunt tamquam veritatem divinitus revelatam.

⁴ Cfr CANISIUS, o. c., l. 2, c. 17.

⁵ Attamen, non desunt hodie inter ipsos Protestantes, qui conceptionem virginalem defendunt; ita in Germania, Zahn, Grützmacher; in Anglia, A. Wright, H. B. Swete, G. Gore, W. Ramsey, W. Samday; in America, B. Warfield et J. Gresham Machen qui, in opere *The Virg. Birth of Christ*, anno 1930 typis edito, fortiter virginalem conceptionem, non tamen perpetuam Mariae virginitatem defendit.

⁶ Cfr, e. g. ZÖCKLER O., *Zum Apostolikum-Streit*, München, p. 30; Ephemerides, *Beweis des Glaubens* et Commentariorum series *Kurzgefasster Kommentar*, C. F. NÖSGEN, Synoptiker, pp. 20 s., 292 s.

⁷ Iuxta VENTURINI (*Natürliche Geschichte des grossen Propheten von Nazareth*, ed. 2, 1806) et etiam iuxta PAULUM DE REGLA (*Jesus de Nazareth*, Paris, s. d., c. 3, p. 52), Maria a iuvene quodam pulchro sese Gabriele Angelum dicente et magna promittente, decepta fuisset. Fundamentum pro hac impia sententia invenitur ab HARNACK in hoc quod Iesus praemature, i. e. ante tempus, opinione publica, natus esset, eo quod a Ioseph sponso, antequam cum illa cohabitaret (quamvis non illicite, iuxta strictum ius hebraicum), cognita fuisset. At, si aliqua suspicio de mala fama Mariae revera extitisset, procul dubio Iudaei hoc contra Christum obiecissent.

Negato igitur facto et possibilitate virginalis conceptionis, Rationalistae conati sunt explicare *originem fidei* in talem conceptionem recurrendo ad influxum sive iudaicum sive paganicum, sive etiam ad ethnico-christianorum elucubrationes circa titulum *Filius Dei*. At incassum omnino, prout fuse ostendit P. VOSTÉ in op. *De conceptione virginali Iesu Christi*, Romae 1933, pp. 53-66. En eius conclusio: « *Conceptio virginalis* utique est miraculum, cui a priori repugnat tam ratio humana quam ipsa natura. Quomodo igitur orta est fides in virginalem conceptionem?

II. Virginitatem IN PARTU negaverunt Tertullianus, Iovinianus et quidam Protestantes. 1) TERTULLIANUS (saec. III) in *L. de carne Christi*, c. 23: « Sed agnoscimus adimpleri propheticam vocem Simeonis, super adhuc recentem infantem Dominum pronuntiatam: Ecce hic positus est in ruinam et suscitationem multorum in Israel, et in signum quod contradicetur. Signum enim nativitatis Christi, secundum Esaiam: Propterea dabit vobis Dominus ipse signum: ecce virgo concipiet in utero, et pariet filium. Agnoscimus ergo signum contradicibile, conceptum et partum virginis Mariae; de quo Academici isti: Peperit et non peperit; Virgo, et non virgo. Quasi non, etsi ita dicendum esset, a nobis magis dici conveniret. Peperit enim, quae ex sua carne; et non peperit, quae non ex viri semine. Et Virgo, quantum a viro; non virgo quantum a partu. Non tamen ut ideo: Peperit et non peperit; et ideo: Virgo, quae non virgo, quia non de visceribus suis mater. Sed apud nos nihil dubium, nec retortum in ancipitem defensionem. Lux, lux; et Tenebrae, tenebrae, et Est, est, et Non, non. Quod amplius, hoc a malo est. Peperit, quae peperit. Et si virgo concepit, in partu suo nupsit, ipsa patefacti corporis lege, in quo nihil interfuit, de vi masculi admissi, an emissi, idem illud sexus resignaverit. Haec denique vulva est propter quam et de aliis scriptum est: Omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum vocabitur Domino. Quis vere sanctus, quam Dei Filius? Quis proprie vulvam adaperuit, quam qui clausam patefecit? Ceterum, omnibus nuptiae patefaciunt. Itaque magis patefacta est, quia magis erat clausa. Utique magis non virgo dicenda est, quam virgo, saltu quodam mater ante quam nupta. Et quid ultra de hoc retractandum est, cum hac ratione Apostolus non ex virgine, sed ex muliere editum Filium Dei pronuntiavit, agnovit adapertae vulvae nuptialem passionem? Legimus quidem apud Ezechielem de vacca illa quae peperit et non peperit. Sed videte, ne vos iam tunc providens Spiritus Sanctus notarit haec voce disceptaturos super uterum Mariae. Ceterum non contra illam suam simplicitatem pronuntiasset dubitative, Isaia dicente: Concipiet et pariet » (PL 2, 835 s.).

2) Tertulliano succedit (saec. IV) IOVINIANUS monachus, qui Epicurus Christianorum vocatus est, et — prout testatur S. Hieronymus — « inter phasides

Aut per viam facti, aut per viam mythi vel legendae. Contra utramque dilemnae partem habuerunt graves difficultates vario ex aspectu. At hypothesis myti vel legendae tales patitur difficultates, quae nullo pacto removeri possint: certo certius non est nata legenda inter Iudaeos Palaestinos, expectantes Messiam filium David (memento Tryphonis hoc obicientis Iustino). At adhuc minus paganus influxus explicat duplicem narrationem evangelicam tam evidenter semiticam, ut non nisi a Semitis et inter Semitas concipi potuerit: supposita origo mythologica talium narrationum foret paradoxon. Ergo nata est fides per viam facti... » (l. c., pp. 65-66). « De cetero (animadvertit idem P. Vosté), haec fides tot et tantas difficultates a priori patitur sicut fides in corporalem resurrectionem, ut *solum factum reale possit esse sufficiens ratio eius praedicationis*. Nisi enim esset reale factum, ipsa sua realitate praedicatoribus primaevae Ecclesiae impositum, eius arbitraria inventio, communi humano iudicio, fuisset condemnatio et finis religionis christianae » (l. c., p. 67).

aves et carnes suinas non tam emisit spiritum, quam eructavit » (*Contr. Vigilantium*, PL 23, 355).¹ Eius asseclae fuerunt, Auxentius, Greniobis, Germinator, Felix, Plotinus, Martianus, Ianuarius, Ingeniosus, Barbation et Sarmation.

3) Saec. XIV errorem hunc in Germania renovarunt haeretici LOTHARDI appellati, iuxta quos, si Maria virgo mansit in partu, non hominem sed angelum peperisset. Idem quoque saec. XVI sentierunt ANABAPTISTAE et Protestantes, ut Petrus Martyr, Bullingerius, Bucerus, Beza etc., nec non hodierni RATIONALISTAE dicentes Christum more aliorum hominum natum esse.

III. Virginitatem POST PARTUM plures negaverunt sive in Oriente sive in Occidente.

1) IN ORIENTE, primus qui docuit Mariam, post partum virginalem, matrimonium cum Ioseph consummasse, videtur fuisse *Eunomius*, Arianorum dux, ab auctore libri *Opus imperfectum*² et a Philostorgio acriter reprehensus.³

Eunomio adhaeserunt *Apollinaris* vel discipuli eius qui, teste S. Epiphanio, dixerunt « fratres Domini » fuisse filios quos Maria ex Ioseph habuit post natum Iesum.⁴ Ob hanc causam *Antidichomarianitae* appellati fuerunt. Idem docuerunt Pauliciani qui, praeterea, negaverunt Mariam generasse Christum.⁵

2) In OCCIDENTE, virginitatem Deiparae post partum — sicut et in partu — negavit Tertullianus (p. a. 202) cum iam esset haereticus (*De monogamia* 8, PL 2, 989 A; *De velandis virginibus* 6, PL 2, 946 B), prout animadvertibat S. Hieronymus contra illos qui Tertulliani auctoritate abutebantur.⁶

At classicus negator huius veritatis fuit HELVIDIUS qui, a. 380, Romae, praeter errorem in perpetuam virginitatem Deiparae, matrimonium virginitati aequavit. Contra ipsum scripsit S. Hieronymus librum *de perpetua Virginitate B. Mariae* (PL 23, 183-206). Paucis post annis, *Iovinianus*, monachus Romanus, helvidianam haeresim renovavit. Scripsit etiam contra ipsum S. Hieronymus,⁷ nec non S. Ambrosius.⁸ Inter praecipuos huius erroris propugnatores fuit *Bonosus*, Ep. *Sardicensis*, a Synodo Capuano anni 391 et a Papa Siricio (Epist. 9, 3, PL 13, 1177) condemnatus.

¹ Ab Harnack dictus est « Protestans ante Protestantismum ».

² « Insanus — ita legitur — nullum intellegit sanum » (Homil. I, PG 56, 635).

³ Pro Philostorgio, Eunomius est « impius » et sectatores eius « detestabiles » (*Hist. Eccl.*, 6, PG 65, 533 B).

⁴ Haer. 78, I, PG 42, 699 s.

⁵ Cfr GLYCAS M., *Annales* 3, PG 158, 395, et PETRUS SICULUS, *Hist. Manichaeorum*, 10, MAI, *Patrum nova Bibl.* VI, 3, p. 13.

⁶ « De Tertulliano nihil amplius dico quam ecclesiasticum hominem non fuisse » (*Adv. Helv.*, PL 23, 201 B).

⁷ *Adv. Iovinianum*, PL 23, 211-338.

⁸ *De institutione virginis et S. Mariae virginitate perpetua*, PL 16, 305-34.

Saec. VII error iste Hispaniam infecit, illumque invicte refutavit S. Hildophonus, ep. Toletanus, in *Tractatu de Virginitate S. Mariae*, contra tres infideles (Iovinianus, Helvidius et Iudaeus).

Saec. XVI eundem errorem renovarunt Protestantes et Anabaptistae, ut Petrus Martyr, Reisnerus, Bucerus, Sternberger etc. Idem tenent, nostra aetate, acatholici MAYOR (*The Epistles of St. James*, 1913, p. I-LXV), ZAHN (*Forschungen zur Geschichte des N. T. Kanons, VI Brüder und Vettern Iesu*, 1900, pp. 227-363), PAULUS, STRAUSS, RENAN etc.

Tractationis divisio: Quia alia veluti est virginitas *corporis*, alia vero est virginitas *animae* seu mentis, ideo tractationem in duo capita dividimus.

I. De virginitate corporis B. M. V.

II. De virginitate animae B. M. V.

Art. I – DE VIRGINITATE CORPORIS B. M. V.

Quaestionis divisio: Circa Virginitatem corpoream B. M. V. tria quaeri possunt, videlicet: Maria fuitne Virgo 1) ante partum, 2) in partu et 3) post partum?... Hinc tres articuli.

I – UTRUM MARIA FUERIT VIRGO ANTE PARTUM

Prop.: *Maria fuit virgo ANTE PARTUM, seu Christum concepit sola Spiritus Sancti virtute.*

I. Prob.: Auctoritate: MAGISTERII ECCLESIASTICI:

1) SYMBOLUM APOSTOLICUM PROFITETUR: « qui natus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine » (Denz., 2); « qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine » (Denz., 6).

2) SYMBOLUM EPIPHANII: « incarnatus est, hoc est ex Maria semper virgine per Spiritum Sanctum perfecte genitus, homo factus est, id est, perfectum assumpsit hominem, animam et corpus et mentem et omne quidquid homo est, excepto peccato, non e virili satu » (Denz., 13).

3) FIDES DAMASI: « conceptus est de Spiritu Sancto et natus ex Maria Virgine » (Denz., 16).

4) LIBELLUS IN MODUM SYMBOLI: « Hunc igitur Filium Dei, Deum natum a Patre ante-omne omnino principium, sanctificasse uterum Mariae Virginis, atque ex ea hominem verum sine virili generatum semine suscepisse » (Denz., 20).

5) SYMBOLUM NICAENO-CONSTANTINOPOLITANUM docet: « Incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine » (Denz., 86).

6) S. FELIX: « Ex Virgine Maria natum », « ex Virgine incarnatus » (Denz., 52); cfr anathemat. Damasi 6 (Denz., 64).

7) SIRICIUS, in Epistola *Accepi litteras vestras*, scribit: « Sane non possumus negare de Mariae filiis reprehensum, meritoque vestram sanctitatem abhorruisse, quod ex eodem utero virginali, ex quo secundum carnem Christus natus est, alius partus effusus sit. Neque enim elegisset Dominus Iesus nasci per virginem, si eam iudicasset tam incontinentem fore, ut illud genitale Dominici corporis, illam aulam regis aeterni concubitus humani semine coinquinaret. Qui enim hoc adstruit, nihil aliud nisi perfidiam Iudaicam adstruit, qui dicunt eum non potuisse nasci ex virgine. Nam si hanc accipiant a sacerdotibus auctoritatem, ut videatur Maria partus fudisse plurimos, maiore studio veritatem fidei expugnare contendunt » (in epist. *Accepi litteras vestras*, Denz. 91).

8) ANATHEMATISMUS PRIMUS S. CYRILLI: « Dei genitrix vocatur sancta Virgo » (Denz., 113).

9) S. LEO MAGNUS, in epist. dogmatica *Lectis dilectionis tuae*, 449: « Idem sempiterni genitoris Unigenitus sempiternus natus est de Spiritu Sancto et Maria Virgine... Conceptus quippe est de Spiritu Sancto intra uterum matris virginis, quae illum ita salva virginitate edidit, quemadmodum salva virginitate concepit... Fecunditatem enim virgini Spiritus Sanctus dedit ». « Nova autem nativitate generatus, quia inviolata virginitas concupiscentiam nescivit, carnis materiam ministravit... nec in Domino Iesu Christo, ex utero virginis genito, quia nativitas est mirabilis, ideo nostri est natura dissimilis » (Denz., 144).

10) CONC. CHALCEDONENSE, 451: « Ex Maria virgine Dei genitrice » (Denz., 148). — IOANNES 2, in epist. *Olim quidem*, 534: « Maria semper virgo » (Denz., 201): « Sanctam semper virginem »; « sumpsisse carnem credatur ex virgine » (Denz., 202).

11) CANONES ADVERSUS ORIGENEM, 2: generatio « ex virgine » (Denz., 204), 3: corpus Domini « in utero beatæ Virginis » formatum (Denz., 205).

12) CONCILIUM CONSTANTINOP. II, can. 2: « incarnatus de sancta gloriosa Dei Genitrice et semper Virgine Maria, natus est ex ipsa » (Denz., 214); can. 6 et 14: « semper Virgo » (Denz., 218-227).

13) CONC. BRACARENSE, can. 3: « ex Virgine nascitur » (Denz., 233).

14) S. GREGORIUS MAGNUS, in epist. *Quia charitati*, 601: « Non (autem) prius in utero Virginis caro concepta est, et postmodum divinitas venit in carnem... Nec ante conceptus et postmodum unctus est, sed hoc ipsum de Spiritu Sancto ex carne Virginis concipi a Spiritu Sancto ungi fuit » (Denz., 250).

15) HONORIUS IV, in epist. *Scripta fraternitatis vestrae*, 634, scribit: « Christus enim... sine peccato conceptus de Spiritu Sancto, etiam absque peccato est partus de sancta et immaculata Virgine Dei genitrice » (Denz., 251).

16) MARTINUS I, in Conc. Lateranense, 649, can. 21: « Si quis secundum sanctos Patres non confitetur proprie... Verbum e caelo descendisse, et incarnatum ex Spiritu Sancto et Maria semper virgine... » (Denz., 255); can. 3: « Si quis secundum sanctos Patres non confitetur proprie et secundum veritatem Dei genitricem Sanctam semperque Virginem et immaculatam Mariam, utpote ipsum Deum Verbum specialiter et veraciter, qui a Deo Patre ante omnia saecula natus est, in ultimis saeculorum absque semine concepisso ex Spiritu et incorruptibiliter eam genuisse, indissolubili permanente et post partum eiusdem virginitate, condemnatus sit » (Denz., 256); can. 3: « De sancta Virgine semper Dei genitrice Maria » (Denz., 257).

17) CONC. TOLETANUM XI, 675: « nova autem nativitate est genitus, quia intacta virginitas et virilem coitum nescivit, et foecundatam per Spiritum Sanctum carnis materiam ministravit. Qui partus Virginis nec ratione colligitur, nec exemplo monstratur: quod si ratione colligitur, non est mirabile; si exemplo monstratur, non erit singulare. Nec tamen Spiritus Sanctus Pater esse credendus est Filii, pro eo, quod Maria eodem Sancto Spiritu obumbrante concepit, ne duos Patres Filii videamur asserere, quod utique nefas est dici » (Denz., 282).

18) CONC. CONSTANTINOPOLITANUM III, 680-681, sicut Chalcedonense docet Christum conceptum fuisse « de Spiritu Sancto et Maria Virgine » (Denz., 290).

19) HADRIANUS I, in epist. *Si tamen licet*, 793, asserit quod Verbum « servilis formae conditionem... sumpsit ex Virgine » (Denz., 310).

20) CONC. FRANCOFORDIENSE, 794: « de Virgine natus est » (Denz., 313).

21) LEO III, Fides Nicephori, 811: « Virginem quoque, quae supernaturaliter et ineffabiliter pepererat, post partum virginem conservavit, virginitate illius secundum naturam nullam ex parte demutata aut labefactata » (Denz., 3029).

22) LEO IX, in Symbolo fidei, 1053: « temporaliter natum de Spiritu Sancto ex Maria semper virgine » (Denz., 344).

23) INNOCENTIUS III, in professione fidei Waldensibus imposita: « natus ex Maria Virgine » (Denz., 422).

24) CONC. LATERANENSE IV, 1215: « a tota Trinitate communiter incarnatus, ex Maria semper Virgine Spiritus Sancti cooperatione conceptus, verus homo factus » (Denz., 429).

25) CONC. LUGDUNENSE, 1274, in professione fidei Michaëlis Paleologi: « temporaliter natum de Spiritu Sancto ex Maria semper Virgine » (Denz., 462).

26) CONCILIUM FLORENTINUM, in Decreto pro Iacobitis, 1441: « ex immaculato utero Mariae Virginis », « ex Virgine », « de Virgine », etc. (Denz., 708 ss.).

27) SIXTUS IV, in Constit. *Cum praecelsa*, 1476, pluries Deiparam *Virginem* appellat et asserit quod « immaculata Virgo nihilominus post partum remansit » (Denz., 734); ita etiam in Constit. *Grave nimis*, 1483 (Denz., 735).

28) PAULUS IV, in Constit. *Cum quorundam*, 1555, illos damnat qui credunt, Dominum nostrum « secundum carnem non esse conceptum in utero Beatissimae semperque Virginis Mariae de Spiritu Sancto, sed sicut ceteros homines ex semine Ioseph », « ... aut eandem Beatissimam Virginem Mariam non esse veram Dei matrem, nec perstisse semper in virginitatis integritate, ante partum scilicet, in partu et perpetuo post partum » (Denz., 993). Cfr Denz., 1314, 1462 ss.

Est ergo veritas *de fide* definita.

II. Prob.: Auctoritate: S. SCRIPTURAE.

1) In V. T. primus qui virginelem Messiae conceptionem praenuntiavit fuit David (saec. XI-X a. Chr.) in Ps. 22 (vulg. 21). Est enim Psalmus eminenter messianicus, in sensu litterali proprio, prout interpretes hodierni communiter tenent una cum traditione christiana. Iesus, ex cruce, primum illius Psalmi versi-

culum recitavit cum dixit: « Deus meus, Deus meus ut quid dereliquisti me? ». Iamvero, in versiculis 10-11 illius psalmi modi quidam dicendi inveniuntur qui ad conceptionem virginalem Messiae aperte alludunt, videlicet: *Tu es qui extraxisti me de ventre — spes mea ab uberibus matris meae*. In te proiectus sum ex utero; de ventre matris meae Deus meus es tu ». In hisce versiculis allusio habetur ad morem apud hebraeos et graecos vigentem, deponendi nempe super genua proprii patris (Gen. 30, 3; Iob. 3, 2) puerum recens natum. Hoc modo pater puerum suum recognoscebat. Iamvero, Messias — prout ex versiculis illis apparet — proicitur (antropomorphice) super genua Dei Patris, qui idcirco tamquam Pater eius recognoscitur. Significatur ergo virginalis et miraculosa Deiparae conceptio.

Post duo vel tria saecula, Isaias (7, 14) aiebat: « Ecce Virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen eius Emmanuel ». Iam demonstravimus (p. I, sect. 2, pp. 97 s.), Emmanuelem de quo loquitur Isaias esse Messiam et Virginem ipsum parituram esse B. Mariam Virginem. Iamvero, mater Messiae praedicitur virgo sive in concipiendo sive in pariendo. Vox enim *alma*, quae in S. Scriptura adhibetur semper de virgine proprie dicta,¹ et participia (praesentia) « grvida et pariens », sensum *compositum* sat evidenter indicant, videlicet: « virginem gravidam », « virginem parientem », non vero sensum divisum, videlicet, virginem quae usque ad conceptionem et partum virgo fuerat, non vero in ipsa conceptione et in partu: Propheta, enim opus aliquod *extraordinarium* sat evidenter proponit, et non esset certe quid extraordinarium quod mulier aliqua usque ad conceptionem et partum virgo permaneat. Ergo Prophetia matrem virginem praedicit. Accedit testimonium S. Matthaei (1, 22 s.) qui explicite asserit tale vaticinium in B. Maria impletum fuisse.

2) IN NOVO TESTAMENTO:

a) Angelum, conceptionem et nativitatem filii annuntiantem, B. Virgo ita interrogat: « Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco? » Angelus vero non solvit difficultatem dicens: « cognosces virum », sed affirmando quod conceptio eius erit non modo naturali sed modo extraordinario, eo quod nihil est « impossibile apud Deum ». Ex iis tria clare patent: 1) Maria erat virgo cum Angelus ad eam venit; 2) Mariae difficultas ex sua virginitate tantummodo oritur; 3) difficultas solvitur ex eo quod ipsa modo miraculoso, et ideo salva virginitate, mater fiet.

Clarissime ergo, in hoc textu, virginalis conceptio docetur. Et haec est ratio cur authenticitas versiculorum 34 et 35 ab adversariis impugnatur. W. BOSSUET (*Die Schriften des N. T.*, I³, Gottingen, 1917, 402), et A. LOISY (*Les Evangiles*

¹ Frustra opponitur vers. 19 cap. 30 libri Prov.; sensus enim illius loci hic esse videtur: difficulter exploratur, num puella, quae se virginem exhibet, reapse virgo sit (ita *Le Hir, Etudes*, 1, 66); aut: difficulter exploratur, qua via vir perveniat ad seducendam virginem, more Orientali tam caute custoditam (*Brouwer*, in h. l.).

synoptiques, I, Ceffouds, 1907, pp. 290-294) putant versiculos illos adiectos esse documento iudaeo-christiano ab ipso Auctore Evangelii 3; alii vero ut H. HUSENER (*Geburt und Kindheit Christ*, in *Zeitschrift f. die neutestamentl. Wissenschaft*, 4 [1889] 122 s.), et A. HARNACK, dicere malunt versiculos illos interpolatos esse a redactore quodam posteriore.

Attamen, Harnack nullum *extrinsecum* argumentum contra authenticam illorum verborum adducit; argumenta vero *intrinseca* quae adducit facili negotio diluuntur (cfr RUFFINI, *Introd. in S. Script.*, p. II, l. I, pp. 119-123, Romae, 1925). Nil mirum ergo si ipsemet Adolphus Hilgenfeld, vir certe iudicio independens, rationes ab Harnack allatas tamquam omnino debiles respuit (*Die Geburt Jesu aus der Jungfrau in dem Lukas evangelium. Zeitschr. f. Wissensch. Theol.*, 44, 1901, pp. 313 ss.). Ceterum et alii Protestantes (e. g. Lightfoot, Plummer, Rösgen) Lucae narrationem uti genuinam accipiunt.

b) Matth. I, 16-25 refert quomodo Maria, antequam in domo Ioseph habitaret, « inventa est in utero habens de Spiritu Sancto ». Ioseph ergo, cum esset vir iustus, voluit occulte dimittere eam (ex quo clare patet ipsum non cognovisse illam); sed dum haec cogitabat, apparuit ei Angelus a quo de miraculoso conceptu edoctus est, sicut praedixerat Isaias. Iamvero haec omnia evidentissime ostendunt Mariam ante partum virginem fuisse.

Contra hunc clarissimum textum:

OBICITUR I: Quae ibi (3; 18-35) narrantur, contradicunt iis quae alibi narrantur, i. e. genealogiis (Matth. I). Etenim, Evangelista, ad hoc ut ostendat Christum filium esse David, tradit genealogiam Ioseph: insinuat ergo Ioseph patrem eius naturalem fuisse.

RESPONDETUR: Cum S. Matthaeus apertissime doceat Christum conceptum fuisse virginaliter, absque opera viri, opera videlicet Spiritus Sancti, iam evidenter patet noluisse ullo modo insinuare S. Ioseph patrem Eius naturalem fuisse. Quare ergo tradit Evangelista genealogiam Ioseph? Ob *duplicem* rationem: *Prima ratio* est quia S. Ioseph erat pater Christi *legalis atque civilis*. Christus enim natus est stante vero matrimonio Virginis cum S. Ioseph. Paternitas legalis (per legem leviratus) apud Israelitas paternitati naturali fere aequivalebat. *Secunda ratio* est quia Iesus ad S. Ioseph aliquomodo pertinebat. Ioseph enim, prout animadvertit Cornelius a Lapide, per coniugium, corporis Virginis quasi dominus effectus est, ideoque et fructus corporis B. Virginis ad eum pertinuit, sicut seges supernaturali modo nata in agro meo sterili, mea esset. Res illustrari potest exemplo quodam quo S. Franciscus Salesius egregie usus est (*Œuvres*, Paris, 1862, t. 3, p. 1862). Quando ex ore columbae decidit fructus in hortum, arbor quae ex illo fructu et in illo horto nascitur, ad illius dominum, procul dubio, pertinet. Iamvero B. Virgo est S. Ioseph utpote legitima uxor, hortus proprius, in quem decidit, ex ore Spiritus Sancti, fructus eximius, ex quo

arbor illa oritur, universum orbem protegens et alens, scilicet Christus Iesus. Ergo Christus ad Ioseph, horti frugiferi dominum, vero iure pertinet. In ceteris quidem connubiis humanis, maritus, certe, dici nequit proprie pater filiorum uxoris, quos ipse non genuit; ipsi enim, vel ante matrimonium, vel durante matrimonio, per adulterium, generati fuerunt. At Christus oritur, id est, concipitur et nascitur non ante matrimonium sed durante matrimonio, non per adulterium sed modo mirabili, in proprio Ioseph fundo, id est, in sua legitima uxore. *Legaliter* ergo Ioseph pater Christi erat. Et hoc sensu certe a S. Luca Ioseph vocatur pater Iesu (Luc. 2, 33; 2, 48), et Iesus dicitur « filius Ioseph » (Luc. 4, 22). S. Thomas ita explicat quomodo Christus dici possit *fructus* matrimonii inter Ioseph et Mariam: « Proles non dicitur bonum matrimonii solum in quantum per matrimonium generatur, sed in quantum in matrimonio suscipitur et educatur; et sic bonum illius matrimonii fuit proles illa et non primo modo. Nec tamen de adulterio natus, nec filius adoptivus, qui in matrimonio educatur, est bonum matrimonii, quia matrimonium non ordinatur ad educationem illorum, sicut hoc matrimonium fuit ad hoc ordinatum specialiter, quod proles illa susciperetur in eo et educaretur (in IV Sent., d. 30, q. 2, a. 2 ad 4)

Tertia ratio: quia per genealogiam Ioseph simul constabat de tribu et de familia Mariae, quin eiusdem genealogiam (contra morem Scripturae quae non solet mulierum genealogias tradere) explicite traderet. B. Virgo enim erat filia *heres* (prout S. Lucas, 2, 4-5, insinuare videtur et prout a veteribus traditur) et ideo non nisi viro eiusdem familiae nubere poterat (n. 36, 6-8).

OBICITUR 2: in versione syro-sinaïtica versiculi 16, cap. I, S. Matthaei, ita legitur: « Iacob genuit Ioseph; *Ioseph* autem, cui desponsata erat virgo Maria, genuit Iesum ».

RESPONDETUR: Codices graeci, longe plurimi, habent: « Iacob genuit Ioseph, virum Mariae, de qua natus est Iesus »; ita etiam latina Vulgata; pauci vero Codices graeci habent: « Iacob genuit Ioseph, cui desponsata virgo Maria genuit Iesum »; ita etiam vetus latina. Versio vero syro-curetoniana habet: « Iacob genuit Ioseph, cui desponsata erat virgo Maria quae genuit Iesum ». Iamvero, in omnibus istis lectionibus, nullo modo dicitur Ioseph genuisse Iesum; et ideo unica lectio (syro-sin.) contra tot tantasque lectiones, nihil valere potest. Lectio siro-syn. forsitan, orta est ex eo quod nomen Ioseph *bis* transcriptum est. Ceterum, ipsa versio syro-sin., in v. 19 et seqq. in essentialibus cum reliquis convenit et ideo conceptionem virginalem docet. Illud « genuit Iesum », igitur, solummodo de generatione *legali* intelligi potest.¹

¹ SCHAUMBERGER I., C. SS. R., *Ueber die Echtheit der Lesung des Sinai-Syrers: Ioseph cui desponsata erat Maria Virgo genuit Iesum*, in *Theol.-prakt. Quartalschr.*, 78 (1925) 302-325.

III. Prob.: Auctoritate PATRUM ET SCRIPTORUM ECCLESIAE:

Inde a primis Ecclesiae saeculis, Patres et Scriptores Ecclesiae unanimi voce virginitatem Deiparae ante partum apertissime professi sunt, ita ut ipsemet Harnack, acerrimus huius dogmatis impugnator, scribere non dubitaverit: « Seculo II, christiani ex gentibus illud, ut videtur, unanimiter profitebantur » (*Dogmengesch.* 1³, p. 96). Laudari solent:

S. IGNATIUS, immediatus Apostolorum discipulus, in *Ep. ad Ephes.*, 19, 2, docuit Mariam Virginem fuisse *ante partum et in partu*: « Et principem huius mundi latuit Mariae virginitas et partus ipsius, similiter et mors Domini » (FUNK, *Patres Apostolici*, 1, ed. 2, 1901, pp. 228-229). Et in *Epist. ad Smyrnaeos*, I, 1, Christum dicit « γεγεννημένον ἀληθῶς ἐκ παρθένου, *natum vere ex Virgine* » (l. c., 276-277).

ARISTIDES, in sua *Apologia, ad Adrianum* (c. a. 125), 25: « in Spiritu Sancto de caelo descendit ad salvandos homines, et, ex sancta virgine genitus sine semine et sine corruptione, carnem assumpsit » (PG 96, 1121).

S. IUSTINUS in sua *Apologia prima pro Christianis ad Antoninum* (a. 138-161) explicite docet conceptionem et partum virginalem Mariae, et Deiparam plerumque non Mariam sed simpliciter *Virginem, primus omnium*, appellat, quod appellativum postea commune evasit. In *Apologia* 1, 33: « Iam vero quemadmodum ex virgine oriturum conceptis verbis Isaia praedixerit, audite. Sic autem locutus est: Ecce Virgo in utero habebit et pariet filium, et dicent super nomine eius: Nobiscum Deus. Quae enim incredibilia erant et fieri non posse hominibus videbantur, ea Deus per Spiritum propheticum futura praenuntiavit, ut cum evenissent, fides eis non derogaretur, sed ex eo quod essent praedicta, crederetur. Ne qui autem prolatam prophetiam minus intelligentes, eadem nobis obiiciant, quae poetis, Iovem dicentibus ad mulieres rei venereae causa ventitasse, obiecimus, verba explanare tentemus. Illud igitur: Ecce Virgo in utero habebit significat absque concubitu concepturam. Nam si cum aliquo consuevisset, non iam esset virgo. Sed virtus Dei superveniens Virgini obumbravit eam, fecitque ut tum, cum esset Virgo, praegnaret. Et qui tunc ad ipsam Virginem missus est Angelus Dei, sic laetum ei nuntium attulit: Ecce concipies in utero ex Spiritu Sancto etc. » (PG 6, 380 s.).

S. IRENAEUS, in opere *Adversus haereses*, 1, I, c. 10, n. 1 docet Ecclesiam fidem habere « in eam quae est *ex virgine generationem* » (PG 7, 549). In l. 3, c. 19, n. 1: « ex virgine est Emmanuel » (PG 7, 938). In l. 3, c. 19, n. 3: « Homo (Achaz) nec speravit virginem praegnantem fieri posse, quae erat virgo, et parere filium et hunc partum Deum esse nobiscum » (PG 7, 941). In l. 3, c. 21, n. 6: « Quid enim magnum aut quod signum fieret in eo quod adolescentula concipiens ex viro peperisset, quod evenit omnibus, quae pariunt, mulieribus? Sed quoniam inopinata salus hominibus inciperet fieri Deo adiuvante inopinatus et partus virginis

fiabat. Deo dante signum hoc, sed non homine operante illud » (PG 7, 953). In l. 3, c. 21, n. 10: « Verbum existens ex Maria, quae adhuc virgo erat » (PG 7, 223),¹ cfr etiam l. 3, c. 22, n. 4 (PG 7, 959).²

TERTULLIANUS, in *De carne Christi*, 17, docuit Mariam Virginem fuisse *ante partum*: « Ante omnia autem commendanda erit ratio quae praefuit, ut Dei Filius de virgine nasceretur. Nove nasci debebat novae nativitatis dedicator, de qua signum daturus Dominus ab Isaia praedicabatur. Quod est istud signum? *Ecce virgo concipiet in utero et pariet filium.* ⁵ *Concepit igitur virgo* et peperit Emmanuelem, Nobiscum Deum. Haec est nativitas nova, dum homo nascitur in Deo; in quo homine Deus natus est, carne antiqui seminis suscepta, sine semine antiquo, ut illam novo semine, id est spiritualiter, reformaret exclusis antiquitatis sordibus, expiatam. Sed tota novitas ista, sicut et in omnibus, de veteri figura est, rationali per virginem dispositione Domino nascente. Virgo erat adhuc terra, nondum opere compressa, nondum sementi subacta; ex ea hominem factum accepimus a Deo in animam vivam. Igitur si primus Adam de terra trahitur, merito sequens, vel novissimus Adam, ut Apostolus dixit, proinde de terra, id est carne nondum generationi resignata, in spiritum vivificantem a Deo est prolatus. Et tamen, ne mihi vacet incursus nominis Adae, unde Christus Adam ab Apostolo dictus est, si terreni non fuit census homo eius? Sed et hic ratio defendit, quod Deus imaginem et similitudinem suam, a diabolo captam, aemula operatione recuperavit. In virginem enim adhuc Evam irrepserat verbum aedificatorium mortis; in virginem aequae introducendum erat Dei Verbum exstructorium vitae; ut quod per eiusmodi sexum abierat in perditionem, per eundem sexum redigeretur in salutem » (PL 2, 781 s.).

S. HIPPLYTUS ROMANUS in op. *De Antichristo*, 4, scribit: « Dei enim Verbum, cum esset carnis expers, sanctam carnem *ex sancta virgine induit* » (PG 10, 732). In op. *Contra haeresim Noëti*, 17: « Sicut igitur praedicatus est, sic praesens se ipsum manifestum fecit *ex virgine et Spiritu Sancto* novus homo factus » (PG 16, 3412; lib. 10, c. 33; *ibid.*, col. 3454.

¹ Contra pravam interpretationem verborum Irenaei « Adhuc virgo », cfr ADAM K., *Theologische Bemerkung zu Hugo Kochs schrift: Virgo Eva - Virgo Maria*, in *Theol. Quartalschr.*, 119 (1938) 171-189; cfr etiam CAPELLE B., O. S. B., « Adhuc virgo » chez Saint Irénée, in *Rech. Théol. anc. méd.*, 2 (1930) 388-395; LEBON I., *CR de H. Koch, Virgo Eva - Virgo Maria*, in *Rev. Hist. eccles.*, 34 (1938) 336-345; LUKMAN F. K., in *Bogoslovni Vestnik*, 10 (1930) 105-120.

² Haec eadem fides in virginali Deiparae conceptionem apparet in *Odis Salomonis* ineuntis saec. II (cfr TIXERONT I., *Précis de Patrologie*, 1920, p. 79), in *Libro VIII Sibyllarum*, saec. II (cfr E. HENNECKE, *N. T. Apokryphen*, 1904, p. 336, l. 8, linn. 456-7), in pictura vetustissima quae invenitur in *Catacumbis Priscillae* (cfr WILPERT, *Le pitture delle Catacombe Romane*, 1903, tavv. 21-22, pp. 172-175), in celeberrima *inscriptione Abercii* a. 210 p. Ch. (cfr *Dict. Archéol. chrét.*, 1, coll. 70-71).

³ Is. 7, 14.

CLEMENS ALEXANDRINUS, in op. *Stromata*, l. 6, c. 15: « Iam vero universa quoque oeconomia quae praedicta est a prophetis de Domino, videtur omnino parabola iis, qui veritatem non norunt, quando Filium Dei, qui fecit omnia, carnem suscepisse, et *in utero Virginis conceptum esse* (quatenus scilicet fuit genita sensilis eius caruncula), et consequenter quatenus fuit genitus passum esse et resurrexisse, unus quidem dicit, alii vero audiunt: Iudaeis quidem scandalum, Graecis autem stultitiam, ut dicit Apostolus » (PG 9, 352). Cfr l. 7, c. 16 (PG 9, 530 s.).

ORIGENES, in op. *De principiis*, l. 1, praef. n. 4, inter ea quae ab Apostolis manifeste tradita fuerunt, haec refert: « Corpus assumpsit nostro corporali simile eo solo differens, quod *natum ex Virgine et Spiritu Sancto est* » (PG 11, 117). In *Comment. in Ioannem*, 32, n. 9: « si quis credat Iesum sub Pontio Pilato praeside cruci affixum, sacram rem quandam et salutarem mundo attulisse, non item credens eum ex Maria virgine et sancta assumpsisse, sed ex Ioseph et Maria, huic etiam deerunt maxime necessaria ad habendam omnem fidem » (PG 14, 784). In *Comment. in epist. ad Rom.*, l. 3, n. 10: « Christus vero, qui non ex semine viri carnis suae sumpsit originem, merito ex muliere factus dicitur » (PG 14, 956 s.). Cfr etiam PG 11, 726 s.

S. EPHRAEM, pluries de perpetua virginitate Deiparae loquitur. De conceptione vero virginali haec inter alia habet: « Canterò per le tue grazie (o Signore) — inni eletti — alla vergine la quale divenne — madre in modo prodigioso, — la quale è vergine eppur madre » (cfr RICCIOTTI, *Inni alla Vergine*, p. 14). « Concepito senza amplesso — e generato senza dissolvimento: — nell'eccelso senza Madre — nel basso senza padre » (l. c., p. 54). « Ella è il campo che giammai — non ebbe chi lo seminasse — eppure da essa germogliò — il manipolo di benedizione — ed ella dette senza seme — il frutto al mondo » (l. c., pp. 14-15).

Inutile putamus alios textus afferre.

IV. Prob.: Auctoritate LITURGIAE, in qua pluribus modis B. Mariae virginitas in concipiendo extollitur. Sic, in *festo Circumcisionis* Ecclesia cantat: « O admirabile commercium, Creator generis humani animatum corpus sumens de Virgine nasci dignatus est, et procedens homo sine semine largitus est nobis suam Deitatem » (*Antiph. 1 ad Vesp.*); et in *festo Annuntiationis*: « Suscipe verbum Virgo Maria, quod tibi a Domino per Angelum transmissum est: concipies et paries Deum pariter et hominem, ut benedicta dicaris inter omnes mulieres. Paries quidem Filium, et virginitatis non patieris detrimentum; efficieris gravida et eris mater semper intacta » (*Resp. 3 ad Matut.*); et alia huiusmodi passim in ceteris gloriosae Deiparae festis.

V. Prob.: Rationibus Theologicis quae ex duplici capite accipi possunt, videlicet EX PARTE CHRISTI et EX PARTE MARIAE.

I. **Ex parte Christi**, conveniens fuit virginalis conceptio quintupliciter:

1) *Prout est Filius Dei naturalis*: inconveniens erat ut ille qui — utpote Filius Dei naturalis — habebat patrem coelestem, patrem etiam terrenum et temporalem haberet, et ita dignitas Patris ad alium transferretur.

2) *Prout est Verbum Dei*: conveniens enim erat, ut etiam in generatione Verbi humana, id quod proprium est Verbi divini reluceret; atqui proprium est Verbi, qua talis, absque mentis vel cordis corruptione concipi; ergo conveniens erat ut caro Verbi Dei absque matris corruptione conciperetur.

3) *Prout est Redemptor humani generis* — Christus enim, utpote Redemptor generis humani, non debuit eo modo concipi quo originalis culpa vel debitum eiusdem traducitur in homines. Atqui talis modus est ordinaria generatio. Ergo...

4) *Ratione finis Incarnationis*, qui fuit *spiritualis* hominum *regeneratio*. Congruum enim erat ut, nascendo de Virgine secundum carnem, significaret membra sua mystica nasci debere non ex voluntate carnis neque ex voluntate viri, sed de Virgine Ecclesia ex Deo secundum spiritum nascitura.

5) *Ratione similitudinis cum Adam*. Christus enim est novus Adam. Iamvero, sicut Adam de terra Virgine natus est, ita conveniens erat ut Christus, novus Adam, de Virgine nasceretur. Uterque ergo oritur sine patre, uterque ex virgine nascitur matre.

II. **Ex parte Mariae**: conveniens fuit virginalis conceptio *prout est Mater Dei*: Virginalis enim conceptio divinitatem illius qui concipitur ostendit. Si enim Maria, *prout est Mater*, veram Filii sui humanitatem, *prout est Mater Virgo*, veram divinitatem ostendit.

OBICITUR 1: Si Iesus virginaliter conceptus fuisset, hoc mater eius procul dubio scivisset; atqui B. Virgo hoc ignorasse videtur; ergo... Si enim B. Virgo suam virginalem conceptionem cognovisset, Christum certe habuisset pro Messia, pro filio Dei: quod tamen non fecit, prout apparet ex S. Marco ubi dicitur quod « sui » (3, 20, 21) illum tenere volebant « quoniam in furorem versus erat »; illi autem: « sui » sunt « mater eius et fratres » (v. 31).

RESPONDETUR: 1) Nullimode probari potest versiculum 31 (in quo verba habentur: « mater eius et fratres ») esse confirmationem versiculi 20 (in quo habetur verbum « sui »). 2) Dato etiam et non concesso quod versiculus 31 sit confirmatio versiculi 20, nullo modo sequitur matrem eius eodem modo ac fratres eius de ipso iudicasse. Eo vel magis quod alii textus clarissimi habentur, prout iam vidimus, qui a Matre eius talem iudicandi modum omnino excludunt, ideoque adversariorum interpretationem impossibilem reddunt.

OBICITUR 2: Doctrina conceptionis virginalis Christi, non pertinet ad traditionem primitivam. Etenim S. Paulus, S. Marcus et S. Ioannes conceptum virginalem non narrant.

RESPONDETUR: Verum est; at hoc nihil contra conceptum virginelem probat eo quod illum minime excludit. Quinimmo etiam illi ad virginelem conceptum saltem alludunt. Etenim: 1) *S. Paulus* scripsit: « Misit Deus Filium suum factum *ex muliere* » (Gal., 4, 4); 2) *S. Marcus*, Nazarenorum opinionem (quae apud Matthaeum ita refertur: « Nonne hic est *filius Mariae* », 4, 22) hoc modo refert: « Nonne hic est faber, *filius Mariae?* » (6, 3); 3) *S. Ioannes* vero, qui Evangelia *S. Matthaei* et *S. Lucae* bene noverat, virginelem conceptum, nisi illum admisisset, certe excludere debuisset: quod tamen non fecit.

OBICITUR 3: Virginalis conceptus insertus est historiae infantiae ab hellenistis seu ethnico christianis, ad *divinitatem* Christi explicandam.

RESPONDETUR: hoc falsum est. Etenim: 1) *S. Paulus* (nec non *Ioannes*) magister *Lucae*, continuo divinitatem Christi praedicabat, non ideo quod natus erat de Spiritu Sancto ex *Maria Virgine* (*S. Paulus* enim conceptionem virginelem numquam *directe* commemorat) sed quia natus erat ex Patre, ante omnia saecula; 2) ex historia constat Gnosticos, hellenistas (et ideo ethnico-christianos) in univsum, nativitatem humanam Christi negasse, et ipsius praexistentiam defendisse; hoc vero excludit dogma de virginali conceptione ab ethnico-christianis originem duxisse.

II – UTRUM MARIA PERMANSERIT VIRGO IN PARTU

Prop.: *Maria permansit Virgo in partu.*

I. Prob.: Auctoritate MAGISTERII ECCLESIASTICI: hoc *implicite* asseritur in pluribus documentis in prima parte iam allatis, et *explicite* a *S. LEONE M.* (*Denz.*, 2183), a *MARTINO I* (*Conc. Lateran.* 649, can. 2, *Denz.*, 256), a *LEONE III* (*Denz.*, 3029), a *PAULO IV* (*Denz.*, 993).

II. Prob.: Auctoritate *S. SCRIPTURAE*: 1) In *V. T.*, ex vaticinio *Isaiae*, quod matrem *Emmanuelis* non solum virginem concipientem sed etiam virginem *parientem* exhibet. Dicit enim: « Ecce Virgo concipiet et *pariet* ».

2) In *N. T.*, apud *S. Lucam* virginalis partus sat evidenter, quamvis discrete, insinuatur verbis illis: « Et peperit Filium suum primogenitum et pannis eum involvit et reclinavit eum in praesepio »: quae officia a muliere, consuetis puerperarum incommodis obnoxia, praestari profecto non possunt.

III. Prob.: Auctoritate PATRUM: *S. IGNATIUS* in Ep. *Ad Ephes.* 19, 1, prout iam vidimus, *Mariae* partum miraculosum praedicat sicuti virginelem conceptionem (cfr *FUNK, Patres Apost.*, 1, pp. 228-29, ed. 2, 1902).

S. IRENAEUS, in op. *Adv. haereses*, 1, 4, c. 33, n. 11: « Et qui eum ex virgine *Emmanuel* praedicabant, adunitionem Verbi Dei ad plasma eius manifestabant;

quoniam Verbum caro erit, et Filius Dei filius hominis, purus pure puram aperiens vulvam, eam quae regenerat homines in Deum, quam ipse puram fecit, et hoc factus, quod et nos, Deus fortis est, et inenarrabile habet genus » (PG 7, 1080). In op. *Demonstratio praedicationis evangelicae*, c. 54: « De nativitate etiam eius dicit alio loco idem propheta: Priusquam illa quae parturit pareret, et priusquam advenirent dolores partus, liberatus est et evasis masculus (Is. 66, 7): inexpectatum et inopinatum per virginem partum eius annuntiavit » (PG 7, 953).

CLEMENS ALEXANDRINUS primus videtur qui explicite virginitatem in partu docuit strenueque vindicavit. Ita scripsit in op. *Stromata*, I, 7, c. 16: « Sed ut videtur, multis in hodiernum diem videtur Maria esse puerpera propter ortum filii, cum non sit puerpera. Quidam enim dicunt eam postquam peperisset, inspectam ab obstetrice inventam fuisse virginem. Tales autem sunt nobis Scripturae Dominicae, veritatem parientes et manentes virgines cum occultatione mysteriorum veritatis. Peperit et non peperit, inquit Scriptura, ut quae ex se, non ex coniunctione conceperit » (PG 9, 530 s.).¹

ORIGENES sat aperte docuit virginitatem in partu in *Comment. in Matth.*, t. 10, n. 17; in *Levit.*, hom. 8, n. 2. Pro solutione eorum quae in contrarium obiciuntur, cfr nostra *Introductio in Mariologiam*, pp. 108-109.

S. EPHRAEM, pluries virginitatem in partu in suis hymnis exponit. « In Maria avvenne il prodigio — che partori verginalmente » (cfr RICCIOTTI, *Inni alla Vergine*, p. 19). « Uscì dal ventre — non disciogliendo i sigilli della verginità di Lei — come neppure i sigilli del sepolcro egli sciolse » (l. c., p. 50). « Dentro all'utero di carne — un talamo stava preparato: — giacendo se ne stava in esso — lo sposo celeste, — e segni verginali custodivano — le porte con diligenza —. Quando poi quel glorioso volle uscire, — lasciò i segni verginali immersi nel sonno, — sì che non si avvidero dell'uscita di Lui: — Ma i Vigili e gli Angeli — cantavano laudi » (l. c., p. 55).

Invehit contra *scrutatores* scribens: « Che la Vergine partorisca — sente (dire) e non crede — lo scribe e l'investigatore, — perchè vede che naturalmente — non è affatto possibile — che partoriscono le vergini. — In Maria la natura fu

¹ « Quae Clemens hic indicat, — animadvertit P. LENNERZ — narratur fuse in Protoevangelio Iacobi, c. 19 s. (saec. II ortum). Cum beata Virgo esset in specu et partus instaret, Ioseph exivit, quaerens obstetricem, quae statim ei obviam venit et ambo intrant ad beatam Virginem; post miraculosum partum obstetrix exclamat magnam rem se vidisse, exit et ea quae acciderunt Salome narrat: virgo peperit, quod natura, condicio eius non permittit. Salome respondet se non credere, nisi digito suo examinando certitudinem acquireret. Intrant ad Mariam, Salome, quae dixit, exsequi vult, sed clamat, manum suam igne esse combustam. Angelus apparet, qui Salome monet, ut manum extendat ad infantem eumque portet; quod cum facit, manus eius est sana. — Eadem convictio de partu virgineo elucet in Ascensione Isaiae, 11 (Haec fortasse ex saec. I); in *Oda 19 Salomonis* (saec. II); in *Oraculis Sibyllinis saec. II* » (*De Beata Virgine*, p. 35, Romae, 1935, ed. 2).

superata e vinta: — ella infatti concepi vergine — e vergine partori. Per tale via non è possibile — che la natura proceda. — Il bambino apparve ed uscì — per la via dei bambini. — E sua Madre fu vergine, — e di prodigio fu ella ammantata; — il frutto ella partori e il suo grembo restò sigillato. — Nuova fu quindi la via per cui procedette — conoscendo il miracolo, concedendo — alla vergine il parto: la qual cosa non concede — la natura alla femmina » (l. c., p. 22).

S. BASILIUS (?), in *Comment. in Isaiam*, n. 201 (PG 30, 465). S. GREGORIUS NAZIANZENUS, in *Orat.* 40, 45 (PG, 36, 424); S. EPIPHANIUS, in op. *Adv. haereses Panarium*, haer. 30, 20 (PG 41, 437) *virginitatem in partu pariter profitentur.*

Inter Patres Occidentales *virginitatem in partu* testantur:

S. HILARIUS, in o. *De Trinitate*, l. 3, c. 19 (PL 10, 87); S. ZENO VERONENSIS, in l. 1, tract. 5, n. 3 (PL 11, 303); l. 2, tract. 8, n. 2 (PL 11, 414 s.); tract. 9, n. 1 (PL 11, 416 s.); et praesertim S. HIERONYMUS qui pluries de hac re agit (cfr NIESSEN, *Die Mariologie des hl. Hieronymus*, pp. 141-144).

In Epistola 48, 21 scribit: « Christum virgo, Mater virginis nostri Virgo perpetua, mater et virgo. Iesus enim clausis ingressus est ostiis, et in sepulcro eius, quod novum et in petra durissima fuerat excisum, nec antea quis nec postea positus est. Hortus conclusus, fons signatus,¹ de quo fonte ille fluvius manat iuxta Ioel,² qui irrigat torrentem (Ioel 3, 18) vel funium vel spinarum... Haec est porta orientalis ut ait Ezechiel,³ semper clausa et lucida et operiens in se vel ex se proferens sancta sanctorum, per quam sol iustitiae et pontifex noster secundum ordinem Melchisedech ingreditur et egreditur. Respondeant mihi, quomodo Iesus ingressus est clausis ostiis, cum palpandas manus et latus considerandum et ossa carnemque monstraverit, ne veritas corporis phantasma putaretur, et ego respondebo, quomodo sancta Maria sit et mater et virgo: virgo post partum, mater ante quam nupta » (PL 22, 510). In *Homilia in Io.* 1, 1-14: « Sancta Maria, beata Maria, mater et virgo, virgo ante partum, virgo post partum. Ego hoc miror, quomodo de virgine virgo natus sit, et post nationem virginis mater virgo sit. Vultis scire, quomodo de virgine natus sit, et post nativitatem mater ipsa sit virgo? Clausa erant ostia, et ingressus est Iesus. Nulli dubium, quin clausa sint ostia. Qui intravit per ostia clausa, non erat phantasma, non erat spiritus, vere corpus erat. Quid enim dicit: Respiciete et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, quae me habentem videtis. Habebat carnes, habebat ossa: et clausa erant ostia. Quomodo clausis ostiis intraverunt ossa et caro? Clausa sunt ostia, et intrat quem intrantem non videmus. Unde intravit? Omnia clausa sunt, locus non est per quem intret; et tamen intus est qui intravit, et non paret quomodo intravit. Nescis quomodo factum sit, et das hoc potentiae Dei. Da poten-

¹ Cant. 4, 12.

² Ioel, 3, 18.

³ Ezech., 44, 1.

tiae Dei, quia de virgine natus sit, et tamen ipsa virgo fuerit virgo post partum. Legimus in Ezechiel, in templi aedificatione: Porta, inquit, haec orientalis, quae respicit ad orientem, semper clausa erit; et nemo, inquit, intrabit per eam, nisi solus pontifex » (ed. MORIN, *Anecdota Maredsolana*, III, 2, pp. 390 s.).

S. AMBROSIUS, doctor Virginitatis,¹ in Epistola 42, ad Siricium Papam, nomine Synodi Mediolanensis scribit: « Sed de via perversitatis produntur dicere: Virgo concepit, sed non virgo generavit. Potuit ergo virgo concipere, non potuit virgo generare; cum semper conceptus praecedat, partus sequatur? Sed si doctrinis non creditur sacerdotum, credatur oraculis Christi, credatur monitis Angelorum dicentium: Quia non est impossibile Deo omne verbum.² Credatur Symbolo apostolorum, quod Ecclesia Romana intemeratum semper custodit et servat. Audivit Maria vocem Angeli, et quae ante dixerat: Quomodo fiet istud?³ non de fide generationis interrogans, respondit postea: Ecce ancilla Domini, contingat mihi secundum verbum tuum.⁴ Haec est Virgo, quae in utero concepit, virgo, quae peperit filium. Sic enim scriptum est: Ecce virgo in utero accipiet et pariet filium;⁵ non enim concepturam tantummodo virginem, sed et parituram virginem dixit. Quae autem est illa porta sanctuarii, porta illa exterior ad Orientem, quae manet clausa, et nemo, inquit, pertransibit per eam, nisi solus Deus Israel?...⁶ Haec porta est beata Maria, de qua scriptum est, quia Dominus pertransibit per eam, et erit clausa⁷ post partum; quia virgo concepit et genuit. Quid autem incredibile, si contra usum originis naturalis peperit Maria, et virgo permanet, quando contra usum naturae mare vidit et fugit, atque in fontem suum Iordanis fluente remearunt?⁸ Non ergo excedit fidem, quod virgo peperit, quando legimus quod petra vomuit aquas⁹ et in muri speciem maris unda solidata est.¹⁰ Non ergo excedit fidem, quod homo exivit de virgine, quando petra fontem profluum scaturivit,¹¹ ferrum super aquas natavit.¹² Ergo si hominem unda portavit, non potuit hominem virgo generare? » (PL 16, 1125 s.). Idem docuit in op. *De Incarnationis Dominicae sacramento*, c. 6, n. 54 (PL 16, 832), in *Expositione evangelii secundum Lucam*, I, 2, n. 56 s. (PL 15, 1572 s.), in *De institutione virginis*, c. 8, n. 52 (PL 16, 320).

¹ Cfr PAGNAMENTA, *La Mariologia di S. Ambrogio*, Milano, 1932, pp. 159-178.

² Luc., I, 37.

³ Luc., I, 34.

⁴ Luc., I, 38.

⁵ Is., 7, 14.

⁶ Ezech., 44, 2.

⁷ Ibid.

⁸ Ps., 113, 3.

⁹ Exod., 17, 6.

¹⁰ Exod., 14, 22.

¹¹ Num., 20, 11.

¹² IV Reg., 6, 6.

S. AUGUSTINUS persaepe virginitatem Mariae in partu docuit et defendit (cfr FRIEDRICH, *Die Mariologie des hl. Augustinus*, pp. 77-96). Cfr Epistola 137, 2, 8 (PL 33, 519), Sermo 186, 1, 1 (PL 39, 999), in *Ioannis evangelium*, t. 4, n. 10 (PL 35, 1410), etc. Idem docuerunt: S. CHRYSOLOGUS, Sermo 117 (PL 52, 520), S. LEO MAGNUS, Sermo 22, 2 (PL 54, 195), S. MAXIMUS TAURINENSIS, in Homil. 5 (PL 57, 235), S. FULGENTIUS, in Epistola 17, c. 6, n. 12 (PL 65, 457), S. GREGORIUS MAGNUS, in *Moralia*, l. 18, c. 52, n. 85 (PL 76, 89); in evangelia homiliae 1, 2, hom. 26, n. 1 (PL 76, 119), S. IOANNES DAMASCENUS, in *De fide orthodoxa*, l. 4, c. 14 (PG 94, 1161) etc.

IV. Prob.: Auctoritate LITURGIAE in qua pluries illibata Mariae virginitas in partu celebratur. En quaedam exempla: « Quae et Unigenitum tuum Sancti spiritus obumbratione concepit et virginitatis gloria permanente, lumen aeternum mundo effudit, Iesum Christum Dominum nostrum » (in *Praef. de B. M. Virgine*).

« Communicantes et diem sacratissimum celebrantes quo beatæ Mariae intermerata virginitas huic mundo edidit Salvatorem » (*Communicantes* in Nativ. Domini).

« Tu quae genuisti, natura mirante, tuum sanctum Genitorem, virgo prius ac posterius » (antiph. fin. *Alma Redemptoris Mater*).

« Paries quidem Filium et virginitatis non patieris detrimentum; efficieris gravida et eris mater semper intacta » (in *Offic. Annuntiat.*).

V. Prob.: Rationibus theologicis quae ad duo pariter capita reduci possunt: EX PARTE CHRISTI ET EX PARTE MARIAE.

I) **Ex parte Christi:** 1) *prout est Verbum Dei:* Verbum enim, non solum absque concipientis corruptione concipitur, sed etiam absque concipientis corruptione procedit seu nascitur. Conveniens ergo erat ut ille qui est Verbum Patris, a matre nedum absque corruptione conciperetur sed etiam ex illa absque corruptione nasceretur.

2) *Prout est Redemptor generis humani:* Conveniens erat ut ille qui ad corruptionem auferendam veniebat, matrem in sua illibata virginitate non corrumperet.

II) **Ex parte Mariae:** *prout est Mater Dei:* si enim Christus ceterorum hominum more natus fuisset, nihil in nativitate eius haberetur quod illum verum Deum esse ostenderet.

B. Virgo igitur, in suo virginali partu, omnis inmunditiae et corruptionis expers fuit, idcirco legi purificationis minime subiecta fuit; quod si eidem legi se subicere voluit, hoc fecit ad aliorum scandalum vitandum, eo quod eius partus virginalis hominibus notus non erat. Ex hoc autem quod Evangelista verba legis « die purificationis », refert, non sequitur significare voluisse Matrem Christi purificatione indiguisse, sed voluisse indicare tantummodo *terminum* quo infans

Domino, iuxta legem, sisti debebat. De hac enim praesentatione filii ibi sermo proprie est.

Pariter, B. Virgo, nullam in suo virginali partu passa est tristitiam, quinimmo « in laetitia Dominum parturivit » (Serm. 18 *de Sanctis*, inter op. S. Augustini, PL 39, 2105).

OBICITUR 1: Si partus Mariae virginalis reapse fuit, cur — prout narratur a S. Luca — B. Virgo purificationis legi, sicut quaelibet alia mulier, se subiecit?

RESPONDETUR: hoc fecit B. Virgo, non quia legi teneretur, sed ad proximi scandalum vitandum. *Dies* vero *purificationis* ab Evangelista memorati significant tantummodo *terminum* in quo primogenitus, iuxta legem Moysis, praesentari debebat Domino. Ibi enim sermo magis est de praesentatione pueri quam de purificatione matris.

OBICITUR 2: Non intelligitur quo modo, in concreto, partus virginalis intelligi possit.

RESPONDETUR: variae fuerunt, saeculorum decursu, sententiae a Theologis propositae ad hanc rem explicandam, quarum quaedam sunt omnino improbandae.

1) Quidam — prout testatur Damascenus — fabulati sunt B. Virginem Christum effudisse per oculos aut per latus aut per genua; et alii (in Germania, saec. IX) tenuerunt Christum ex Virgine, per *incertum tramitem* prodiisse.¹

At haec, vera deliramenta dici debent. Certum enim est B. Virginem sicut reliquas matres, per naturalem viam, Christum peperisse, prout apparet praesertim ex Luc., 2, 5-6: « Et impleti sunt dies eius ut pareret, et peperit Filium suum primogenitum ». Insuper Christum per incertum tramitem prodire, « non est nasci sed erumpi » prout rite animadvertet Ratramnus, Monachus Corbeiensis (in lib. *de nativitate Christi*, c. 1, PL 121 83).

2) DURANDUS docuit quod divina virtute fieri potuit in B. Virgine, ut pareret, sine aliqua membrorum et naturalium viarum dilatatione, interruptione vel fractione. Hoc asserebat quia putabat repugnantiam involvere quod duo corpora sint simul penetrative in eodem loco. At etiam haec sententia communiter a Theologis reicitur tamquam *periculosa* (Medina), vel parum distans ab errore haeticorum (Vasquez).

3) Theologi communiter docent Christum natum esse via naturali ex B. Virgine, per miraculosam penetrationem, absque ulla vel minima organorum eius laesione vel mutatione. Patres enim exemplo sideris utuntur qui absque sui laesione radium emittit.

Ita S. Bernardus: « Nec sideri radius suam minuit claritatem, nec Virgini Filius suam integritatem » (*Hom. 2 super Missus est*, PL 183, 70). Et Contenson ita fusius imaginem evolvit: « Sicut etiam, splendor solis vitrum absque laesione perfundit et penetrat eiusque soliditatem insensibili subtilitate pertrahit, nec, cum ingreditur, violat; nec, cum egreditur, dissipat; sic Dei Verbum, splendor Patris virgineum habitaculum adiit et inde clauso utero prodiit, quia Mariae puritas speculum est illibatum, quod nec lucis repercussu scinditur, nec radiorum cuspidibus feritur, sed innocuo tramite praebet fulgori commeatum » (o. c., l. 10, Dissert. 6, c. 2).

¹ Cfr MACDONALD A. I., *Berengar and the Virgin-birth*, in *Journ. theol. stud.*, 30 (1929) 291-294.

Quod si Patres, aliquando, de vulvae adaperitione loquuntur, locutione biblica utuntur (Luc., 2, 23), quae locutio quamvis a naturali modo pariendi desumpta sit, tamen non materialiter accipienda est sed ita ut solam veritatem nativitatis ex Maria exprimat. Eodem modo enim terminus oppositus « claudere vulvam », non materialiter sumitur, prout exprimit vel similitudinem vel finem pariendi. Hoc patet ex eo quod Patres explicite virginitatem in partu profitentur.

Et revera talis nativitas *feri potuit*: non repugnat enim duorum vel plurium corporum compenetratio vel coexistentia in eodem loco. Duplex enim est effectus quantitatis: 1) extendere partes corporis *quoad se*, ita ut una pars sit extra aliam; et 2), extendere partes corporis *quoad locum*, illud impenetrabile reddendo, ita scilicet ut aliud quodcumque corpus a loco per ipsum occupato repellat. Iamvero primus effectus (extensio partium *quoad se*) est effectus primarius et intrinsecus quantitatis; alius effectus e contra (extensio partium *quoad locum*) est secundarius et extrinsecus, et ideo *virtute divina* impediri potest in corpore quanto, prout fecit Christus quando ingressus est ad Apostolos ianuis clausis. Idem ergo et de partu Virginis dici potest.

III – UTRUM MARIA PERMANSERIT VIRGO POST PARTUM

Prop.: *Maria permansit virgo etiam post partum.*

I. Prob.: Auctoritate MAGISTERII ECCLESIASTICI: In pluribus documentis Maria dicitur *semper* Virgo: quod verum non esset, si post partum Christi non permansisset Virgo, i. e. matrimonium cum Ioseph consummasset, ita ut Iesus unicus eius Filius non esset.

Praecipua vero documenta in quibus Maria *semper* virgo proclamatur, sunt: SYMBOL. EPIPHANII (Denz., 13). IOANNIS 2, epist. *Olim quidem* (Denz., 201 s.); CONC. CONSTANTIN. 2, can. 2, 6, 14 (Denz., 214, 218, 227); CONC. LATERAN. anno 649, can. 2, 4 (Denz., 255, 257); LEO IX Symbolum fidei (Denz., 344); CONC. LATERAN. IV, cap. 1 (Denz., 429); CONC. LUGDUNENSE, Professio fidei Michaëlis Palaeologi (Denz., 462); SIXTUS IV, Constit. *Grave nimis* (Denz., 735).

Explicite vero Deiparae virginitas post partum in sequentibus documentis asseritur: SIRICIUS, in epit. *Accepi litteras vestras* (Denz., 91); MARTINUS I, in Conc. Lateran., c. 3 (Denz., 256); LEO III, in professione fidei Nicephori (Denz., 314 a nota 3); SIXTUS IV, in Constit. *Cum praeexcelsa* (Denz., 734); PAULUS IV, in Constit. *Cum quorundam*, (Denz., 99).

Perpetua Deiparae virginitas, ergo, est *de fide*.

II. Prob.: Auctoritate S. SCRIPTURAE, in qua duo praesertim inveniuntur quae virginitatem post partum implicite saltem continere videntur, videlicet: 1) responsio B. Mariae Angelo Incarnationem Verbi annuntianti: « virum non cognosco »: quae verba non solum factum affirmant, sed *propositum* non cognoscendi hominem sat evidenter manifestant. Iamvero, intelligi non posset quomodo illa quae in proposito servandi virginitatem difficultatem pro maternitate divina inveniebat, post conceptionem et partum Christi virginalem non amplius

in illo proposito difficultatem pro alia maternitate invenisset. 2) Commendatio matris suae Ioanni, dum in cruce pendeat, illis verbis: « Ecce Mater tua », « Ecce filius tuus » (Io. 19, 26). Iamvero si B. Virgo alios filios, praeter Iesum, habuisset, certe illis potius quam Ioanni a Christo commendata fuisset.

OBICITUR 1: Christus in Evangelio (Luc. 2, 7, Matth. 1, 25) dicitur Mariae *primogenitus* « πρωτότοκον ». Ergo Maria, post Christi partum, alios filios habuit.

RESPONDETUR: *Dist.:* Christus dicitur Mariae *primogenitus* quatenus, iuxta *legem*, quaedam circa illum implenda erant, *conc.:* quatenus ipsum Christum alii Mariae filii secuti sunt, *nego*.

Etenim, iuxta *legem*, *primogenitus* est: « quidquid primum erumpit e vulva » (Num. 18, 15; Ex. 13, 2 ss.; Num. 3, 47 ss.), sive alii filii sequantur sive non; et ratio est quia circa illum quaedam, ex legis praescripto, a parentibus implenda erant, ad quae parentes expectare certe non debebant usquedum alium filium haberent. *Primogenitus* ergo est non tantummodo ille *post quem et alii* subsequuntur, sed ille *ante quem nullus*. Omnis itaque unigenitus est *primogenitus*; non autem, e converso, omnis *primogenitus* est unigenitus. ¹

Insuper, ex inscriptione quadam funeraria iudaica recenter inventa in Aegypto et publici iuris facta ab Edgar (in *Annales des Antiquités de l'Égypte*, t. 22, 1922, pp. 7-16) praefata obiectio omnino evanescit. In inscriptione enim illa (quae ascendit ad a. 5 ante Christum, seu ad paucos menses ante partum Deiparae) dicitur quod iuvenis quaedam mulier *inter dolores partus primogeniti* sui (« πρωτότοκον ») vitam finisse. Pro muliere illa, igitur « *primogenitus* » fuit etiam « unigenitus ». Idem de Maria, ut patet, dici debet. ²

OBICITUR 2: In Evangelio (Matth. 1, 18) de Ioseph et de Maria explicite dicitur: « Cum esset desponsata Mater eius Maria Ioseph, *antequam convenirent*, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto ». Ergo sequitur quod *postea* « convenerunt », seu matrimonium consummaverunt. Pariter de Ioseph dicitur: « Et non cognoscebat eam *donec* peperit filium suum *primogenitum* » (Matth. 1, 18, 25) Ergo, postquam peperit, illam cognovit.

RESPONDETUR: *Nego* suppositum. Etenim 1) vox « convenire » (συνελθεῖν), non significat « matrimonium consummare », sed significat tantummodo Mariam et Ioseph, tempore Incarnationis, nondum in eandem domum convenisse seu in eadem domo habitasse, hoc vero postea fecisse (Matth. 1, 20 et 24). Desponsatae enim apud Hebraeos non statim in domum sponsi deducebantur et ideo in eadem domo non habitabant antequam nuptiarum solemnitas celebraretur.

¹ Cfr etiam traditionalem responsionem datam a S. Thoma (3, q. 28, a. 3), quae ab ipso met Lightfoot valida habetur (*Dissertations on the Apostolic Age*, 1892, p. 23).

² Cfr FREY I. B., *La signification du terme πρωτότοκος, d'après une inscription juive, in Biblica*, 11 (1930) 369-372.

Si vero quis vox «convenire» intelligere vellet de maritali congressu, animadvertere debet 2) quod vox *donec* $\epsilon\omega\varsigma$ quemadmodum et vox «antequam» et similes, ita in S. Scriptura adhibentur ut nude expriment *quid factum non sit* ante aliquem determinatum tempus, quin concludere liceat id postea accidisse. Sic, e. g. in 2 Reg. (6, 23) legitur: «Igitur Michol filiae Saul non est natus filius usque in diem ($\epsilon\omega\varsigma$) mortis suae». Iamvero, scopus Evangelistae erat ostendere Christum non fuisse conceptum ex Ioseph (quid factum non sit) sed virginaliter, iuxta vaticinium Isaiae ad quod explicite se refert, minime vero ulteriorem Mariae vitam narrare, de quo tempore nihil affirmare aut negare intendit (cfr SORELL, s. v. $\epsilon\omega\varsigma$). Hinc S. Hieronymus: «Quod autem dicitur antequam convenirent, non sequitur ut postea convenerint, sed Scriptura *quod factum non sit ostendit*» (lib. 1 *Comment.* in c. 1 Matth., PL 26, 25).

OBICITUR: In Libris Novi Testamenti saepe sermo est *de fratribus et sororibus Iesu* (Matth. 12, 46; 13, 55 s.; Marc. 3, 31; 6, 3; Luc. 8, 20; Io. 2, 12; 7, 3; 5, 10; Act. 1, 14; 1 Cor. 9, 5; Gal. 1, 19). Quinimmo nomina etiam fratrum Iesu profertur, videlicet: Iacobus, Ioseph, Simon, Iudas (Matth. 13, 56; Marc. 6, 3). Ergo Maria, post partum Christi, alios filios (fratres et sorores Christi) habuit.

RESPONDETUR: nego suppositum. Non agitur de fratribus et sororibus Christi sensu stricto i. e. *uterinis* (post Christum ex Deipara natis), sed agitur de fratribus et sororibus *sensu latiori*, seu de *consanguineis*. Etenim, voces *frater* et *soror* saepe in S. Scriptura sensu latiori, pro consanguineis et cognatis, praesertim vero pro *consobrinis* adhibentur;¹ sic, e. g., Loth qui erat filius fratris Abraham (italice, cugino) (Gen. 12, 5) vocatur *frater* Abraham (Gen. 13, 8; 14, 16), Iacob vocatur *frater* Laban, qui erat avunculus eius (Gen. 29, 15). Et ideo, fratres et sorores Christi non sunt nisi consanguinei vel cognati eius, non vero filii naturales Mariae: eo vel magis quod nemo umquam, praeter Iesum, vocatur in

¹ Hoc autem bene intelligitur ex eo quod in lingua hebraica et aramaica non habebatur vox technica ad *consobrinos* designandos. Dicebant enim incommode: *filius fratris patris*, aut *sororis patris* etc. Quare, in absentia termini technici, ad consobrinos designandos utebantur voce communi *ah* (*frater*).

At, haec ratio valere non videtur pro lingua graeca Novi Testamenti, in qua habetur terminus technicus ad consobrinos designandos, id est vox $\alpha\nu\epsilon\psi\iota\omicron\iota$, qua voce Hagiographi uti debuissent loco vocis $\alpha\delta\epsilon\lambda\phi\omicron\iota$, ne lectores in errorem inducerent.

Sed meminisse iuvabit etiam Septuaginta vertisse semper vocem *ah* in $\alpha\delta\epsilon\lambda\phi\omicron\iota$, non vero in $\alpha\nu\epsilon\psi\iota\omicron\iota$, etiam ubi evidens erat lata significatio vocis *ah* pro *consobрино*. Modus igitur dicendi $\omicron\iota\ \alpha\delta\epsilon\lambda\phi\omicron\iota\ \tau\omicron\upsilon\ \kappa\upsilon\rho\iota\omicron\upsilon$ creatus fuit, in catechesi graeca, ad modum versionis graecae Septuaginta Interpretum, et ideo tamquam technicus evasit, quin erroris periculum haberetur, probe scientes, ex traditione, quid veri talis dicendi modus importaret. Eo vel magis quod usque ad finem saeculi saecundi nulla discussio circa sensum vocum «fratres Domini» orta est: modus ille dicendi, igitur, nullo modo habitus est contrarius dogmati perpetuae virginitatis Deiparae.

S. Scriptura « filius Mariae »; et ita etiam universa traditio voces illas (*fratres* et *sorores* Domini) intellexit, usque ad Tertullianum, de quo scripsit Hieronymus: « De Tertulliano nihil amplius dico, quam Ecclesiae hominem non fuisse » (*Adv. Helv.*, 17, PL 23, 211).¹

HEGESIPPUS, Palaestinensis saeculi II, in testimoniis ab Eusebio servatis (H. E. 3, 11; 4, 22) traditionem historicam primaevam Hierosolymitanam referens, agens *obiter*² de Simeone, *fratre* Domini, illum vocat *consobrinum* Domini « ἀνεψιόν... τοῦ σωτήρος » (H. E., 3, 11).

Idem habetur cum de Iacobo agit.

Ergo iuxta Hegesippum et iuxta primaevam traditionem hierosolymitanam, quam postea invicte defendit S. Hieronymus, modi dicendi *fratres Domini* et *consobrini Domini*, sunt omnino *synonymi*.³

Si autem quaeratur quaenam *personae* nomine fratrum Domini significantur, quatuor nominantur, videlicet: Iacobus, Ioseph, Simon et Iudas. Cuiusnam filii fuerunt?... Non conveniunt auctores, et ideo variae habentur sententiae.

1) Quidam Patres, Evangeliorum Apocryphorum Iacobi (9, 17, 18)⁴ et Petri deliramentis nimis fidentes, — teste Origene⁵ — illos fuisse *filios S. Ioseph* tenent, ex uxore quam habuisset antequam B. Virginem duxisset. Ita Origenes, Clemens Alex.,⁶ S. Hilarius, S. Epiphanius, et S. Cyrillus Alex.⁷ Sed haec opinio, inde a tempore S. Hieronymi (qui tenet et ipsum Ioseph virginem permanisse) penitus derelicta est.

2) Alii, supponendo Clopam (Cleopham) et Alphaeum eandem esse personam, contendunt quatuor viros praedictos qui fratres Domini vocantur, ortos esse ex matrimonio Clopae-Alphaei et illius Mariae (Maria Cleophae) quae *soror* matris Domini appellatur (Io., 19, 25).

Plerique, Hegesippum secuti (apud Eusebium, H. E., 3, 11) putant Clopam

¹ Cfr OVERNEY M., *La virginité de Marie et les Frères de Jésus*, in *Nova et vetera*, 1931, 392-403.

² Ibi enim Hegesippus minime vindicare intendit *virginitatem* Deiparae, neque ex professo pertractat de significatione appellationis « fratres Domini », sed historiam communiter notam narrare intendit: quod vim testimonii eius maxime auget.

Insuper, si Iesus fratres habuisset, matrem suam, in cruce moriens, non iam *extraneo* seu Ioanni, sed ipsi commendasset. Factum hoc, in primitiva Ecclesia, scandalum occasio procul dubio fuisset.

³ Immerito igitur S. Reinach scripsit: « L'idée que ces frères et sœurs étaient des cousins... est une subtilité des théologiens » (*Orpheus*, ed. 5, 1909, p. 329).

⁴ Cfr HENNECKE, *Neutestamentliche Apokryphen*, 1914, p. 57 (9, 2), p. 60 (17), p. 61 (18).

⁵ In Matth., 13, 55, t. 17; PG 13, 875-878.

⁶ P. Lagrange demonstravit Clementem Alex. et Originem pendere ab apocryphis (S. Marc., ed. 4, 1929, pp. 91-92).

⁷ Idem quandoque tenuerunt S. I. Chrysostomus et S. Augustinus, qui tamen postea sententiam Hieronymianam amplexati sunt.

fuisse fratrem S. Ioseph; alii vero putant Mariam, uxorem Clopae, fuisse sororem germanam B. Virginis; alii, tandem, utrumque simul sustinent.

3) Apud plerosque recentiores praevallet sententia iuxta quam, identitate inter Clopam et Alphaeum negata, S. Ioseph habuisset fratrem Clopam et sororem Mariam (cfr CALMES, *L'Évangile selon S. Jean*, p. 175). Iuxta van Hasteren, Maria uxor Alphaei, esset filia, non vero soror Clopae (*Studien*, t. 65, p. 187). Pro tota hac quaestione cfr DURAND, *L'Enfance de Jésus-Christ*, p. 219; idem, *Frères du Seigneur*, in *Dict. Apologétique*, 2, 131-148.¹

III. Prob. Auctoritate: PATRUM:

S. IRENAEUS, innuit, saltem, B. Virginem, etiam post Christi partum, virginitatem permansisse. « Etenim S. Doctor Lugdunensis quandoque haud inconsulto, maxime ubi vi parallelismi inter virginitatem Evae ad tempus et virginitatem Mariae hoc exigeretur, omittit omnia quae virginitatem Mariae ad tempus tantum lectoribus suggerere possint » (PRZYBYLSKI, O. P., *De Mariologia S. Irenaei Lugdunensis*, p. 111).

ORIGENES, primus esse videtur qui de virginitate Mariae *post partum explicitè* loquitur (cfr in Matth., t. 10, 17, PG 13, 876 B-877 A). Dementem putat — prout videtur — Tertullianum ob negationem virginitatis post partum (in Luc., hom. 7, PG 13, 1818). In Comm. in Ioannem, fragm. 31, 506 s., asserit quod fratres Domini erant fratres non naturales sed *legales*. Maria, iuxta Origenem, fuit virgo « usque in finem » (in Matth., 10, 17, Klostermam, 21). Dignitas enim maternitatis divinae postulabat ut corpus eius usque in finem purum remaneret (in Ioann. 1, 4, p. 184).

S. GREGORIUS THAUMATURGUS, in Serm. dubio in *nativitatem Christi*, n. 16, ait « Vos (Iudaei) nobis et Legem et prophetas tradidistis, explicastis et docuistis. Quid vero inde didicimus, nisi quod ante partum et post partum Virgo in virginitate sua permanserit? » (PITRA, *Analecta Sacra*, 4, 392).

S. EPHRAEM, pluries virginitatem *post partum* profitetur. « Ella è vergine; — *muore, ma i suoi segni verginali non sono disciolti* » (cfr RICCIOTTI, *Inni alla Vergine*, p. 62). Et in *Oratione ad Sanctissimam Dei Matrem*: « tu secundum carnem Deum genuisti et Verbum, ante partum virginitatem servans, virgo post partum » (*Enchir. Patr.*, n. 745).

S. HILARIUS, in *Comment. in Matthaeum*, c. 1, n. 3 s.: « Sed plures irreligiosi et a spiritali doctrina admodum alieni, occasionem ex eo occupant turpiter de Maria opinandi, quod dictum sit: Priusquam convenirent, inventa est in utero habens; et illud: Noli timere accipere Mariam coniugem tuam; et illud: Non cognovit eam donec peperit; non recordantes, desponsatam fuisse, et dictum hoc

¹ Cfr RODRIGUEZ O., « *Qui sunt fratres mei* » (Mt., 12, 48) in *Verbum Domini*, 5 (1925) 132-13.

Ioseph volenti eam abiicere, quia iustus ipse nollet in eam lege decerni. Igitur ne qua de partu eius ambiguitas existeret; ipse concepti ex Spiritu Sancto Christi testis assumitur; dehinc, quia desponsata esset, in coniugem recipitur. Cognoscitur itaque post partum, id est, transit in coniugis nomen; cognoscitur enim, non admiscetur... Verum homines pravissimi hinc praesumunt opinionis suae auctoritatem, quod plures Dominum nostrum fratres habuisse sit traditum. Qui si Mariae filii fuissent et non potius Ioseph ex priore coniugio suscepti, numquam in tempore passionis Ioanni apostolo transcripta esset in matrem, Domino ad utrumque dicente: Mulier ecce filius tuus, et Ioanni: Ecce mater tua, nisi quod ad desolatae solacium, caritatem filii in discipulo relinquebat » (PL 9, 921 s.).

S. ZENO, in lib. 1, tract. 5, n. 3 scribit: « Sed dicet aliquis: etiam Maria virgo et nupsit et peperit. Sit aliqua talis et cedo. Caeterum illa fuit virgo post connubium, virgo post conceptum, virgo post filium. Denique si esset aliquid virginittatis melius, Dei filius hoc magis potuerat suae matri praestare, cui praestiterit, ut divinae virginittatis honore polleret » (PL 11, 303). In lib. 2, tract. 8, n. 2: « Maria virgo incorrupta concepit, post conceptum virgo peperit, post partum virgo permansit » (PL 11, 414 s.).

DIDYMUS ALEXANDRINUS, in *De Trinitate*, l. 3, c. 4: « Suffragatur nobis quoad denominationes quidem primogeniti et unigeniti evangelista, narrans Mariam mansisse virginem donec peperit filium suum primogenitum; nam neque cuiquam nupsit Maria prae omnibus honoranda et maxime inclyta, nec alterius mater unquam facta est; sed post puerperium quoque mansit semper et omni tempore immaculata virgo » (PG 39, 832).

S. IOANNES CHRYSOSTOMUS, in *Matthaeum*, hom. 5: « Cum autem accepisset eam, non cognovit illam, donec peperit filium suum primogenitum. Illud Donec hic posuit, non ut suspiceris, illam postea cognovisse Iosephum, sed ut scias, Virginem usque ad partum intactam fuisse. Cur itaque ait Donec peperit? Hic mos loquendi in Scriptura observatur; ita ut haec vox non pro definito quodam tempore ponatur. Nam de arca loquens ait: *Non reversus est corvus, donec siccaretur terra*,¹ etsi postea reversus non sit. De ipso etiam Deo loquitur: *A saeculo et usque in saeculum tu es*² nullos hic terminos ponens; rursusque praenuntians: *Orietur in diebus eius iustitia et abundantia pacis, donec auferatur luna*,³ nullum terminum pulchro huic elemento statuit. Ita et hoc loco Donec dixit, ut quae partum antecedeabant firmaret, et quae sequebantur tibi consideranda relinqueret. Quod enim ab eo tibi discendum erat, hoc dixit, nempe Virginem usque ad partum intactam mansisse; quod autem ex dictis consequi et in confesso esse videbatur, hoc tibi intelligendum reliquit. Nempe virum illum iustum, eam quae sic

¹ Gen., 8, 7.

² Ps., 89, 2.

³ Ps., 71, 7.

mater effecta ac tam novo et insolito puerperio dignata fuerat, tangere non ausum fuisse. Nam si cognovisset eam et uxoris loco habuisset, quomodo illam quasi nullum habentem virum discipulo commendasset, iubens eam in sua accipere? Quo pacto ergo, inquires, Iacobus et alii eius fratres appellantur? Quemadmodum et Ioseph Vir Mariae esse existimabatur. Multa enim erant posita velamina, ut huiusmodi partus occultaretur; ideoque Ioannes illos sic vocat his verbis: *Neque enim fratres eius credebant in eum*.¹ Attamen ii, qui prius non crediderant, admirandi et praeclari postea exstiterunt » (PG 57, 58).

S. EPIPHANIUS, in op. *Adversus haereses panarium*, haeres, 78, adversus Antidicomarianitas, scribit: « Ex antidicomarianitarum grege nonnulli, quasi praecipuo quodam in Virginem odio suscepto, ut eius gloriam obscurarent, sive invidia, sive erroris tenebris obcaecati, quo mortalium animos inquinarent, eo temeritatis progressi sunt, ut sanctissimam Mariam post Christum in lucem editum cum viro suo Iosepho consuetudinem habuisse dicerent » (PG 42, 699). « Undenam vero haec improbitas emerit? Unde tanta prorupit audacia? Nonne vel ipsum nomen abunde testificatur? Non tibi, homo pervicacissime, istud ipsum persuadet? Quis ullo tempore unquam exstitit, qui sanctae Mariae nomen appellare auderet, et non rogatus subinde Virginis vocabulum adiiceret? Nam in adiunctis istiusmodi vocibus virtutis indicia collucent. Quippe iustis omnibus, pro eo ac singulos decebat, sua cuique sunt dignitatis attributa nomina. Ita Abrahamo amici Dei titulus accommodatus est² sine ulla mutatione concessum. Apostoli quoque Boanerges, hoc est, tonitruii filii,³ nominati sunt, nec ulla dies nomen istud oblitterabit. Sic Sancta Maria Virgo nuncupatur, nec appellatio ista aliquando commutabitur. Haec enim perpetuo incorrupta permansit. Cur igitur vos natura ipsa non docet? O inauditam insaniam! o praeposteram novitatem!... Quanam vero fronte incorruptam illam virginem aggrediuntur, quae Dei Filii domicilium esse meruit, quae ex infinito Israelitarum numero ad id unum est electa, ut vas quoddam et habitatio uni esset divino partui consecrata » (PG 42, 706).

S. AMBROSIUS, in op. *De institutione virginis*, cap. 5, n. 35, scribit: « Egregia igitur Maria, quae signum sacrae virginitatis extulit, et intemeratae integritatis pium Christo vexillum erexit. Et tamen, cum omnes ad cultum virginitatis sanctae Mariae advocentur exemplo, fuerunt qui eam negarent virginem perseverasse. Hoc tantum sacrilegium silere iamdudum maluimus; sed quia causa vocavit in medium, ita ut eius prolapsionis etiam Episcopus⁴ argueretur, indemnatum non putamus relinquendum » (PL 16, 328). Textibus S. Scripturae, ab adversariis adductis, explicatis plura affert argumenta ad perpetuam Deiparae virginitatem probandam (cap. 5-8); c. 8, n. 57: « Audiant igitur prophetam dicentem:

¹ Io., 7, 5.

² Gen., 32, 28.

³ Marc., 3, 17.

⁴ Bonosus.

Non aperietur, eritque clausa, ² hoc est, non aperietur ab eo, cui desponsabitur; non licebit enim, ut aperiat, per quam Dominus transibit. Et post eum, inquit, erit clausa, hoc est, non aperiet eam Ioseph; quoniam dicitur ei: Noli timere accipere Mariam coniugem tuam; quod enim ex ea nascetur, de Spiritu Sancto est» ² (PL 16, 335).

Asseruerunt et defenderunt insuper virginitatem post partum sequentes Patres:

S. HIERONYMUS (in op. *De perpetua virgin. B. Mariae*, PL 23, 191-216, et in l. Adv. Iovin. PL 23, 211-338), S. AUGUSTINUS (in Sermon. 186, n. 1, PL 38, 999), S. CYRILLUS ALEXANDRINUS, *Adversus nolentes confiteri s. Virginem esse Deiparam* (PG 76, 260), S. PETRUS CHRYSOLOGUS, Sermo 117 (PL 52, 520), S. LEO MAGNUS, Sermo 22, c. 1 (PL 54, 195), S. MAXIMUS TAURINENSIS, Homil. 5 (PL 57, 235), GENNADIUS, *Liber ecclesiasticorum dogmatum*, 35 (PL 58, 996), S. SOPHRONIUS, *Epistula synodica ad Sergium* (PG 87, 3172), S. GREGORIUS TURONENSIS, *Lib. miraculorum*, lib. 1, 8 (PL 71, 713), S. IOANNES DAMASCENUS, *De fide orthodoxa*, l. 4, c. 14 (PG 94, 1161), *Homil. in dormitionem B. V. Mariae*, 2, 18 (PG 96, 784) etc. etc.

IV. Prob.: Auctoritate LITURGIAE in qua haec habentur: a) « Post partum Virgo inviolata permansisti » (Versic. ad Antiph. *Alma Redemptoris Mater*); b) « Quem Virgo peperit et post partum Virgo permansit » (Ant. ad *Magnificat* in 1 Vesp. Purific.); c) « Beata Dei Genitrix, Maria, Virgo perpetua » (Ant. ad *Bened.* in offic. S. Mariae in Sabbato) etc.

V. Prob.: Rationibus theologicis, quae a S. Thoma (3, q. 28, a. 3) ex quadruplici capite desumuntur, videlicet:

1) **Ex parte Christi**: « Qui, sicut secundum divinam naturam Unigenitus est Patris, tanquam perfectus per omnia Filius eius; ita decuit ut esset Unigenitus Matris, tanquam perfectissimum germen eius ».

2) **Ex parte Spiritus Sancti**, « cuius sacrarium fuit uterus virginalis in quo carnem Christi formavit. Unde non decebat ut de cetero violaretur per commixtionem virilem ».

3) **Ex parte Mariae Matris Dei** « quae ingratissima videretur, si tanto Filio contenta non esset, et si virginitatem quae in ea miraculose conservata fuerit, sponte perdere vellet per carnis concubitum ».

4) **Ex parte S. Ioseph**, « cui esset ad maximam praesumptionem imputandum, si eam, quam revelante Angelo, Deum concepisse cognoverat, polluere attentasset. Et ideo simpliciter est asserendum quod Mater Dei, sicut virgo concepit et virgo peperit, ita etiam et virgo post partum in sempiternum permansit » (3, q. 28, a. 3).

¹ Ezech., 40, 2 ss.

² Matth. 1, 20.

Art. 2 – DE VIRGINITATE ANIMAE B. M. V.

1. **Ratio quaestionis.** « Haud satis fuisset — animadvertit Card. Lépiciér,¹ — ad gloriam Deiparae adstruendam, ostendisse eam corporis integritatem perpetuo servasse, nisi illud etiam in ea agnosceretur quod ad animi virtutem pertinet: sicut enim potest, violato corpore, virginitas integra permanere et quodammodo ad coronam duplicari, ita etiam sola corporalis incorruptio haud sufficit ut quis virginitatis merita possideat. Quapropter de eo nunc inquirendum venit, quod ad animi dispositionem in Beata Virgine spectat relate ad illius virginitatem: ubi non solum ostendendum erit, Deiparam possedisse id quod virtutis est, verum etiam, quod maius est, eandem virginitatis servandae propositum voto irrevocabili obfirmasse ».

2. **Protestantium error.** Iuxta Calvinum, eiusque discipulos Beza et Petrum Martyrem, quos Centuriatores Magdeburgenses sequuntur, Maria, cum in Dei Matrem electa fuit, virginem extitisset *corpore* tantum non vero anima seu mente, eo quod quando, iuxta Hebraeorum morem, nupsit Ioseph, in eiusdem potestatem corpus suum tradidit pro filiorum procreatione, nisi ponatur illam viro suo illudere voluisse.

3. **Divisio quaestionis.** Circa virginitatem animae Deiparae tria quaeri possunt, videlicet: 1) habuitne Maria firmum propositum virginitatem perpetuam servandi? 2) Huiusmodi propositum voto firmavit?... 3) In huius voti professione fuitne omnium prima?... Hinc tres articuli.

I – UTRUM MARIA HABUERIT PROPOSITUM VIRGINITATEM PERPETUO SERVANDI

Prop.: *Maria, inde ab usu rationis, firmum habuit PROPOSITUM virginitatem perpetuam servandi.*

I. Prob.: Auctoritate S. SCRIPTURAE: B. Virgo, enim, verbis « Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco » (Luc., 1, 34), *obstaculum* quoddam proponebat quominus angeli propositioni obtemperaret. Hoc autem obstaculum nihil aliud esse poterat nisi firmum *propositum* virginitatem perpetuam servandi.²

¹ O. c., p. 401.

² Ipsemet Loisy talem vim verborum Deiparae persentiit. Scripsit enim: « L'assertion de Marie est tellement absolue que le sentiment commun des exégètes catholiques, qui y voient l'intention de garder perpétuellement la virginité, ne peut-être qualifiée d'arbitraire » (*Les Evangiles Synoptiques*, 1, p. 290). Et postea: « (Luc) s'est représenté Ioseph et Marie dans la disposition de deux époux chrétiens gardant la continence » (*ibid.*, p. 291). Tunc enim usus

II. Prob.: Auctoritate PATRUM: S. AMBROSIUS explicite asserit: « Virgo erat non solum corpore sed etiam mente » (*De Virg.*, l. 2, PL 16, 219).

S. BEDA VEN. illustrans Mariae verba: *Quomodo fiet istud...*, ait: « Propositum suae mentis reverenter exposuit, vitam scilicet virginalem se ducere decrevisse. Quae, quia prima feminarum tantae se virtuti mancipavit, iure singulari prae ceteris feminis beatitate meruit excellere » (in *Luc.*, c. 1, PL 92, 318).

III. Prob.: Ratione. 1) *Ratione excellentiae virtutis B. M. V.:* B. Virgo enim in virginitatis laude praecipue excellere debuit. Iamvero, praecipua virginitatis laus non in integritate corporis (quae se habet tamquam materia) sed in integritate animae (quae se habet tamquam forma) reponi debet, sine qua integritas corporis parum vel nihil valet. Beata Virgo, igitur, in integritate animae, seu in firmo proposito virginitatem servandi, melius quam in integritate corporis excellere debuit.

2) *Ratione maternitatis divinae:* Si enim incongruum fuisset Verbum Dei habitare in corpore non totaliter integro, a fortiori incongruum fuisset habitare in animo non totaliter integro.

3) *Ratione motionis Spiritus S.:* B. Virgo enim, perfectissime, inde ab usu rationis, movebatur a Spiritu Sancto ad id seligendum et amandum quod gratius Deo esse poterat. Atqui perfecta et perpetua virginitas mentis est gratior Deo quam suum oppositum: per illam enim homo a sollicitudinibus saeculi magis removetur et Deo liberius vacare potest.

continentiae et virginitatis apud Hebraeos habebatur, prout apparet inter Essenos (cfr VOSTÉ, *De sectis Iudaeorum tempore Christi*, p. 31).

Valde miramur proinde quod DONATUS HAUGG (in op. *Das erste biblische Marienwort*, Stuttgart, 1938), catholicus scribere potuerit verba Deiparae « Quomodo fiet... » nec *propositum* virginitatis neque a fortiori *votum* virginitatis manifestare, eo quod *de solo tempore praesenti* nullimode vero *de futuro* loquuntur, prout ex forma οὐ γινώσκω apparet; impedimentum vero ab ipsa angelo oppositum, in eo tantum esse quod *modo*, id est, post sponsalia, ante ingressum in domum Ioseph, matrimonium consummare non posset, dum e contra Angelus conceptionem *mox futuram* nuntiaverat ei (pp. 64, 65).

At, praesens οὐ γινώσκω non solum *praesentem durativum* (seu futurum perenne) significare *potest* (prout ipsemet Haugg concedit) sed etiam *necessario* significat, prout ex ipso Virginis responso eruitur. B. Virgo, enim, non miratur ex eo quod filius *mox* habendus est, sed ex eo quod filius *simpliciter* ei promittitur: quae admiratio in desponsata quae propositum habet utendi matrimonio concipi nequit, iuxta illud S. Augustini: « Si cognoscere disponderet, non miraretur » (*Serm.* 225, 2, PL 38, 1097). Supponitur igitur propositum numquam utendi matrimonio iam inito, ita ut vis responsionis Deiparae fuerit: « nec cognosco nec cognoscam ». Cfr HOLZMEISTER, in *Verbum Domini*, 20 (1940) 70-75; STEINMETZER, *Theol. Rev.*, 37 (1938) 366 s.; SPICQ C., *R. Sc. Phil. Theol.*, 28 (1939) 144 sq.; PRUM K., *Z. Kath. Teol.*, 63 (1939) 128 s.

II – UTRUM MARIA PROPOSITUM VIRGINITATIS VOTO PERPETUO FIRMAVERIT

Prop.: B. Virgo propositum virginitatis voto perpetuo firmavit.

Est sententia certa, ex communi Theologorum consensu.

I. Prob.: I. Auctoritate S. SCRIPTURAE: Verbis enim: « *quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco* » (Luc., 1, 34) nedum *simplex propositum* non cognoscendi virum, sed propositum *voto* firmatum ostendunt. Si fuisset enim *simplex propositum*, quantumvis firmum, illud, iusta intercedente causa, mutare posset: nihil enim mali in hoc habetur. Agitur ergo de proposito cum aliqua *moralis impotentia* ita coniuncto, quod mutari non possit, ita ut verba Virginis significant: « Non licet mihi cognoscere; non possum ». Iamvero undenam moralis illa impotentia oriri poterat nisi ex proposito, voto firmato, perpetuae virginitatis? Iure enim animadvertit Maldonatus: « Impotentia duplex esse potuit; aut naturalis, qualis in omnibus hominibus ante pubertatem et in multis in grandiori etiam aetate est; aut moralis, qua non posse dicimur facere, quod facere non licet, quemadmodum, si Christianus dicat: non possum in Quadragesima carnibus vesci, id est, non licet mihi. Haec autem ipsa impotentia moralis duplex itidem est, alia quae ex lege aut praecepto oritur, alia qualis ex voti religione nascitur. Ex praecepto, ut si Christianus dicat, non adoro idola, id est, non possum adorare, quia prohibeor divina lege; ex voto, ut si Carthusianus aliquis dicat, non vescor carnibus, id est: non possum vesci, quia impediatur voti religione. Beata Virgo non potuit naturalem impotentiam significare, cum nubilus credatur fuisse, et re iam nupta esset. Significavit ergo moralem impotentiam, non eam quae ex lege aut praecepto oritur; nulla enim lege, nullo praecepto viro suo uti vetabatur; significavit ergo moralem impotentiam natam ex voto » (*In Luc.*, c. 1).

II. Prob.: Auctoritate PATRUM:

S. AUGUSTINUS: « Hoc indicant verba quod sibi fetum annuntianti angelo Maria reddidit. QUOMODO, inquit, FIET ISTUD, QUONIAM VIRUM NON COGNOSCO (Luc. 1, 34)? Quod profecto non diceret, nisi Deo virginem se ante vovisset » (*De sancta Virginitate*, 4, PL 40, 398; cfr Sermo 291, 5),² PL 38, 1318).

S. GREGORIUS NYSSENUS dicit: « Quoniam, Deo dicatam et consecratam carnem, veluti sanctum quoddam donarium, intactam servari oportebat, propterea, etiamsi angelus sis, inquit, ac de caelo veneris, etiamsi supra hominem sit id

¹ In apocr. *Evangelium Nativitatis Mariae*, sermo iam est de voto virginitatis Mariae: « Virum iuxta votum meum numquam cognosco » (cfr TISCHENDORF, *Evangelia apocr.*, 120).

² Doctores plurimi secuti sunt S. Augustinum; et enumerantur ab HAUGG, o. c., p. 36.

quod apparet, attamen ut virum cognoscam, fieri non potest. An mater ero absque viro? Iosephum enim sponsum quidem novi, virum autem non cognosco » (*Orat. in diem Nativ. Christi*, [inter dubia], PG 46, 1140 s.). Et. S. Bernardus: « *Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco?* Immobile propositum virginitatis, quod nec angelo filiam promittente aliquatenus titubavit. Quomodo, inquit, fiet istud? Neque enim eo modo quo fieri solet in caeteris: virum penitus non cognosco, nec filii desiderio, nec spe prolis » (Serm. 4 *de Assumpt. B. M. V.*, PL 183, 120).

III. Prob.: Ratione: Ratione perfectioris boni. B. Virgo virginitatem illam seligere debuit quae est perfectior et laudabilior. Atqui perfectior et laudabilior est virginitas quae voti religione firmatur. Ergo...

Maior ex duplici ratione ostenditur: primo, quia Beata Virgo non solum futura erat Verbi habitaculum, sed etiam quia ipsi materiam sui sanguinis ministrare debebat; secundo, quia eius virginitas aliis hominibus tanquam virginitatis exemplar erat proponenda.

Minor — prout ostendit Card. Lépicier ¹ — ex triplici capite evincitur: *Primo*, quia id quod fit ex voto, fit ex virtute religionis, quae omnium virtutum moralium praestantissima est; opus autem ex praestantiori virtute procedens laudabilius et magis meritorium est, quam opus quod ex inferiori virtute procedit. *Secundo*, quia per votum, homo semetipsum Deo magis offert eique magis se subiicit, cum non tantum fructum, sed etiam arborem det Deo, ut advertit S. Anselmus: ² atqui profecto maiori laude maiorque merito dignus est qui Deo se magis offert et subiicit. *Tertio*, quia votum hominem ab inconstantia praeservat, eumque magis immobilem reddit in bono complendo. Atqui, sicut peccare ex voluntate in malo obstinata peccatum aggravat, ita facere bonum ex voluntate in bono firmata perfectioris virtutis est, maiorisque meriti causa ».

B. Virgo, igitur, ideo virginitatis voto se obstrinxit, ut maioris meriti potiorisque laudis opus perficeret: quod non nisi Spiritu Sancto illuminante et inspirante praestare potuit: « O virgo prudens, o virgo devota, exclamat S. Bernardus, quis te docuit Deo placere virginitatem? Quae lex, quae iustitia, quae pagina Veteris Testamenti vel praecipit, vel consulit, vel hortatur in carne non carnaliter vivere, et in terris angelicam ducere vitam? Ubi legeras, Beata Virgo SAPIENTIA CARNIS MORS EST (Rom., 8, 7); et, CURAM CARNIS NE PERFECERITIS IN DESIDERIO? (ibid., 13, 14). Ubi legeras: DE VIRGINIBUS... PRAECEPTUM DOMINI NON HABEO, CONSILIUM AUTEM DO? (Cor., 7, 25). Tu vero, non dicam praeceptum, sed nec consilium, nec exemplum, nisi quod unctio docebat te de omnibus, ac sermo Dei vivus et efficax, ante tibi factus magister quam Filius; prius instruxerit mentem, quam induerit carnem (Homil., 3, super *Missus est*, PL 183, 74).

¹ LÉPICIER, l. c., pp. 405-406.

² Lib. *de similit.*, cap. 84, t. 3, p. 170.

Quaeri potest: 1) *B. Virgo emisitne votum virginitatis ABSOLUTUM vel conditionatum?*

RESPONDETUR: 1) Iuxta S. Thomam (in 4, Dist. 30, q. 2, a. 1) et plerisque eius discipulos, duo virginitatis vota edita fuissent a Maria; primum, *conditionatum*, antequam Iosepho nupsisset; alterum vero *absolutum*, postquam Iosepho nupserrat. Et ratio est quia tempore Legis tam mulieres quam viros, oportebat generationi insistere, sive quia secundum carnis originem cultus Dei propagabatur, sive quia benedictum semen a Deo promissum per viam generationis venturum erat. Quapropter Maria virginitatem primo vovit sub conditione, nempe, *si Deo placeret*, vel nisi Deus aliter ordinaret; deinde, accepto sponso, prout mores illius temporis ferebant, et revelatione a Deo accepta, simul cum Iosepho sponso suo, votum illud *absolute* emisit.

Relate ad hanc D. Thomae sententiam, animadvertit Serry, S. Doctorem sententiam voti conditionati tenuisse deceptum a suppositio testimonio Augustini, quod a Magistro Sententiarum et a Gratiano laudatur: cuius suppositionem S. Thomas, sua aetate, propter probatorum codicum penuriam, deprehendere non potuit.¹

2) S. Bonaventura (in 4, dist. 30), Scotus (in 4, dist. 30, q. 2), Vasquez (in 3, disp. 124, c. 2), Suarez (in 3, disp. 6, sect. 2), Estius (in 4, dist. 13), Sylvius (in 3, q. 28, a. 4), Serry (exercit. 21), Billuart (Curs. Theol., *de B. Virg. Maria*, Is. 1, a. 4), Lépiciér, etc., docent B. Mariam votum virginitatis absolutum emisisse ante contractum matrimonium.

« Quae posterior sententia — animadvertit Alastruey² — praeferenda videtur: a) nam (Luc., 1, 34), Maria ita respondet Angelo Incarnationis mysterium annuntianti: *Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco?*: non enim locum habuisset obiectio Virginis, si antea conditionate tantum voverit, scilicet, nisi Deo aliter placuerit, vel nisi Deus aliter ordinaverit, quandoquidem ex angelico nuntio intelligere potuisset, Deum aliud iubere, ac per hoc iam se suo voto solutam esse.

« b) Votum absolutum utpote magis firmum ac tenax, perfectius est, quam si conditionem vel exceptionem quandam annexam habeat; fuit autem perfectis-

¹ Verba Augustini a Magistro Sententiarum relata sic se habent: « Beata Maria proposuit se servaturam votum virginitatis in corde, sed ipsum votum non expressit in ore.

« Subiecit se divinae dispositioni: proposuit se perseveraturam virginem, nisi Deus aliter ei revelasset. Committens ergo virginitatem suam divinae dispositioni, consensit in carnalem copulam, non illam appetendo, sed divinae inspirationi in utroque obediendo. Postea vero simul cum viro labiis expressit et uterque in virginitate permansit » (*Sent.*, l. 4, Dist. 30).

Quo Augustini testimonio bona fide accepto, S. Thomas scribit: « Et hoc est quod Augustinus in littera dicit quod proposuit se perseveraturam virginem nisi Deus aliter ordinaret » (l. c.).

² L. c., pp. 604-605.

simum B. Virginis votum, ut esset omnibus deinceps virginibus exemplar vovendae castitatis.

« c) Conditio illa superflua foret, utpote quam in omni proposito, promissione et voto per se inclusam intelligere oportet; aliunde, non satis congruere videtur humilitati B. Virginis, quasi illa revelationem de vitae suae statu a Deo expectaret ».

Quaeri potest: 2) *Si B. Virgo voto virginittatis ligata erat, quare S. Ioseph nupsit? Eius matrimonium fuitne verum matrimonium?*

RESPONDETUR: Verum validumque matrimonium intercessisse inter Mariam et Ioseph, negavit *Iulianus Pelagius*, eo quod nulla inter eos extiterit copula carnalis in qua matrimonii essentiam ipse reponebat. Huic haeretico, adhaesit *Wicleffus*, et non longe distant *Gratianus* (c. 27, q. 2, can. 29) et *Michaël de Medina* (lib. 5 de Sac. Hominum contin., c. 261).

Alii tenuerunt B. Virginem non verum et proprium matrimonium, sed *sponsalia* tantummodo iniisse, ne frangendi voti occasio sibi daretur.

Contra hos omnes, communissima Doctorum sententia, quae est etiam theologice certissima, tenet inter Deiparam et Ioseph *verum* intercessisse matrimonium. Hoc apparet:

1) *Ex modo loquendi S. Scripturae* in qua Ioseph dicitur *vir* Mariae (Matth., 1, 19) et Maria dicitur *coniux, uxor* Iosephi (Matth., 1, 20). Nec dici potest id factum esse non ex rei veritate sed ex vulgi existimatione, quemadmodum Ioseph *pater* Iesu dicebatur: Ipsa enim Scriptura limitibus circumscribere curat appellativum illud « *pater Christi* », addens: ut *putabatur filius Ioseph*; dum e contra Ioseph et Maria simpliciter, in S. Scriptura, absque ullis limitibus, *coniuges* appellantur.

OBICITUR: B. Virgo, utpote Immaculata, fomitem peccati non habuit, imo in innocentiae statu constituta fuit, in quo appetitus sensitivus perfecte subdebatur appetitui rationali, ita ut ad delectabilia ultra mensuram rationis pertrahi non poterat — et ideo non videtur quare Deipara propositum suum virginittatis elicere debuerit, eo vel magis quod, prout docet Angelicus, *continentia in statu innocentiae non fuisset laudabilis, quae in tempore isto laudatur, non propter defectum fecunditatis sed propter remotionem inordinatae libidinis; tunc autem fuisset fecunditas absque libidine* (1, q. 98, a. 2, ad 8).

RESPONDETUR cum card. Lépiciér:¹ « Si B. Virgo filios procreasset, hi infecti fuissent originali peccato, et consequenter miseriis huius vitae obnoxii: unde specialis Mariae cura incubisset, tum quantum ad morelem eorumdem educationem, tum etiam quantum ad eorum victum et vestitum procuranda, quae omnia eam impedissent ne toto mentis conatu rebus divinis vacaret.

¹ O. c., pp. 402-403.

« At, praeterea, dici etiam debet virginitatem non modo in praesenti statu, verum etiam in statu innocentiae virtutem fuisse: siquidem in illo quoque statu poterat homo laudabiliter abstinere ab omni venerea delectatione, propter maius divinae contemplationis bonum. Esto enim quod delectatio, quam in actu concumbendi homo expertus esset in illo statu, immoderata haud fuisset, ideoque de se rationem non obtenebrasset, sicut nunc obtenebrare solet, maiori tamen facilitate mens Deo adhaesisset maiorique caritatis aestu illum dilexisset, quae illius amore ab omni prorsus carnis delectatione fuisset expedita. Licet enim id quod dictum est: *Corpus quod corrumpitur aggravat animam*, ad hominem originali peccato infectum proprie pertineat, ea tamen est hominis naturalis conditio, ut dum uni rei intendit, alteri minus dispositus inveniatur. Unde etiam in statu innocentiae fuissent diversi meriti gradus, ex eo provenientes quod aliqui non solum rebus aliunde licitis Dei causa valedixissent, sed etiam ferventiori mentis aestu Deo inhaesissent.

« Quod autem ad S. Thomam pertinet, dicendum est illum minime negare in statu innocentiae futuram fuisse virginitatem: sed, hypothese facta quod in illo statu homines, iuxta divinae Providentiae ordinationem, generationi, ad praedestinatorum numerum complendum, vacassent, eorum continentiam eatenus negat laudabilem extituras fuisse, quatenus quis illam consideret tanquam concupiscentiae compescendae gratia susceptam: deficiente enim pravo libidinis motu, praedicta continentia solam infecunditatem de se induxisset; quod si Deus aliter ordinasset, virginitatem homo laudabiliter observasset, non solum propter Dei voluntatem, sed etiam propter intrinsecum huius virtutis bonum, ut scilicet hac voluptate libere se propter Deum abdicando, perfectius divinis rebus vacare potuisset ».

III – UTRUM MARIA OMNIUM PRIMA VOTUM PERPETUUM VIRGINITATIS EMISERIT

Prop.: *B. Virgo prima omnium, tempore et perfectione, votum virginitatis emisit.*
Est sententia *communissima*, quae a Vasquez vocatur *verissima* (in 3, disp. 124, c. 5).

I. Prob.: Auctoritate SS. PATRUM ET SCRIPTORUM:

S. AMBROSIIUS: « Egregia igitur Maria quae signum sacrae virginitatis extulit, et intemeratae integritatis pium Christo vexillum erexit » (*De instit. Virg.*, c. 5, PL 16, 328).

S. HIERONYMUS: « Christus virgo, virgo Maria, utriusque sexui virginitatis dedicavere principia » (Ep. 48 *ad Pammachium*, n. 21, PL 22, 510).

S. BEDA VEN.: « Vere etenim gratia erat plena, cui divino munere collatum est, ut *prima inter feminas* gloriosissimum Deo virginitatis munus offerret » (*Hom. de fest. Annunt.*, PL 94, 11).

S. BERNARDUS: « Propositum virginitatis et ipsius quoque propositi novitas virginitatem carnis [in Maria] illustrat: quod videlicet in libertate Spiritus, legis

Mosaicae decreta transcendens, illibatam Deo corporis et spiritus sanctimoniam vovit » (*Serm. in signum magnum*, PL 183, 431).

S. HILDEPHONSUS: « Sicut de altera Maria dictum est, *ista optimam partem elegit* (Luc. 11), quia prima omnium feminarum Deo virginitatem obtulit, et idcirco promeruit ut Dei Filius, angelo nuntiante, ex ea corpus nostrae redemptionis susciperet » (*Serm. 5, de Assumpt.*, PL 96, 260).¹

S. THOMAS A VILLANOVA: « O Virgines, quantam habetis magistram. Non pater Augustinus, non S. Benedictus, Franciscus vel Dominicus vel quivis alius de numero sanctorum patrum custodiendae virginitatis institutor extitit, sed Virgo sacra, Dei Mater hanc prima invenit viam, et eam Adae filiis demonstravit: ipsa prima docuit homines coelibatum et in carne angelicam vitam degere et coelestium spirituum aemulari puritatem; haec prima virginitatem suam Deo vovit et suo alios exemplo id agere provocavit. Sicut scriptum est: Adstitit Regina a dextris tuis... Adducentur Regi virgines post eam » (*Conc. 2 de Annunt.*).

S. BERNARDINUS SENENSIS: « Prima vitiiis bellum indixit; prima contra carnis insultus virtutum acies ordinavit, dum et virginitatem elegit, et eam humilitatis custodia communivit; per quod et diabolo terrorem incussit et sanctis sponsa facta est et suavis » (*Serm. 3, de B. M. V.*, a. 3, c. 4, Lugd. 1650, p. 84). Hanc esse Patrum graecorum et latinorum sententiam testatur Baronius,² a qua, addit, scio neminem dissentire, nisi stolidissimorum haeticorum factionem et satellitum, qui ad impugnanda sacra vota virginitatis et continentiae egregiam diabolo navant operam.

II. Prob.: Ratione: Cum Virginitas altissima res sit, congruum erat ut huius consilii promulgatio ad tempus gratiae, ob imperfectionem Veteris Testamenti, Deus reservaret. Quamvis vero B. Virgo, sub Veteris legis nocte orta sit, Legis Novae tamen aurora extitit, et ideo prima omnium, divino instinctu, afflante Verbo, propositum virginitatis voto firmavit.

OBICITUR: 1) Quidam Sancti V. Testamenti, ut Jeremias, Elias, videntur votum virginitatis emisisse;

2) pariter, filia Iephte, iuxta plures, Deo virginitatem suam voto consecrasset videtur (Iud. 11, 29, 30);

3) tandem Vestales traduntur virginitatis statum amplexas fuisse. Ergo B. Virgo non fuit prima quae votum virginitatis emisit.

RESPONDETUR: *Ad primum:* aliud est virginitatem colere, et aliud illam ex voto servare. Iamvero, Jeremias et Elias non leguntur matrimonii vinculo ligati, at neque continentiae voto obstricti.

¹ Sermo iste est dubiae authenticitatis. Cfr *Mariologia*, t. 1, p. 189 in nota.

² *Annales Ecclesiastici*, t. I, Venetiis, 1705, p. 16.

Ad secundum: Dato et non concesso filiam Iephte a patre suo mystice, per virginittatis impositionem, mactatam fuisse (de qua tamen re valde disputatur), longe distat virginittas coacta a spontaneo virginittatis voto.

Ad tertium: animadverti debet quod Vestales nonnisi ad tempus virginittatem servabant, idque non voto sed ex officio tantummodo praestabant (cfr PLANCH, O. S. M., *Vita B. M. V.*, Oeniponte 1762, p. 45).

Ergo, prima omnium, *tempore*, B. Virgo votum virginittatis emisit. Si vero quaeratur QUONAM TEMPORE id fecerit, responderi potest:

1) *Certum* est B. Virginem votum emisisse ante Annunciationem, prout apparet ex Luc. I, 34.

2) Communis sententia tenet B. Virginem votum emisisse ante suam desponsationem cum S. Ioseph.

3) De tempore autem praeciso in quo B. Maria virginittatem voverit, minime constat.

a) Quidam tenent Mariam perpetuum virginittatis votum emisisse inde a primo conceptionis instanti, eo quod iam tunc usum rationis habuit et supernis illustrationibus illustrata fuit. Ita Iacobus Christopolitanus, Barradas, Garriguet etc.

b) Alii tenent B. Mariam votum virginittatis emisisse postquam ad usum rationis pervenit ac de usu coniugii et de virginittate cogitare coepit. Ita Suarez, Vasquez, Serry, Lépiciér, Campana, de la Broise, etc.

Si quis admittat B. Virginem inde a primo conceptionis instante rationis usum habuisse, admittere etiam potest ipsam inde ab illo instanti virginittatis votum emisisse.

At B. Virgo, nedum tempore, sed etiam voti *perfectione* omnes antecellit. Haec autem perfectio, prout iure animadvertit Lépiciér,¹ ex triplici capite oriebatur, nimirum:

1) ex *intensitate caritatis* qua votum istud Beatissima Virgo nuncupavit, ex quo consecutum est ut firmissima voluntate proposuerit se illud servatarum;

2) *ex modo* quo illud votum adimplevit; cum nedum nihil unquam contra hoc votum commiserit, sed etiam nullo, vel levissimo motu, ad contrarios actus fuerit pertracta;

3) ex *diuturnitate temporis* vitae quo illud servavit, cum votum iuniori aetate nuncupatum usque ad vitae mortalis terminum, etiam in matrimonii statu, perfectissime custodierit.

Ob hoc Patres et Scriptores virginittatem Deiparae super omnem aliam extollunt. Sic S. Ephraem eam appellat « corona virginum » (*Serm. de Ss. Dei Genitricis Virginis Mariae laudibus*), S. Epiphanius « principem virginittatis » (*Haeres.* 78, PG 42, 714). S. Ambrosius « Virginum Vexilliferam et virginittatis Magistram »

¹ L. c., p. 410.

(*De Instit. Virgin.*, c. 5, n. 35, PL 18, 324). S. Petrus Chrys., Mariam sic laudat: « Vere benedicta, quae et divini germinis suscepit gloriam, et regina totius extitit castitatis » (Serm. 143, PL 52, 584). Richardus a S. Laurentio: « Virgo virginum, vernans in floribus et in fructum suavitate delicias » (*De laud. B. V. Mariae*, l. 3). Et S. Antoninus: « Virgo virginum, quia virgines omnes in fomitis extinctione, in puritate et in fecunditate excellit, quia nulla virgo fecunda nisi ipsa » (o. c., p. IV, t. 15, c. 22). Iure igitur ab Ecclesia invocatur « Regina Virginum », « Virgo virginum », etc.

Nec veritati huius matrimonii obfuit *votum* absolutum virginitatis: aliud enim est *ius* aliud *usus* iuris. Iamvero immediatum matrimonii obiectum est *ius* radicale in proprium corpus sibi invicem a sponsis tradendum, non vero *usus* talis iuris. Hoc ius ita verum est ut, si votum frangatur, actus copulae, in matrimonio peractus, non est actus fornicationis, quamvis adnexum habeat sacrilegium ob votum violatum.

Tenendum insuper est virginale matrimonium inter Mariam et Ioseph, Deo inspirante, contractum fuisse. B. Virgo enim, per divinam revelationem vel alio modo, certe cognovit, antequam nuberet, S. Ioseph tantae sanctitatis fuisse et ideo tuto omnino illi virginitatem suam, commendare posse, absque ullo vel minimo detrimento.

Nec desunt rationes convenientiae ob quas matrimonium Mariae cum Ioseph, non obstante virginitatis voto, convenientissimum fuit. Rationes istae ex triplici capite — a card. Lépicier¹ — desumuntur, videlicet, ex parte Christi, ex parte Virginis et ex parte nostri:

- 1) EX PARTE CHRISTI, quadruplici ratione hoc fuit conveniens, videlicet:
 - a) *Ne Christus tanquam illegitimus abiiceretur.*
 - b) *Ut Christi generatio per virum describeretur.*
 - c) *Ut divinus partus diabolo celaretur.*
 - d) *Ut a Ioseph nutrireretur.*
- 2) RATIONES EX PARTE BEATAE VIRGINIS. Conveniens fuit Christum de desponsata Virgine nasci, etiam propter Matrem ex triplici ratione:
 - a) *Ut a poena Maria immunis redderetur.*
 - b) *Ut ab infamia corruptelae liberaretur.*
 - c) *Ut Beata Virgo ministrum fidelem in temporalibus haberet.*
- 3) RATIONES EX PARTE NOSTRI. Ex parte quoque nostri huius matrimonii convenientia comprobatur, et quidem quinque de causis:
 - a) *Ut Ioseph virgineum partum testaretur.*
 - b) *Ut credibilior redderetur virginitas Mariae.*
 - c) *Ut virginibus praeberetur exemplum.*
 - d) *Ut significaretur unio Christi cum Ecclesia.*
 - e) *Ut in una persona virginitas et matrimonium honorarentur.*

¹ L. c., pp. 441-447.

CAP. II – DE ASSUMPTIONE ET GLORIFICATIONE B. M. V.

Art. I – DE CORPOREA ASSUMPTIONE B. M. V.

BIBLIOGRAPHIA

Circa hanc quaestionem, ultimis praesertim annis, plurima scripta prodierunt, in quibus eius fundamenta sive scripturistica sive patristica nec non eiusdem definibilitas exposita fuerunt. Hic praecipua scripta indicabimus.

- ALES (D'), *Assomption*, in *Etudes*, 176 (1923) 157-266.
- ARCANGELUS A ROÉ, O. F. M. Cap., *Adnotationes circa petitiones de B. V. Mariae assumptione corporea in caelum dogmaticae definienda*. Extractum ex *Collectanea Franciscana*, 14 (1944) fasc. 1-4.
- BALIĆ C., O. F. M., *De definibilitate Assumptionis B. V. Mariae in caelum*, Romae 1945.
- BERNARD R., O. P., *L'Assomption et la Maternité de grace*, in *Vie Spir.*, 29 (1931) 28-51.
- BELLAMY J., *Assomption de la Sainte Vierge*, in *Dict. de Théol. Cath.*, t. 1, coll. 2127-2141.
- BOVER I., S. I., *La Asunción corporal de la Virgen Maria a los cielos en la Sagrada Escritura*, in *Rev. Esp. de Teología*, 6 (1946) 163-183.
- BROUSSOLLE, *L'Assomption de la Sainte Vierge*, in *Histoire, Liturgie, Art et Théologie*, 3 voll.
- CABROL O. S. B., *Assomption*, in *Dict. d'Archéologie chrétienne et de Liturgie*, t. 1.
- CAPELLE, *La fête de l'Assomption dans l'histoire liturgique*, in *Ephemerides Theol. Lovan.*, 3 (1926) 33-45.
- CARLI L., *La morte e l'Assunzione di Maria SS. nelle Omelie greche dei secoli VII, VIII*, Romae, 1941. — *La definibilità dommatica dell'Assunzione*, in *Marianum*, 7 (1945) 59-78.
- CAVALLERA, *A propos d'une enquête patristique sur l'Assomption*, in *Bulletin de Lit. Eccl.*, 22 (1926) 97-116.
- CAYRÉ F., *La définibilité de l'Assomption de Marie*, extrait de *L'Année Théologique*, 1946.
- CHATAIN I. B., *La question de l'Assomption. Mélanges d'histoire et de théologie*, in *Etudes Carmel.*, 9 (1924) 362-374.
- CERVETTI, *La Asunción de la Santísima Virgen en cuerpo y alma a los cielos*. Santiago de Chile, 1922.
- CONNEL O' R., S. I., *Mary's Assumption*, New York, 1930, in-8, x-166 p.
- COPPENS I., *La definibilité de l'Assomption*, in *Eph. Theol. Lov.* 23 (1947) 5-35.
- CROSTA C., *L'Assunta nell'odierna Teologia Cattolica*, ed. 3, Milano, 1903.
- DA FONSECA L. G., S. I., *L'Assunzione di Maria nella Sacra Scrittura*, in *Biblica*, 28 (1947) 321-362.
- DENEFFE, *Um die Definierbarkeit der Himmelfahrt Mariae*, in *Scholastik* 1 (1926) 161-183. *Fides pia und sententia pia*, ibidem, 2 (1927) 53-77; *Gehört die Himmelfahrt Mariä zum Glaubensschatz?* ibidem, 3 (1928) 190-128.
- DE SOLÀ Fr., S. I., *Acotaciones a un libro Asuncionista*, in *Est. Eccl.*, 21 (1947) 337-355.
- DI FONZO L., O. F. M. Conv., *De Immaculatae Deiparae Assumptione, post praecipua recentiora studia critica disquisitio*, Romae 1947 (Extr. *Miscell. Franc.* 46, 1946, 45-104).

- DI PIETRO, *L'Assunzione di Maria in Cielo secondo la storia e la tradizione*. S. Benigno Canavese, 1903.
- ENRICO DI S. TERESA, O. C. D., *Il movimento mariologico per la definizione dogmatica dell'Assunzione di Maria*, in *Marianum*, 7 (1945) 35-59.
- ERNST, *Die leibl. Himmelfahrt Mariae Historisch-dogmatisch nach ihrer Definierbarkeit beleuchtet*, Regensburg 1921; *Die leibl. Himmelfahrt Mariae und das Dogma von der unbefleckten Empfängnis*, in *Theol. prakt. Quartalschrift*, 74 (1921) 226-237; *Die Kongruenzgründe für die leibl. Himmelfahrt Mariae*, ibid. 387-389; *Der pseudo-augustinische Traktat « De assumptione B. Mariae » über die leibl. Himmelfahrt der seligsten Jungfrau*, ibidem 77 (1924) 449-454; *Die leibl. Himmelfahrt Mariae und der Glaube der Kirche*, ibidem 78 (1925) 34-45, 260-273; *Ueber die Definierbarkeit der Lehre von der leibl. Himmelfahrt Mariae noch einmal*, ibidem 80 (1927) 532-544; *Um die Definierbarkeit der leibl. Himmelfahrt Mariae*, in *Bonner Zeitschrift für Theologie und Seelsorge* 4 (1927) 322-336; *Neues zur Kontroverse über die Definierbarkeit der Himmelfahrt Mariae*, ibidem 6 (1929) 289-304, 7 (1930) 16-31.
- FALLER O., S. I., *De priorum saeculorum silentio circa Assumptionem B. M. V.*, Romae 1946, (*Analecta Gregoriana*, sect. A, n. 5), in-8, 135 p.
- FERNANDEZ NISTAL A., *Asunción y mediación de la SS. Virgen*, Murcia, 1929.
- FILOGRASSI G., S. I., *L'Assunzione di Maria SS. nella Tradizione cattolica*, in *Civiltà Cattolica*, a. 1946, pp. 285-290, 246-252.
- FLICOTEAUX E., O. S. B., *L'Assomption de Notre-Dame*, in *La vie Spir.*, 14 (1926) 351-377.
- FRIETHOFF, O. P., *De doctrina Assumptionis corporalis B. M. V. rationibus Theologicis illustrata*, in *Angelicum*, 15 (1938) 3-16.
- GARGIA CASTRO M., *El dogma de la Asunción*, Madrid, 1947, in-8°, 171 pp.
- GAUDIN, *Assumptio corporea Mariae Virginis vindicata*, Paris, 1670.
- GARRIGOU-LAGRANGE, O. P., *De definibilitate assumptionis B. M. V.*, in *Angelicum*, 22 (1945) 66-72. — ID., in *Divus Thomas* (Plac.), 1947, pp. 81-86.
- GILLMANN, *Zum Problem der Definierbarkeit der leibl. Himmelfahrt Mariae*, in *Archiv für kath. Kirchenrecht*, 105 (1925) 475-479.
- GODTS, *Définibilité dogmatique de l'Assomption corporelle de la T. S. Vierge*, Esschen 1924, in-8, 102 p.
- GORDILLO, *La Asunción de Marta en la Iglesia Española* (siglos 7-11), Madrid 1922; *Boletín de Mariología asuncionista*, in *Estudios Eclesiásticos*, 4 (1925) 91-102; *Flores de la Liturgia Asuncionista*, ibidem, 5 (1926) 337-361; *L'assunzione corporale della SS. Vergine Madre di Dio nei teologi bizantini* (sec. x-xv), in *Marianum* 9 (1947) 64-89.
- HENTRICH G.-DE MOOS R. G., S. I., *Petitiones de assumptione corporea B. V. Mariae in caelum ad S. Sedem delatae*, Romae, 1942, 2 voll., in-4.
- HOLWECK J. G., *Mariä Himmelfahrt*, St. Louis, 1910.
- HOVE A. van, *Maria's Hemelvaart*, in *Collect. Mechl.*, 5 (1931) 542-548.
- IANNOTTA, *Thesis de Assumptione corporea B. V. Mariae Deiparentis in caelum assumptae cum doctrina D. Thomae Aq. collata*, 2, ed. Isola del Liri, 1924; *Se l'Assunzione psicomatica al cielo della SS. Vergine sia nella rivelazione del Nuovo Testamento*, in *La Scuola Cattolica*, 8 (1926) 370-375.

- IANSSENS A., *De Heilige Maagd en Moeder Gods Maria*, IV. *Maria's Hemelvaart*, Brusel 1931; *De glorificatione corporali B. M. V.*, in *Ephem. Theol. Lov.*, 8 (1931) 437-445; *De hemelvaart der allerheiligste Maagd*, in *Ons Geloof*, 12 (1926) 304-311.
- JANNUCCI, *Firmitudo Catholicae veritatis de Psychosomatica Assumptione Deiparae*, Torino 1884.
- JUGIE M., A. A., *La mort et l'Assomption de la sainte Vierge. Etude historico-doctrinale (Studi e Testi, 114)*, Città del Vaticano, 1944, in-8, pp. VIII-748.
- JÜRGENS, *Gottesmutter im Himmel*, in: *Zeitsch. kath. Th.*, 1880, pp. 506-650.
- KOLLER L. B., O. P., *La définibilité dogmatique de l'Assomption*, Frib.-en-Suisse, 1946, in-8°, 79 pp.
- KOSER P., O. F. M., *A definibilidade da Assunção de Nossa Senhora*, in *Revista Eclesiástica Brasileira*, 7 (1947) 255-276.
- LANA A., *La resurrezione e corporea Assunzione al cielo della S. Vergine Madre di Dio*, Roma, 1880.
- MATTIUSI, *Utrum corporea Virginis assumptio ad fidei depositum spectet*. Aquipendii, 1922; *L'Assunzione corporea della Vergine Madre di Dio nel dogma cattolico*, Milano, 1924.
- METS, *Is de Assumptio corporalis B. M. V. een res definibilis*: in *Nederl. Kath. Stemmen*, 24 (1924) 353-366; *Suarez over de definibiliteit assumptionis corporalis B. M. V.*, in *Ned. Kath. Stem.*, 25 (1925) 83-84.
- MICHAUD, *La définibilité dogmatique de l'Assomption*, in *Nouv. Rev. Théol.*, 1914, pp. 453-468.
- MINGES, *Ueber die Definierbarkeit der Lehre von der leibl. Himmelfahrt Mariae*, in *Theol. prakt. Quartalschrift*, 78 (1925) 546-557.
- MUELLER F. S., S. I., *Origo divino-apostolica doctrinae evectionis B. Virginis ad gloriam caelestem quoad corpus*, Oeniponte 1930; *Petitiones de Assumptione corporea B. V. Mariae in caelum definienda*, in *Gregorianum*, 27 (1946) 110-111.
- NAEGEL, *L'Assomption, ses harmonies dogmatiques*, Lyon, 1903.
- NOYON A., *Marie-Assomption*, in *Dict. Apol. de la Foi Cath.*, Paris, 1926, t. 3, coll. 275-285.
- O' NEILL, *The Assumption of the Bl. Virgin according to the Teaching of Pius IX and St. Thomas*, in *Irish Eccl. Record*, n. 524, pp. 113-136.
- PANELLA I. A., C. M. F., *La Virgen en el misterio de la Asunción*, Madrid, 1931.
- PAULUS, *Suarez über die Definierbarkeit der leibl. Himmelfahrt Mariae*, in *Zeitsch. für kath. Theol.*, 52 (1928) 241-244.
- PIANA C., O. F. M., *Assumptio B. M. Virginis apud scriptores saec. XIII*, Romae, 1942.
- RENAUDIN, *De la définition dogmatique de l'Assomption de la Très Sainte Vierge*, Paris 1902; *La doctrine de l'Assomption de la T. S. Vierge, sa définibilité comme dogme de foi divine catholique*, Paris 1913; *Assumptio B. Mariae Virginis*, Taurini, Romae, 1933; *La définition dogmatique de l'Assomption de la très Sainte Vierge*, in *Marianum*, 5 (1943) 187-200; *Un enseignement de Sa Sainteté Pie XII*, in *Marianum*, 7 (1945) 78-81.
- ROSCINI G., O. S. M., *L'Assunzione nella Teologia contemporanea*, in *Marianum*, 7 (1945) 1-34; *Sulla definibilità dell'Assunzione*. Esame di un articolo del prof. Coppens, in *Marianum* 9 (1947), 260-277; *Il pensiero di S. Tommaso sull'assunzione corporea di Maria*, in *Acta Pont. Acad. S. Thomae Aquin.*, vol. XII, 1946, pp. 106-128.
- SCOTTI P., S. S., *La definibilità dell'Assunzione psicosomatica di Maria SS.*, in *Scuola Catt.*, 14 (1929) 101-119.

SINDING, *Mariae Tod und Himmelfahrt*, Cristiania, 1904.

VACCARI AL., O. S. B., *De corporea Deiparae Assumptione in caelum, an dogmatico decreto definiri possit*. Disquisitio historico-critico-theologica, Romae, 1869.

WIEDERKEHR I., *Die leibl. Aufnahme der allerseligsten Jungfrau Maria in den Himmel*, Einsiedeln 1927.

Cfr etiam *Ephem.*, *L'Assunta*, Como, a Can. Crosta edita. — *Maria's ten hemelopnemng*, Tongerlo, Mariale Dagen, 1934, in-8^o gr. 130 pp. — *Estudios Marianos*, a. VI (1947), vol. VI, 556 pp.

PRAENOTANDA

I) **De obiecto Assumptionis.** Circa obiectum essentielle assumptionis seu melius circa *amplitudinem* obiecti nondum plena Theologorum concordia habetur.

Al. Janssens (l. c., pp. 437 s.), Lépiciér (o. c., p. 300), Lennerz, (o. c., p. 55), putant obiectum essentielle huius privilegii esse resurrectionem, *ut gloriosam*, B. Virginis. Ratio est quia in investigatione theologica non debent separari quae in traditione, liturgia, nec non in pia fidelium credulitate sunt indivulsa. « Non quidem negamus — scribit Janssens — quod rationes theologicae possent afferri validae, etiamsi non constaret de morte B. Virginis ex quibus patesceret eius corpus unitum esse animae gloriosae, sed illud affirmamus: validiores longe et magis congruentes ad fidei analogiam esse rationes quibus demonstratur anticipata resurrectio B. Virginis quae evidenter praesupponit praeviam mortem ».

Alii e contra, ut Renaudin (o. c., p. 55), Broussolle (o. c., p. 114), Mueller (o. c., p. 5), Frietoff (l. c., p. 4), Jugie etc. anticipatam resurrectionem B. Virginis separant a glorificatione corporali, ita ut statuunt hoc unum essentialiter pertinere ad gloriosum exitum Mariae, videlicet, quod eius corpus nunc sit animae gloriosae unitum, sive Maria de facto sit mortua sive non.

Duplicem hanc sententiam componere veluti conatus est cl. Bittremieux (*Eph. Theol. Lov.*, t. 8, 1931, p. 468) distinguendo inter considerationem Assumptionis B. Virginis in *abstracto* et in *concreto*. Si assumptio B. Virginis in abstracto consideretur, obiectum essentielle Assumptionis videtur esse glorificatio corporalis B. Virginis; utrum vero hanc glorificationem praecesserit mors et anticipata resurrectio (prout ferre videntur sive traditio liturgica sive pius fidelium sensus) vel non, *accidentale* est, quod cum essentiali confundi non debet. Plene enim verificatur Assumptio etiamsi B. Virgo cum corpore glorificato in coelum evecta fuerit, quin antecessisset mors et resurrectio.

Si vero Assumptio B. Virginis consideretur *in concreto* et de facto, tunc evidenter aliquid amplius nobis obiicitur, et ideo dicendum potius videtur Assumptionem consistere « in unione corporis cum anima gloriosa tali, quae ut terminum a quo supponit mortem, atque resurrectione initiata fuit. Non apparet exinde cur, in determinando obiecto probando ut divinitus revelato, quod obiectum ut concretum est considerandum, ab his in ordine praesenti praescindi possit ».

At, sententia haec, sicut et prima sententia, supponit Assumptionem et factum mortis eodem certitudinis gradu gaudere: quod quidem concedi nequit. Iure igitur ab *essentia* obiecto Assumptionis mors excluditur.

II) **Assumptionis nomen et vis.** Ad tale obiectum designandum hodie Assumptionis nomen communiter adhibetur. Quamvis vero nomen *Assumptio* aliquando a patribus usurpatum sit ad transitum Sanctorum indicandum (e. g. S. Gregorius Naz. dicit sororem suam *assumptam* esse in caelum in *Or. funebri in laudem sororis suae Gorgoniae*,¹ et S. Gregorius Turon. mentionem facit *Assumptionis* S. Aviti),² tamen communiter hodie nomen hoc exclusive adhibetur ad significandam corporalem glorificationem B. Virginis.

Distinguitur vero Assumptio ab Ascensione: *Ascensio* enim praedicatur de Christo, qui *propria virtute* ascendit in caelum: *Assumptio* vero dicitur de sola B. Virgine quae, per sibi collatam agilitatis dotem (quae est propria corporum glorificatorum), absque ullo Angelorum fulcimento aut adminiculo (prout falso in imaginibus describi solet, nisi in ipsis ponantur ad *reverentiam* tantummodo designandam) in caelum conscendit.

III) **Multiplex quaestionis respectus.** Quaestio de assumptione, prout a nobis iam determinata est, sub multiplici respectu considerari potest, videlicet, sub respectu *historico*, i. e., prout est factum historicum per testes oculares probatum, et sub respectu *theologico*, i. e., prout est gratia seu *privilegium* aliquod B. Virgini collatum et per revelationem sive *explicitam*, seu, expressis verbis, sive *implicitam* patefactum.

Hisce positis, putamus Assumptionem corpoream Deiparae *historice tantummodo* nec probatam esse nec probari posse. Agitur enim de veritate quadam *suprasensibili*, intrinsece supernaturali, quae proinde oculorum testimonium excedit. Oculi enim nihil aliud videre potuissent, per seipsos, nisi mortem, resurrectionem, sepulcrum vacuum, translationem Deiparae in alium locum, sed nequaquam pertingere potuissent, absque revelatione, ad corpoream assumptionem et glorificationem Deiparae in caelum.

Seposita igitur probatione historica Assumptionis, utpote impossibili, necessario deveniendum est ad revelationem quamdam, sive explicitam sive, saltem, implicitam. Revelatio *explicita*, seu, expressis verbis (sicut veritas, e. g., de natiuitate Christi etc.) *possibilis* videtur. Si enim Leucius, de quo loquitur Pseudo-Meliton, non iam saeculo IV sed — prout quidam critici putant — saeculo II Apocryphum *de Assumptione* scripsit, iam ad aetatem apostolicam et praesertim ad S. Ioannem pervenimus, cuius auctoritas contra Leucium qui « a via iustitiae » discesserat, ab ipsomet Ps.-Melitone invocatur. Eo vel magis quod haereses a Leucio prolatae ad saeculum II potius quam ad saeculum quartum pertinent

¹ PG 35, 814.

² *De glor. Confessorum*, c. 99, PL 71, 901).

(Marcionismus, Monarchianismus, Docetismus, Montanismus). Extitisset igitur, in aetate apostolica, traditio quaedam oralis circa transitum Deiparae a Leucio « impio stilo » depravatam. At, etiam Leucio praetermisso, non desunt inde saltem ab initio saec. IV (et ideo duobus saeculis post mortem S. Ioannis et uno saeculo cum dimidio post mortem discipulorum eiusdem) vestigia quaedam historica explicitae traditionis oralis. Quae tamen quamvis insufficientia ad veram probationem instituendam, *possibilitatem* saltem ostendunt cuiusdam revelationis *explicitae*.

Cum igitur haec explicita revelatio hucusque cum sufficienti certitudine probata non sit, maior Theologorum pars logice ad revelationem *implicitam* recurrit, non quidem virtualement, sed formalem, i. e., ad revelationem confuse contentam in aliis veritatibus revelatis, seu in aliis privilegiis Deiparae a revelatione tributis, ita ut analysis quaedam theologica ad illam detegendam requiratur.

Quae cum ita sint, nos hic quaestionem de assumptione corporea Deiparae non iam sub respectu historico sed sub respectu theologico tantummodo considerabimus. Et quamvis *possibilitatem* revelationis explicitae huius veritatis teneamus, cum haec certo adhuc non constet, ad revelationem *implicitam* appellamus, demonstrantes assumptionem corpoream Deiparae esse saltem *formaliter implicitate* revelatam et ideo proxime tamquam fidei dogma *definibilem*.

IV) **Errores.** Assumptionem B. Virginis quidam, saeculorum decursu, *negarunt*, quidam vero de ea *dubitarunt*.

1) **Negavit** vel saltem ignorare demonstravit Assumptionem corpoream ADAMANNUS († 704) qui, Ecclesiam S. Mariae in valle Iosaphat describens, commemorat Sanctae Mariae « vacuum sepulcrum, in quo aliquando sepulta pausavit. Sed de eodem sepulcro quomodo vel quo tempore aut a quibus personis sanctum corpusculum eius sit sublatum, vel quo loco resurrectionem exspectat, nullus, ut fertur, pro certo scire potest » (*De locis sanctis*, lib. I, cap. 12, CSEL, 39, 240).¹

¹ Idem plus minusve repetit S. BEDA VENERABILIS († 735): « Et ad eius dexteram [Ecclesiae quae est in valle Iosaphat] monumentum vacuum, in quo sancta Maria aliquandiu pausasse dicitur, *sed a quo vel quando sit ablata nescitur* » (*Liber de locis sanctis*, cfr GEYER, *Itinera hierosolymitana*, pp. 306, 311 s.). Attamen verba S. Bedae multo minus dicunt quam verba Adamanni.

S. ISIDORUS HISPALENSIS († 636) antea dixerat: « nec obitus eius (B. Virginis) uspiam legitur; dum tamen reperiat eius sepulcrum, ut aliqui dicunt, in valle Iosaphat » (*De ortu et obitu Patrum*, c. 67, PL 83, 148s.). S. Isidorus — ut patet — minus adhuc dicit ac S. Beda.

Digna sunt quae considerentur verba S. Hieronymi adversus Rufinum: « Sed quaero, quod Origines negat, cum in eodem sexu, quo mortua sunt corpora, suscitentur; et Maria, Maria, Ioannes surgat Ioannes: aut commixto sexu atque perturbato, nec vir femina sit, sed utrumque et neutrum? » (*Adv. Rufinum* II, 5, PL 23, 447). Circa haec verba iure animadvertit P. Faller:

Circa finem saeculi VIII, Hispani quidam Asturiarum dixerunt B. Virginem resurrectionem finalem, sicut ceteri, expectare (Cfr PL 96, 1231-1240).

2) **Dubitaverunt**, plus minusve serio, de Assumptione, Ps.-Augustinus, Ps.-Hieronymus, Martyrol. Adonis., Ps.-Hildephonsus, Atto Vercellensis, Guibertus de Novigento, Ioannes Beletius, Isaac de Stella, Aelredus Rievallensis, prout infra videbimus.

Prop.: *B. Virgo in caelum corporaliter assumpta est.*

Card. Lépiciér (o. c., p. 302) haec scripsit: « Nobis tamen, re maturius pensata, satius decernendum videtur, assumptionem Beatae Virginis dici debere *de fide*, et quidem, uti aiunt, catholico-divina; nimirum, hinc quidem haec veritas dicenda est contenta in deposito revelationis, unde est de fide divina; illinc vero sufficienter proposita est per magisterium ordinarium Ecclesiae, quae de hac re festum universale, id est totum orbem respiciens, instituit, unde est de fide divino-catholica ». Et adiungit: « Ex hoc tamen deduci non debet illum, qui hanc veritatem negaret, incidere in poenas in haereticos latas, deficiente hac de re explicitiori definitione Ecclesiae ». Huic sententiae adhaeremus.

I. Probatur ex magisterio ordinario Ecclesiae.

Episcopi per orbem dispersi consensu moraliter unanimi docent Assumptionem corpoream in Deposito Revelationis divinae contineri, eiusque definitionem exposcunt. Hoc sufficienter patet ex duobus magnis voluminibus recenter a PP. Hentrich et De Moos S. I. publici iuris factis quibus titulus: *Petitiones de Assumptione corporea B. M. Virginis in caelum definienda ad S. Sedem delatae*. Ibi enim habentur variae petitiones ad S. Sedem delatae ab a. 1863 ad a. 1940, quae in 100 circiter voluminibus continebantur in Archivo secreto S. Officii asservatis. Ex his voluminibus patet postulatorias litteras ad S. Sedem misisse pro definienda assumptione corporea Deiparae 113 Cardinales, 18 Patriarcas, 2505

« Minime dubium videtur, quin S. Hieronymus contra Origenistas disputans, qui corpora post resurrectionem sexu carere suspicabantur, implicite ponat duo exempla clarissima, alterum feminae, alterum viri (« *Maria Maria, Iohannes resurget Iohannes* »), ut absurditatem thesisi contrariae demonstret, non ut quidquam affirmet *de tempore* resurrectionis, sive Iohannis, sive Mariae » (o. c., p. 65, nota).

Idem iam animadverberat P. Jugie, addens: « S. Jérôme parle ici par manière d'exemple. Veut-ille faire porter expressément sa pensée sur la résurrection de Marie et de Jean, ou bien s'agit-il simplement de donner le nom d'un homme et le nom d'une femme? La première alternative ne s'impose pas, d'autant plus que plusieurs anciens ont cru à l'immortalité de saint Jean » (o. c., p. 66).

Archiepiscopos et Episcopos, 383 Vicarios Capitulares, innumeras personalitates, 32.000 Sacerdotes et Religiosos, 50.000 Religiosas et plusquam 8.000.000 fidelium.

Numerus Sedium Residentialium Orbis Catholici quae praedictas petitiones ad S. Sedem miserunt, ad 73 pro 100 circiter ascendit. Ex hoc legitime deducitur veritatem Assumptionis corporeae a magisterio Ecclesiae ordinario consensu moraliter unanimi doceri. Iamvero haec firma et universalis persuasio explicari non potest si veritas haec a Deo per apostolos revelata non fuisset, cum agatur de veritate suprasensibili, stricte supernaturali, quae mediis naturalibus cognosci non potest, et ideo solummodo mediis supernaturalibus, seu revelatione cognosci potuit.

Pius XII in Encyclica «Mystici corporis Christi», haec scribebat: «nunc in caelo (B. Virgo) corporis animique gloria renidet, unaque simul cum Filio suo regnat» (*AAS* 35, 1943, 247 s.).

Hoc patet etiam ex festo universalis Assumptionis, quod celebrari coepit in Syria, circa medium saeculum v, et in Palaestina circa a. 500 (cfr FALLER, o. c., pp. 19-25).¹

II. Probatur ex S. Scriptura.

Relate ad argumentum *ex S. Scriptura* in favorem assumptionis, Auctores veteres et recentiores in triplicem veluti classem distribui possunt, videlicet: 1 Quidam asserunt veritatem illam *nullimode* in S. Scriptura contineri; 2 alii, e contra, asserunt in S. Scriptura *explicite*, vel fere *explicite* contineri; 3 alii tandem, mediam veluti viam sectantes, asserunt assumptionem corpoream non iam *explicite* sed *implicite* tantummodo contineri (formaliter, non virtualiter).⁴

¹ Cfr COZZA-LUZZI, in app. ad opus VACCARI A., *De corporea Deip. assumptione in caelum*, Romae, 1869, pp. 457-477: *De corporea assumptione B. Mariae Deiparae testimonia liturgica Graecorum*. = MAXIMILIANUS SAXONIAE, Praelectiones de Liturgiis Orientalibus, t. I, Freiburg in Br., 1908, p. 218. = SALAVILLE S., A. A., L'Assunta nella Liturgia Greca in *L'Assunta* (Como) I (1916) 15 ss. = IUGIE M., o. c., pp. 188-190.

² Ita, saec. IX, PS-AUGUSTINUS, de assumptione explicite asserit quod «Divina Scriptura nihil commendat» (*De Assumpt.*, c. 2, PL 40, 1144); «Sunt quaedam quae quamvis in Scriptura commemorari *ex toto ommissa sunt*, vera tamen ratione creduntur» (*Ibid.*). Haec eadem verba a S. PETRO CANISIO repetuntur (*De Maria V. incomparabili*, l. V, c. 5, ap. Bourassé, *Summa Aurea*, t. 9, col. 81). S. THOMAS: «Scriptura non tradit» (S. Th., III, q. 27, a. 1); SUAREZ: «Nec est testimonium S. Scripturae» (In III p., q. 37, art. 4, sect. 2, Op. t. 17, Lugduni, 1614, p. 199). Inter hodiernos scriptores I. Turmel asserit nullum textum in S. Scriptura inveniri «dont le sens littéral soit de nature à établir la sublime prérogative de Marie» (art. *Assomption*, in *Dict. Bibl.*, I, 1133). Quidam vero auctores recentiores (e. g. Pesch, Merkelbach etc.) omittunt omnino argumentum ex S. Scriptura.

³ Ita BUSELLI (o. c., pp. 64 s., 103 s.), VACCARI ALOYSIUS (o. c., pp. 286 ss.) etc.

⁴ Cfr HENTRICH-DE MOOS, o. c., I, 97 ss. = Maior theologorum recentiorum pars ita sentit. = Quamplurimae petitiones Episcoporum ex *S. Scriptura* arguunt (o. c., II, pp. 732-734).

Hisce ultimis adhaeremus. Argumenta vero quae adduci solent ex S. Scriptura ad corpoream Deiparae Assumptionem probandam, desumuntur sive ex Veteri Testamento (Gen 3, 15) sive ex Novo Testamento (Luc. 1, 28; 1 Cor., 15, 20-22; Apoc. 12).

I. In V. T.: *ex Protoevangelio* (Gen. 3, 15): « Inimicitias ponam... Ipsa conteret caput tuum ». In hoc celebri vaticinio, B. Virgo speciali modo Christo Filio suo coniuncta exhibetur in inimicitiiis cum diabolo et in plenissimo triumpho supra diabolium. Hoc posito arguimus: Triumphus Mariae supra diabolium identicus est triumpho Christi Redemptoris. Atqui triumphus Christi, utpote plenissimus, excludit servitatem mortis seu triumphum supra mortem importat. Ergo et triumphus Mariae eadem servitatem mortis excludit.

Ad Min. Christus enim, venit — prout dicit S. Ioannes — « ut dissolvat opera diaboli ». Iamvero, tria praesertim sunt — iuxta S. Scripturam — opera diaboli ad quae dissolvenda Christus venit, videlicet: *peccatum* (Ioan. 1, 29), *concupiscentia* (Rom. 7, 24, 25) et MORS de qua in Ep. 1 ad Cor. 15, 26 dicitur: « Novissima autem inimica destruetur mors: omnia enim subiecit sub pedibus eius ». Et exclamat: « Ubi est mors victoria tua? Ubi est mors stimulus tuus? Stimulus autem mortis peccatum est: virtus vero peccati lex. Deo autem gratias qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum » (ib. 5, 55-57). Iamvero si omnes homines huius triumpho supra mortem participes erunt, patet omnino quod illa, cuius Salvator ipse *semen* erit, *specialissimo* modo particeps esse debet, dominio mortis minime subiacendo, per immortalitatem vel per anticipatam resurrectionem. Dum enim aliorum supra mortem triumphus, per Christum, *finalis* tantummodo erit, non vero *plenus*, Mariae e contra *plenissimus* esse debet eo quod « arctissimo et indissolubili vinculo cum eo (Christo) coniuncta, una cum illo, et per illum, sempiternas contra venenosum serpentem inimicitias exercens, ac de ipso *plenissime triumphans* illius caput immaculato pede contrivit » (*Ineffabilis Deus*). Porro, « perfectissimum victoriae genus est, et pulcherrimum, *hosti numquam cessisse* » (IV Sent., 49, 5, 3, q. 1 ad 1). Ergo Beata Virgo, sicut Christus, hosti numquam cessit, seu plenissime de ipso, etiam quoad mortem, triumphavit, quidquid victoriae videtur esse ex parte diaboli necessario excludendo.

Tali modo arguerunt 113 Patres Concilii Vaticani in Postulatione pro definitione dogmatica Assumptionis: « Quum iuxta Apostolicam doctrinam Rom. 5-8, 1, Cor. 15, 24, 26, 54, 57; Hebr. 2, 14-15, aliisque in locis traditam, *triplici victoria* de peccato et de peccati fructibus, concupiscentia et morte, *veluti ex partibus* integrantibus constituatur ille triumphus, quem de Satana, antiquo serpente, Christus retulit; quumque Gen. 3, 15 Deipara exhibeatur *singulariter* associata Filio suo in hoc triumpho; accedente unanimi Sanctorum Patrum suffragio, *non dubitamus quin in praefato oraculo eadem beata Virgo triplici illa victoria praesignificetur illustris*, adeoque non secus ac de *peccato* per Immaculatam Conceptionem, et de *concupiscentia* per virginalem Maternitatem, sic etiam de inimica morte

singularem triumphum relatura, per acceleratam ad similitudinem Filii sui resurrectionem, ibidem *preannunciata fuerit* » (*Conc. Vatic. documentorum Collectio*, Paderborn, 1872).

Quaeri hic potest: ex hoc loco S. Scripturae, potest ne deduci quod Assumptio seu Virginis triumphus de morte sit *formaliter* implicite revelata?...

Responsio *affirmativa* videtur omnino danda.¹ Ibi enim explicite et formaliter revelatur *totalis triumphus* Mariae (cum Christo et per Christum) supra diabolum et opera eius (peccatum, concupiscentia et mors). Si vero *triumphus totalis* explicite revelatur, tunc *implicite* revelatur etiam unaquaeque ex tribus illis partibus quibus *totalis* triumphus constituitur, seu triumphus 1) *supra peccatum* (per immaculatam Conceptionem), 2) *supra concupiscentiam* (per virginalem maternitatem) et 3) *supra mortem* per *anticipatam resurrectionem*. Non habetur ergo hic illatio *mediata*, per ratiocinium (seu conclusio theologica), sed illatio *immediata*. Ex triumpho enim *totali* supra diabolum et opera eius, deducitur triumphus *partialis* qui in *totali implicite* continetur. Si ergo *totum* est *formaliter explicite* revelatum, *pars* erit *formaliter implicite* revelata, sine qua totum haberi non potest. Et ob hanc solam rationem Ecclesia, sicut definivit triumphum B. Virginis *supra peccatum* (per immaculatam Conceptionem) ita definire posset triumphum B. Virginis *supra mortem* per *anticipatam* eius resurrectionem, seu

¹ Contrarium tenere videtur P. LENNERZ, qui scribit: « Posset adhuc quaeri, utrum fortasse assumptio B. Virginis implicite revelata sit in revelatione specialis victoriae eius de diabolo, vel in omnimoda eius oppositione ad diabolum eiusque regnum, ita ut sola analysi huius revelationis anticipata resurrectio et assumptio tamquam necessario in hac victoria inclusa inveniantur. Sed et hoc est impossibile, si abstrahitur a persuasione Ecclesiae de facto huius Assumptionis. Si resolutio corporis, permanentia in morte idem esset, quod *pertinere ad regnum diaboli, vel sub eius imperio esse*, argumentatio forte non esset impossibilis. Sed haec suppositio, cum agitur de iustis, qui ut filii Dei adoptivi ad familiam Dei pertinent, falsa est. Nam Sancti, qui permanent in morte, quorum corpora resolvuntur, nullo modo, ne corpore quidem, sunt sub imperio diaboli vel ad eius regnum pertinent. Nemo dixerit reliquias sanctorum, quae in Ecclesia coluntur, ad regnum diaboli pertinere. Ergo etiam si Mater Dei in morte permansisset, eiusque corpus in sepulchro resolutum esset, nullo modo sub imperio diaboli fuisset vel ad eius regnum pertinuisset. Tandem forte dici posset: *Maria in sua oppositione ad diabolum et suis inimicitiis contra illum intime coniuncta est Christo; ergo si Christus in morte non permansit, idem dicendum est de eius Matre*. Concedendum est hoc *posse* ibi contineri; sed cum hac sola possibilitate *nihil efficitur*. Hoc autem ibi necessario contineri idque certo cognosci posse, praescindendo a persuasionem in Ecclesia de corporea assumptione, *omnino negandum est* » (*De B. Virgine*, ed. 2, Romae, 1935, pp. 101-102).

Haec non videntur sustineri posse. Vi enim associationis in *plenissimo triumpho* supra diabolum et omnia opera eius (inter quae etiam *mors* invenitur) B. Virgo (et ipsa *sola*, quia sola fuit *plenissimo* triumpho Christi associata) non solum *POTUIT*, sed *DEBUIT* in morte *non permanere*; secus enim *negandum* omnino esset B. Virginem in *plenissimo* triumpho fuisse Christo *associatam*: quod P. Lennerz negare non videtur. Posito enim principio necessario, necessaria sequitur conclusio.

per *Assumptionem*, etiamsi nullum argumentum explicitum haberetur in Traditione.¹

Ita sentiunt etiam Mueller (o. c., p. 32), Friethoff (l. c., p. 9) etc.²

Alii etiam loci ex V. T., in favorem Assumptionis adduci solent, sed vim vere probativam non videntur habere. Citari solet, e. g., locus iste psalmi 131, 8: « *Surge, Domine, in requiem tuam: tu, et arca sanctificationis tuae* ».

Arca illa sanctificationis, esset sive Ecclesia sive Beata Virgo. Sensum hunc patrocinantur S. Antoninus (*Summa*, p. 4, t. 15, c. 45); S. Bernardinus Senensis (Serm. 1, *de Ass. B. V. M.*); S. Alfonsus (*Glorie di Maria*, serm. 8, *dell'Ass.*). Ceterum, quod in arca figurata significetur Maria, a multis antiquis scriptoribus, ut S. Methodio, S. Ephraem, S. Athanasio, S. Proclo, S. Ambrosio, Chrysippo, S. Modesto Hierosol., S. Andrea Cretensi, S. Gregorio Turonensi, Auctore Tract. de Assumpt. etc.³ sat notum [est, quod quidem consecratum invenitur in litanii lauretani, ubi vocitatur Maria Foederis arca, et in hymno dicitur: *Ventris sub arca clausus est: arca pretiosissima, quae Corpus Domini continuit*.

Alius locus pro Assumptione Beatissimae Virginis eruitur ex psalmo quadragesimo quarto, v. 10: *Astitit Regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate*. Porro, psalmus iste, sicut praecedens, messianicus est. Christi autem sponsa est, sive Ecclesia, sive Maria, quae e dextris Filii sui in caelis sedet Regina.

Ad rem faciunt verba B. Amedei Lausannensis (Homil. 7 *de B. Virg. obitu*, etc. PL 188, 1337): « *Igitur, cum Virgo virginum a Deo et Filio suo rege regum exultantibus angelis, collaetantibus archangelis, et caelo laudibus acclamante deduceretur, impleta est prophetia David dicentis ad Dominum: Astitit Regina, etc.* ». Accedit Ps. Athanasius (*In Annunt.*).

II. In N. T. Assumptio deduci potest: 1) ex verbis Angeli, 2) ex Ep. 1 ad Cor. et 3) ex Apocalypsi cap. XII.

1. Deduci potest, imprimis, *ex verbis Angeli*: « Ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus » (Luc., 1, 28); nec non ex verbis Elisabeth: « Benedicta tu inter mulieres... » (Luc., 1, 42).⁴ In Bulla enim *Ineffabilis*, Pontifex, ad Traditionalem Patrum et Scriptorum interpretationem appellans, scribit: « Cum vero Patres Ecclesiaeque Scriptores animo menteque reputarent, Beatissimam

¹ Deiparae Assumptio continetur etiam *formaliter implicite* in dogmate Immaculae Conceptionis, prout infra dicemus.

² Patres et Scriptores, qui Assumptionem arguunt ex eo quod B. Virgo fuit cum Christo *causa nostrae salutis*, sunt: 1) S. GERMANUS CONST., P. G., 98, 345; S. ANSELMUS, PL 158, 966; PETRUS CELL., PL 202, 850; S. BERNARDINUS SEN., *De Assumpt.*, art. 3, c. 1.

³ Conferantur textus apud RENAUDIN, o. c., pp. 115-130.

⁴ Patres et scriptores qui Assumptionem deducunt ex eo quod B. Virgo fuit *benedicta*, sunt: B. HILDEB. TURON., PL 171, 640; S. IOANNES DAMASC., PG 96, 716; S. BERNARDINUS SEN., l. c.; S. THOMAS, *Expos. Salut. Angel.*, ed. Rossi, Piacenza, 1931, p. 33.

Virginem ab Angelo Gabriele sublimissimam Matris Dei dignitatem ei nuntiante, ipsius Dei nomine et iussu gratia plenam fuisse, docuerunt: hac singulari solempnique salutatione numquam alias audita ostendi: Deiparam fuisse *omnium divinarum gratiarum sedem*, omnibusque divini Spiritus charismatibus exornatam, immo eorundem charismatum *infinitem* prope thesaurum abyssumque inexhaustum, *adeo ut numquam maledicto obnoxia*, et una cum Filio suo *perpetuae benedictionis particeps* ab Elisabeth divino acta Spiritu audire meruerit: benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui ».

Quibus positis, sic arguimus: 1) B. Virgo salutatur « gratia plena », seu habens (iuxta interpretationem Patrum et Scriptorum), omnium charismatum Spiritus Sancti « infinitum prope thesaurum abyssumque inexhaustum ». Iamvero, iste infinitus prope thesaurus omnium charismatum B. Virginem eximere debebat ab omnibus illis *miseriis* quas secum traxit culpa (plenitudini gratiae opposita) inter quas non ultima certe est mors et consequens corruptio sepulcri. Iure ergo Alexander III ex verbis « gratia plena » arguebat: « Maria concepit sine pudore, peperit sine dolore, et hinc migravit sine corruptione, iuxta verbum Angeli, imo Dei per Angelum, ut plena, non semiplena gratiae probaretur » (*Ep. ad Soldanum Iconii*, apud MANSI, *Conc. collectio*, t. 21, c. 898).

2) B. Virgo ab Angelo et ab Elisabeth salutatur: « benedicta inter mulieres », seu iuxta traditionalem interpretationem Patrum et Scriptorum, « *numquam maledicto obnoxia*, et una cum Filio suo *perpetuae benedictionis particeps* », seu benedicta benedictione opposita communi maledictioni culpae originalis. Iamvero, maledictio ista, omnibus, viris et mulieribus communis, triplex est: nempe, *culpae, concupiscentiae et mortis*. Ergo, quemadmodum Deipara Virgo ita benedicta salutatur ut effugerit maledictum culpae et concupiscentiae, ita et mortis.

Hinc S. Thomas inquit: « Tres enim maledictiones datae sunt hominibus propter peccatum... Tertia fuit communis viris et mulieribus, scilicet ut in pulverem reverterentur. Et ab hac immunis fuit Beata Virgo, quia cum corpore ascendit in coelum. Credimus enim, quod post mortem resuscitata fuerit et portata in coelum. Ps. 131, 8: Surge, Domine, in requiem tuam tu et arca sanctificationis tuae. Sic ergo immunis fuit ab omni maledictione. et ideo benedicta in mulieribus » (*Expos. salut. Angelicae*).

Etiam haec illatio, ut patet, *immediata* videtur, quamvis argumentum non sit *mere* scripturisticum.

Iuxta S. Scripturam, mors et praesertim impolverizatio est poena peccati: « morte morieris » (Gen., 3, 14-17). Atqui B. Virgo immunis fuit a peccato. Ergo... ¹

¹ Patres et Scriptores qui Assumptionem arguunt ex eo quod B. Virgo fuit immunis a macula peccati originalis seu *immaculata*, sunt: S. IOANNES DAMASCENUS, PG 97, 716; PETRUS CELL., PL 202, 850; S. BERNARDINUS SEN., *De Assumpt.*, a. 3, cap. 1; S. ROBERTUS BELLARMINO, *Concilio* 40; THEODORUS STUDITA, PG 99, 724; IOANNES MAUROP., PG 120, 1098; SUAREZ, *De Incarn.*, p. II, disp. 20, sect. 2.

Ad mai... Etenim, mors corporis cum morte animae ita intime in praesenti ordine connectitur, ut una sit alterius sequela. Legitur enim: « Quia fecisti hoc... et *quia* audisti vocem uxoris tuae (en culpa) maledicta terra in opere tuo » (en poena) (Gen. 3, 14-17). Et S. Paulus: « *omnes* moriuntur *eo quod* (i. e. praecise quia) *omnes* peccaverunt... per unum hominem peccatum intravit in hunc mundum et per peccatum mors (consequentia culpa), et ita in *omnes* homines mors pertransiit (en universalis poenae applicatio) in quo (eo quod) *omnes* peccaverunt » (Rom., 5, 12). Mors ergo est poena, et solum poena peccati. Sed B. Virgo immunis fuit a culpa. Ergo... Ita S. Ioannes Damascenus: « Maria, quia immunis a labe originali et a maledictione, non debet a morte devorari nec invadi a corruptione ». Et concludit: « Quo modo, o immaculata, morti obnoxia efficieris? » (*De dormitione B. M. V.*, PG 96, c. 719, 734). Ita etiam alii Patres, pro quibus mors in Maria illegalis omnino fuisset, utpote Immaculata.

2. Nuper P. Bover (art. cit.) demonstravit assumptionem corpoream Deiparae implicite contineri etiam in *Epistola I ad Corinthios* (15, 20-22). Ibi enim Maria implicite exhibetur tamquam primitiae resurgentium (una cum Christo). Scribit enim Apostolus:

« Nunc autem Christus resurrexit a mortuis
 primitiae dormientium,
 quoniam quidem *per hominem mors*
 et *per hominem resurrectio mortuorum*.
 Et sicut *in Adam* omnes moriuntur
 ita et *in Christo* omnes vivificabuntur.
 Unusquisque autem in suo ordine:
 primitiae Christus, deinde qui sunt Christi ».

In verbis istis Apostolus: 1) enuntiat thesim, 2) argumenta ad illam probandam adducit, 3) consequentiam deducit.

1) Apostolus, imprimis, enuntiat thesim (v. 20), id est: « Christus resurrexit a mortuis (tamquam) primitiae dormientium ». Haec thesis, prout apparet etiam ex consequentia cum qua identificatur, duabus assertionibus aequivalet, videlicet: a) resurrectio Christi resurrectionem omnium mortuorum exigit et determinat; b) resurrectio Christi et aliorum mortuorum ad eundem ordinem non pertinent: ad Christum enim (utpote causa resurrectionis aliorum) pertinent *primitiae* seu prioritas privilegiata in resurrectione; ad alios vero pertinet resurrectio in fine mundi, seu in secundo Christi adventu.

2) Ad praedictam thesim probandam, Apostolus enuntiat principium, uti aiunt, *recirculationis* (Christus Adae oppositus) videlicet: *unus homo* (Adam) caput morale generis humani praevaricatoris, fuit agens seu instrumentum mortis omnium hominum; et *unus homo* (Christus, novus Adam) primo oppositus, no-

vum humanitatis regeneratae caput morale, fuit agens seu instrumentum vitae omnium hominum.

Hoc posito, in versiculo sequenti (22), Apostolus explicat mysterium mortis nostrae (in Adam et ratione Adae) et mysterium nostrae resurrectionis (in Christo et ratione Christi). Dicit enim: « Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur ». Iamvero, ad hoc ut omnes in Adam moriantur, necesse est ut omnes in Adam inclusi ac veluti recapitulati inveniantur et cum ipso unicam personam moralem constituent. Pariter: ad hoc ut omnes resurgant in Christo, necesse est ut omnes in ipso inclusi ac veluti recapitulati sint et cum ipso unicam personam moralem constituent. Datur ergo vera et evidens solidaritas inter omnes homines et primum Adam (relate ad mortem) nec non inter omnes homines et secundum Adam seu Christum (relate ad vitam seu resurrectionem). Haec nostra solidaritas cum Adamo et cum Christo ratione communis naturae humanae, nobis explicat quomodo per unum hominem (Adam) omnes moriantur, et quomodo per unum hominem (Christus) omnes vivificentur: quia omnes inclusi eramus in Adam (capite morali humanitatis praevaricatricis) et in Christo, novo Adamo (capite morali humanitatis redemptae).

3) Thesi enuntiata et probationibus allatis, Apostolus ad conclusionem pertransit (v. 23) seu ad universalem resurrectionem sive Christi sive illorum qui sunt Christi (seu membra Christi capitis humanitatis redemptae). Duplex iste resurgentium classis (Christus et illi qui sunt Christi) non resurgunt eodem ordine: Christus enim *cito* resurgit, tamquam primitiae messis, resurrectione privilegiata; alii vero (qui sunt Christi membra) resurgent in fine mundi, resurrectione communi, tamquam reliquum messis. Huius rei ratio patet: si enim Christus est agens seu principium activum resurrectionis omnium, primum est resurrectionem eius esse privilegiatam et resurrectionem communem aliorum praecedere, iuxta illud Philosophi: « primum in aliquo ordine est causa omnium illorum qui sunt in illo ordine ». Christus enim est caput (pars vivificans, activa) et alii omnes sunt membra eius (pars vivificata, passiva). Relate igitur ad ordinem resurgentium, duplex veluti classis — iuxta Apostolum — habetur, videlicet: classis primitiarum (Christus) et classis reliquae messis (omnes alii qui sunt Christi).

Hoc posito quaeritur: Cuiam classi adscribi debet B. Virgo? Classi primitiarum (seu Christi) an classi reliquae messis (seu omnium aliorum)? Ipsemet Apostolus principia nobis exhibet ad hanc quaestionem solvendam. Ad probandum enim quod Christus ad classem primitiarum pertinet, utitur — ut vidimus — *principio recirculationis* in *principio solidaritatis* fundato. Iamvero, argumentum ab Apostolo allatum, si valet pro Christo (primario) valet etiam pro Maria (secundario). Vi enim principii recirculationis, ordo reparationis seu vitae correspondet — parallelismo antithetico — ordini praevaricationis seu mortis.

Huiusmodi recirculationis principium deducitur ab Apostolo ex Genesi 3, 15, seu, ex verbis a Deo ad serpentem directis: « *Quia* fecisti hoc... inimicitias ponam

inter te et mulierem, semen tuum et semen illius: ipsa (ipsum) conteret caput tuum et tu insidiaberis calcaneo eius ». Aliis verbis: « quia tu, o serpens, genus humanum per hominem et mulierem (Adam et Evam) perdidisti, ego illud per alium virum et per aliam mulierem (Christum et Mariam) salvabo ». S. Paulus explicite partem hominis tantummodo (partem primariam) memorat. Pars vero mulieris, e contra (illam ex Protoevangelio deducendo) explicite memoratur ab Auctore inspirato Ecclesiastici dicente: « A muliere initium factum est peccati, et per illam omnes morimur » (25, 33). Unientes igitur expositionem Apostoli cum expositione Ecclesiastici, plena habetur expositio narrationis genesiacaе, videlicet: « Sicut per unum hominem et unam mulierem (Adam et Eva) mors, ita per unum hominem et per unam mulierem (Christus et Maria, novus Adam et nova Eva) vita. Iamvero, si Christus, ratione huius principii, ad *primitiarum* classem pertinet, etiam Maria, vi eiusdem principii (seu, quia causa secundaria vitae, una cum Christo causa primaria) ad *primitiarum* classem pertinere debet. Etiam Maria igitur privilegio anticipatae resurrectionis gaudere debuit, quin attendere debuerit, sicut alii, finem mundi, seu secundum Christi adventum.

Paucis: qui ad categoriam primitiarum resurgentium pertinet, privilegio anticipatae resurrectionis gaudet. Atqui B. Virgo Immaculata una cum Christo, vi principii recirculationis, ad categoriam primitiarum resurgentium pertinet. Ergo... Propositio maior et minor sunt de fide, cum sint explicite in S. Scriptura contentae. Consequenter, etiam conclusio (anticipata resurrectio Mariae) dicenda est de fide, seu formaliter implicite in S. Scriptura contenta.

3. EX APOCALYPSI (c. XII). In universo hoc capite S. Ioannes bellum inferni describit contra Dei Ecclesiam sub symbolo Draconis infernalis contra mulierem mysteriis plenam. Bellum hoc tribus veluti partibus consecutivis evolvitur, videlicet:

1) *in prima parte* (vv. 4-5) Draco devorare quaerit filium Mulieris vix natum; attamen, filius iste « raptus est... ad Deum et ad thronum eius »;

2) *in secunda parte* (vv. 6-14-15): Draco delusus, iram suam contra Mulierem dirigit, quae, mysteriose a Deo sustentata, « volat in desertum in locum suum », « in solitudinem ubi habebat locum paratum a Deo » (v. 6), et ita Draconis persecutionem effugit;

3) *in tertia parte* (v. 17), Draco, cum videret esse inanem iram suam contra Mulierem, « abiit facere proelium cum reliquis de semine eius » id est, cum illis « qui custodiunt mandata Dei et habent testimonium Iesu Christi ».

Iamvero, Mulier illa est, evidenter, B. Virgo non vero Ecclesia.¹ Etenim:

1) dicitur mater eius qui recturus est nationes in virga ferrea (Ps. 2) i. e. Christi, et Ecclesia Mater Christi nullimode dici potest;

¹ Cfr BONNEFOY I. F., O. F. M., *Les interprétations ecclésiologiques du ch. XII de l'Apoc.*, in *Marianum*, 9 (1947) 208-222.

2) Mulier illa, insuper, aperte distinguitur a «reliquis de semine eius» qui luctare debent cum diabolo, seu ab Ecclesia militante;

3) Mulier illa fugit et remanet longe a facie Draconis: quod de Ecclesia militante nullimode dici potest. Mulier illa igitur est Maria.

Hoc posito, in fuga illa misteriosa Mulieris, seu Matris Christi, in solitudinem, in «locum paratum a Deo» in quo subtrahitur omnino a persecutionibus Draconis, sat evidens allusio haberi videtur ad gloriosam Deiparae assumptionem.¹ Quod autem assumptio illa fuerit non solum animae sed etiam corporis, sat aperte insinuatur ex hoc quod Mulier illa praesentatur in caelo tamquam humana quaedam persona, in corpore et anima (nominantur enim caput, pedes) tamquam caeli terraeque regina, prout aperte asserit Pius X in Encyclica *Ad diem illum*: «Vidit igitur Iohannes Sanctissimam Dei Matrem aeterna jam beatitudine fruentem». Sed opponitur: «Nescimus utrum visio contempletur a Iohanne in caelo Beatorum an potius in firmamento quod oculis apparet, eo vel magis quod etiam *Draco* visus fuit *in caelo* et ex caelo in terram praecipitatus fuit; praesertim vero nescimus utrum Mulier contempletur in suo corpore glorificato, an representatio sit pure symbolica sicut representatio Angelorum quae Videnti sub humanis formis iugiter praesentatur».²

At duplex haec ratio contra interpretationem a nobis propositam non videtur solida. Etenim:

1) Quod *caelum* in quo Mulier a S. Ioanne contemplatur sit *caelum Beatorum*, non vero coelum *sidereum*, ex hoc patet quod S. Ioannes, in versiculo immediate praecedenti (c. 11, v. 19) vidit aperiri «templum Dei in caelo: et visa est arca testamenti in templo eius»: quod de caelo beatorum sat evidenter dici videtur, cum propriam Dei sedem significet. Certe, in versiculo 3, ubi Draco etiam apparet, agitur de caelo *sidereo*,³ eo quod agitur de alia apparitione, seu de Muliere illa quae est mater nedum Christi sed etiam membrorum eius, in quo-

¹ Eo vel magis quod in versiculo immediate praecedenti (cum quo subsequens coniungendus videtur) sermo est de arca testamenti, et ideò a symbolo ad realitatem fit transitus: «Et apertum est templum Dei in caelo: et visa est *arca testamenti* eius in templo eius» (Apoc. 11, 19). «Quae profecto arca = ait ps.-Ildephonsus = non illa Moysi fabricata, sed B. V. Maria est, quae hinc iam transposita erat, quam B. Iohannes evangelista, testis veritatis, cui commissa est, forte recognoscens venerabiliter affatur, quia in caelo visa est» (*Serm. I de Assumpti.*, PL 96, 250). Psalmum 131, 8 (ubi dicitur: «Surge Domine in requiem tuam, tu et *arca sanctificationis tuae*») cum Apoc. 11, 19 contulerunt GUILLELMUS ALVERNUS († 1249), *Serm. I de Assumpti.* (ap. Jugie, o. c., p. 381), SUAREZ (In III P. S. Th., q. 37, a. 4, sect. 2, op. 17, Lugduni, 1614, p. 199), SCHEEBEN (Handbuch der Kathol. Dogmatik, III (1882) p. 582 s.) etc. Notetur quod *arca* est B. Virgo nedum quoad animam sed etiam quoad corpus: ergo in corpore et anima in caelo a S. Ioanne conspicitur.

² Ita P. Da Fonseca, l. c., p. 338.

³ Bene notetur quod secundum signum (de Dracone) est *oppositum* primo (de Muliere). Apparitio prioris signi, est causa odii et luctae ex parte Satanae et Angelorum malorum.

rum parturitione «clamat et cruciatur», iuxta rationabilem interpretationem a Pio X data in Encyclica *Ad diem illum*: «Vidit igitur Iohannes sanctissimam Dei Matrem aeterna iam beatitate fruente[m], et tamen ex arcano quodam partu laborantem. Quonam autem partu? Nostrum plane, qui exilio adhuc detenti, ad perfectam Dei caritatem sempiternamque felicitatem gignendi adhuc sumus. Parentis vero labor studium atque amorem indicat, quo Virgo, in caelesti sede, vigilat assiduaque prece contendit ut electorum numerus impleatur». Dum ergo in v. 1, B. Virgo gloriosa in caelo exhibetur, tamquam mater physica Christi physici, in v. 2 et 3, e contra, exhibetur fere dolorosa et laboriosa in terra, tamquam mater mystica Christi mystici, seu Ecclesiae, mystici corporis Christi. Sub duplici itaque respectu Mulier illa consideratur, videlicet: tamquam Mater Christi physici (et tunc apparet glorificata in caelo) et tamquam Mater Christi mystici (et tunc apparet laboriosa in caelo sidereo, seu in terra). Causa vero huius luctae terrenae inter Draconem et Mulierem cum semine eius sive physico sive mystico, videtur esse lucta illa in coelo sidereo (in vv. 7-9) a S. Ioanne descripta, in qua angelis adhuc *viatoribus*, in initio mundi — prout plerique theologi iure tenent¹ — mysterium Verbi Incarnati et Matris eius adorandum propositum fuit;² cum vero Draco una «cum tertia parte stellarum» seu angelorum adorationem huiusmodi repudiasset, «Draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus... proiectus est in terram, et angeli eius cum illo missi sunt». Ex hac clade ira diaboli et sectatorum eius, in terra, contra mulierem eiusque semen, seu, contra Christum, prius, et postea contra christianos seu membra mystica eius. Nil mirum igitur si Draco — sicut Mulier — appareat in caelo, cum ex contextu appareat *caelum* diversa omnino significatione accipi debere in 1 versiculo (sicut in ultimo v. capitis praecedentis) et in 3 versiculo.

2) Relate vero ad ea quae obiciuntur contra *corpoream* repraesentationem Mulieris, ex eo quod etiam angeli sub humanis formis a S. Ioanne repraesentantur, dicendum est *paritatem non adesse*. Id enim quod de angelis dicitur, *necessario* metaphorice accipiendum est, cum angeli puri spiritus sint, absque corpore; id vero quod de Muliere illa dicitur, seu de Matre Christi totalis, id est, sive physici sive mystici, non necessario, saltem, sumi debet metaphorice dictum.

Interpretationem hanc *assumptionisticam* textus apocalyptici, iam saec. IV S. Epiphanius *possibilem* indicaverat: «Cum Apocalypsis Ioannis pronuntiat “properavit Draco adversus mulierem quae mare[m] pepererat, et datae sunt ei pennae aquilae et translata est in desertum, ne eam draco comprehenderet, hoc in illa forte potest impleri». (Haer. 78, 11, PG 42, 715 s). Si vero ab aliis Patri-

¹ Cfr RISI F. M., Sul motivo primario della Incarnazione del Verbo, Roma, 1898, t. 4, pp. 117, 141-144.

² Evidens videtur parallelismus inter «Signum magnum» (Apoc. 12, 1) et «Sacramentum magnum quod apparuit Angelis» (I Tim. 3, 16).

bus interpretatio haec assumptionistica data non fuit, hoctribuendum videtur intimae persuasioni quae in Muliere illa apocalyptica *Ecclesiam* potius quam Mariam videbat. Non defuerunt tamen qui in cap. 12 Apocalypsis assumptionem corpoream viderunt.¹ Nostris autem diebus assumptionistica interpretatio a Pio X, ut vidimus, tradita est.²

Videtur itaque argumentum hoc soliditate quadam gaudere.³

III. Probatur ex traditione.

Quadruplex stadium distingui potest, videlicet: I) Quinque priora saecula; II) a saec. VI ad saec. X; III) a saec. X ad saec. XVI; IV) a saec. XVI ad saec. XX.

I) In quinque prioribus saeculis indicia et *vestigia quaedam*, plus minusve evidentialia, Traditionis *explicitae* inveniuntur.

1) SAEC. II, iuxta quosdam criticos, habemus librum de *Transitu Virginis* a quodam Leucio Enkratita conscriptum, in quo inveniuntur haereses de SS. Trinitate et de constitutione mundi.

2) Medio saec. IV (prout apparet ex indiciis internis) Ps. Melito, auctor catholicus, in apocrypho *Transitus B. M. V.* testatur catholicorum fidem relate ad mortem et assumptionem Deiparae (cfr TISCHENDORF, *Apoc. Apocryphae*, Lipsiae 1866, pp. 134 s.).⁴

¹ Isti sunt: S. THOMAS A VILLANOVA (Conc. I in Assumpt.), Cyrillus Lucaris († 1638), *Homil in Dormit.* (Ap. Mansi, Amplissima Collectio Conciliorum, 24, 1675 s.), A LAPIDE (In Apoc. cap. XII, v. 14), BUSELLI (o. c., pp. 101 ss.), VACCARI AL. (o. c., pp. 372 ss.), IANSENS L. (*Summa Theol.*, Friburgi Br. 1902, t. 5, pp. 945 s.); RENAUDIN (o. c., pp. 160 s.), MATTIUSI (*L'Assunzione corporea della Madre di Dio*, Milano, 1924, p. 171), WIEDERKEHR (o. c., p. 144), CROSTA (o. c., ed. 3, pp. 240 s.), LANA qui scribit: « Ma fra tutte le testimonianze bibliche si dell'antico che del nuovo Testamento quella che più da vicino allude, e da cui più chiaramente si argomenta la Resurrezione e corporea glorificazione della S. Vergine. si a causa di chi scrisse, come dell'immagine che ci presenta, ed i concetti con cui venne descritta, si è la misteriosa donna dell'Apocalisse... » (o. c., pp. 171 s.). Busnelli ait: « a me sembrano indubitati ed evidenti in pro della mia tesi » (o. c., p. 102).

Novissime argumentum hoc fuse pertractavit P. JUGIE, o. c., 14, 21 ss.

² Verum quidem est Pium X asserere tantummodo Ioannem vidisse B. Virginem « aeterna iam beatitate fruente », nihil vero de beatitate corporis; at Pius X id evidenter supponit, cum contra mentem eius omnino sit dicere ipsum docere velle incompletam « beatitatem » Deiparae seu beatitudinem solius animae.

³ Ipsemet Coppens scribere non dubitavit: « La connotation de Marie ne manque pas de tout fondement, et, dans ces conditions, nous aurions dans *Apoc.*, XII, 1-2, le premier vestige d'une foi très ancienne, primitive, en la glorification céleste de la mère du Messie » (l. c. p. 19).

⁴ Liber iste condemnatus fuit tamquam apocryphus in celebri Decreto Gelasiano. In capite enim quinto huius Decreti haec leguntur: « Cetera quae ab haereticis sive schismaticis conscripta vel praedicata sunt, nullatenus recipit catholica et apostolica Romana Ecclesia; e

Quamvis libri apocryphi sint suspectae aut incertae originis et fabulis scaeteant, tamen, documentum aliquod constituere possunt fidei illius aetatis in qua scripti fuerunt, si distinguatur inter substantiam et circumstantias facti. Immerito, igitur, ultra limites deprimuntur. Iure cl. Cabrol asserit quod Apocrypha « ont une valeur sérieuse au point de vue historique » (*Dict. Arch. Chrét.*, t. I, col. 2997). Presumi ergo potest apocryphorum scriptores substantiam saltem suarum narrationum (in casu nostro, *factum Assumptionis*) ex traditione et ex sensu Ecclesiae hausisse, illamque circumstantiis fabulosis adornasse; secus ipsorum libri omni prorsus successu inter fideles caruissent. « Tantum vero abest — iure animadvertit Mattiussi — quod ex apocryphis fides originem duxerit, ut prorsus contrarie et apocrypha ipsa fidem supponant »¹ (opusc. *Utrum corp. Virg. Assumpt. ad fid. cath. depositum spectat*).

3) SAEC. pariter IV, S. EPHRAEM, de incorruptione corporis virginei post mortem explicite loquitur: « Muore, ma i segni verginali non sono disciolti » (RICCIOTTI, *Gli inni alla Vergine*, p. 62).²

S. AMBROSIUS († 379) asserit quod si Maria prae dolore in Golgotha mortua fuisset cum Christo, statim cum ipso resurrexisset (*De instit. Virginis*, c. 7, n. 49, PL 16, 233).³

quibus pauca, quae ad memoriam venerunt et a catholicis vitanda sunt, credidimus esse subdenda ». Inter huiusmodi scripta enumeratur « Liber qui appellatur Transitus sanctae Mariae, apocryphus ». Sunt qui putant hoc decretum causam fuisse, cur aliqui, reiciendo hunc librum, de ipso etiam facto corporeae assumptionis Beatae Virginis in caelum dubitaverint. At immerito. Etenim, ex eo quod liber respuitur ut falso Melitoni tributus, et etiam quia fabulosa continent, substantia facti Assumptionis minime negatur.

¹ Cum Assumptio B. Virginis in Apocryphis primum narretur, frustra quis exinde deduceret persuasionem Ecclesiae ex narrationibus apocryphorum *unice* ortam esse. « Huiusmodi enim narrationes — prout animadvertit LENNERZ — plerumque iam supponunt veritatem aliquam fundamentalem, quam ulterius variis narrationibus ficticiis exornant; ulterius ergo quaerendum manet, unde illam veritatem compositores narrationis hauserint. Quod si non assumitur, explicandum manet, cur Ecclesia ex his libris praecise illam solam veritatem universaliter receperit, et non reliquas, quae in eiusdem libris narrantur.

Si consideratur denique modus, quo Ecclesia erga tales libros apocryphos se habuit, non iam videtur ulla vera probabilitas, persuasionem Ecclesiae de corporea assumptione B. Virginis *unice* in his narrationibus fundari » (l. c., p. 105).

² Hoc tamen et similibus textibus qui *de incorruptione* corporis Deiparae agunt, Assumptio non probatur. Innuunt tamen Deiparae corpus resurrexisse.

³ Recolantur animadversiones cl. CAMPANA: « Egli (Ambrogio) ha delle espressioni dalle quali forse si può fare di lui, a fil di logica, un assertore dell'Assunzione. S. Ambrogio pensa che se Maria fosse morta sul Calvario insieme col Figlio, sarebbe poi anche risorta insieme con Lui. Analizzando infatti i sentimenti che Ella provava ai piedi della Croce, scrive di Lei: — se stava lì per morire insieme col Figlio, *sperava pure di risorgere con Lui*, conscia del mistero di aver generato quello che sarebbe risorto da morte. Mater se persecutoribus offerebat... sin vero ut cum Filio moretur, cum eodem gestiebat resurgere, non ignara mysterii, quod genuisset

S. GREGORIUS NYSSENUS († c. 394), in capite 13 libri *De Virginitate*, postquam dixit virginitatem, utpote procreatione carentem, morti victimas subtrahere, scribit: « Neque enim fieri poterat, ut hominum genere a nuptiis procreato, mors unquam cessasset, sed superiores omnes hominum aetates praetergressa, cum his etiam, qui hanc vitam ingrediuntur, simul iam illa percurrans, virginitatem muneris sui terminum invenit, quem porro transilire difficile est: tamquam Dei Matris Mariae tempore ab Adamo, usque ad eam, regnum mors obtinuerit: *posteaque sola efficit, ut cum tamquam ad lapidem aliquem virginitatis fructum mors offenderit, in ea contrita sit* » (PG 46, 377 C D).

« La construction de la phrase — animadvertit P. Jugie — indique sans doute que le principal triomphateur c'est le Fils; mais incontestablement la Mère est associée à ce triomphe... Si Marie, après être morte, a triomphé de la mort, au point qu'on puisse dire que celle-ci s'est brisée contre elle, c'est donc qu'elle est ressuscitée » (in *Echos d'Orient*, 25 [1926], p. 131).¹

4) SAEC. V: S. EPIPHANIUS: « Etenim sive mortua est Virgo Sanctissima ac sepulta, summo cum splendore coniuncta mors illius est et castissimus exitus, ac virginitatis ei corona concessa; sive interfecta, ut indicare Scriptura videtur his verbis: et ipsius animam penetrabit gladius (Luc., 11, 34), gloriam martyres inter ac decus obtinet, et sacrum illius corpus omni felicitate cumulatam est per quam mundo lumen illuxit. Potest denique et in vita mansisse. Potest enim Deus quidquid libuerit efficere; nam de illius exitu nihil certo constat » (*Adv. haer.*, PG 42, 176 A B C). Et alibi: « Quomodo non *possidebit*² Maria Sancta *cum carne* regnum caelorum, quae non scortata est, non petulans fuit, non adulterium commisit, non flagitiorum carnis opus penetravit, sed impolluta permansit? Non igitur de carne dicit (Apostolus) quod non possideat regnum coelorum, sed de carnalibus hominibus, qui mala per carnem faciunt; quae sane sunt scortatio, simulacrorum cultus, et his similia. Et penitus confutata est fraus tua, erronee Marcion, quem veritas undequaque praeverterit etc. » (ibid., l. 1, *Haer.* 42, PG 41, 777 B).

resurrecturum (*De Inst. virg.*, c. 7). E posto che nel pensiero di S. Ambrogio Maria avesse appunto morendo sul Calvario il diritto ad una pronta ed immediata risurrezione, con qual fondamento credere che il Santo Dottore abbia ritenuto che un tal diritto fosse andato perendo negli anni ch'Ella visse superstita al Figlio? Ad ogni modo abbiamo qui, fornitaci dal Dottore Milanese, una buona ragione di convenienza per l'Assunzione. Maria doveva risorgere, perchè Madre del Resurretturo! » (*Maria nel Dogma*, p. 844, ed. 4).

¹ P. Cavallera, e contra (in *Bull. Littér. Eccl.*, 27 [1926] p. 108), cui adhaeret P. Sibum (in *Rév. Apolog.*, 32 [1936], p. 438) interpretatur verba Nysseni de triumpho Mariae supra mortem per suam conceptionem virginalem.

² Illud *possidebit* (futurum) oratorio modo dici videtur, prout ex interrogatione oratoria apparet. Frustra igitur scripsisse videtur NIESSEN: « Ein leibliches Fortleben Marias im Himmel ist ihn gänzlich unbekannt » (*Die Mariol. d. h. Hier.*, p. 224, in nota).

TIMOTHEUS HIEROSOLYMITANUS (ante a. 431?),¹ explicite asserit quod Ille qui in B. Virgine habitaverat, ipsam ἐν τοῖς ἀναληψίμοις χωρίοις (PG 86, 245 CD) i. e. « in loca assumptionis » seu in paradisum caelestem transtulit. In contextu enim sermo est de martyrio, et ideo non de anima Virginis, sed de eius corpore agitur. Habemus ergo clarum Assumptionis corporeae testimonium. Haec autem doctrina proponebatur populo publice, non ut nova, sed ut omnibus nota.

In opere syriaco *Obsequia B. Virginis*, edito Londini a. 1865 a Wright (*Contributions of the apocryphal Literature*, pp. 42-51, 55-65, 11-16), testimonium de Assumptione invenitur in initio saec. v, ante Conc. Ephesinum.²

Medio saeculo v, festum *memoriae* B. M. Virginis iam erat festum mortis et assumptionis eiusdem, saltem in Syria, prout colligitur ex fragmento Wrightiano iam laudato et praesertim ex homilia metrica Iacobi de Sarug (451-521) quae pro festo Dormitionis Mariae composita manifeste apparet ex verbis « Hoc die » undecies repetitis.³

Circa silentium relativum quinque priorum saeculorum, haec animadvertenda sunt: 1. scripta Patrum quorum quaedam interierunt, non constituunt unicum divinae traditionis medium. Habetur enim etiam magisterium vivum ecclesiasticum, et ideo scripta non erant, praesertim tunc, absolute necessaria. Eo vel magis quod in primis Ecclesiae saeculis, ob persecutiones, non tam facile scripta evulgari poterant, et illa quae evulgabantur Incarnationem Verbi potius respiciebant.

2. Forsan, silentium circa Virginis Assumptionem erat tunc valde opportunum, ob periculum deificandi B. Virginem, quod in idololatriis recenter ad fidem conversis, et ad creaturas deificandas valde pronis, adesse poterat. Aderat enim tunc *lex arcani* (cfr CROSTA, o. c., pp. 329-334).

¹ De aetate in qua vixit Timotheus non conveniunt auctores. Quidam enim tenent illum vixisse saec. iv, quidam vero saec. vi. Nuper tamen P. Jugie probavit ipsum ante Concilium Ephesinum vixisse (art. cit., p. 287).

² Iuxta TILLEMONT (*Memoires*, I, 477 ss.) verisimiliter Assumptio celebratur in sermonibus S. Cyrilli Alex. (431) et S. Procli (a. 429).

³ BEDJAU P., S. Martyrii, qui et Sahdona, quae supersunt omnia, syriace. Accedunt homiliae Mar Iacobi in Iesum et Mariam, siriace, Leipzig, 1902, pp. 709-719. Frustra, prout demonstravit P. Faller (o. c., pp. 20 s.), P. Jugie conatus est demonstrare testimonium Iacobi de Sarug, (de cuius authenticitate absque solida ratione dubitat) non esse carmen *liturgicum* et ideo Dormitionis festum minime supponere (o. c., pp. 83 s.).

A. Dufourcq, in op. *Comment s'éveilla la foi à l'Immaculée Conception et à l'Assomption aux V. et VI. siècles* (Coll. Etudes de Science Religieuse, IV, Paris, Ed. franciscaines, 1946, 48 pp.) putat quod controversia pelagiana suscitaverit in conscientia christiana quod immaculata conceptio (« que l'hérésie concevait comme une loi générale de l'humaine condition » p. 38) recognosci debebat in B. Virgine ratione privilegii. Hac eadem ratione apparere coepit quod mors, poena peccati originalis, imperium suum super illam amittebat.

3. Non poterat dogma marianum, praesertim vero assumptio corporea quae in aliis veritatibus fundamentalibus marianis innitur, Patrum attentionem ad se convertere antequam fundamentalia dogmata religionis christianae (qualia sunt dogma trinitarium et dogma christologicum) omni ex parte declarata et vindicata fuissent: quod circa finem saeculi IV solummodo fieri coepit. Nemo tamen ex Patribus assumptionem corpoream negavit.

4. Non desunt in prioribus saeculis apud Patres principia quaedam mario-logica explicita in quibus assumptio corporea *implicite* continetur, et ex quibus postea Damascenus ipsam deducet. Haec autem principia — iuxta P. Faller, (o. c., pp. 77-130) — sunt sequentia:

a) *Principium Recapitulationis* seu Eva-Maria (enunciatum saec. II a S. Iustino et a S. Irenaeo; saec. III a Tertulliano, Origene et Gregorio Thaumaturgo; saec. IV a SS. Epiphanio, Ambrosio, Hieronymo, Augustino, Gregorio Nysseno, Cyrillo Hierosol. et Ephraem). Ex hoc principio deducitur quod « Maria, gratia plena, benedicta in mulieribus, Evae nondum lapsae recapitulatio, ab omni integra labe peccati, nec poenae peccati succumbit, morti scilicet in pulverem redigenti (Gen. 3, 19). Ergo cum corpore in caelum translata est, resurrectione praesumpta » (l. c., p. XI).

b) *Principia maternitatis mysterii plenae, ac Virginitatis mirificae* (enunciata saec. II a SS. Ignatio, Iustino, Irenaeo; saec. III a Tertulliano, Origene, Hippolyto et Greg. Thaum.; saec. IV a SS. Epiphanio et Ambrosio; saec. V a SS. Hieronymo et Augustino). Ex principiis istis deducitur sanctissimum corpus Deiparae altissimis mysteriis fuisse consecratum et ideo imperio mortis et corruptionis minime subiectum.

c) *Principia unitatis perfectae Matris cum Filio, et honoris a Filio Matri tributi* (explicitate enunciata, saec. IV a SS. Epiphanio et Ambrosio). Positis huiusmodi principiis ita arguitur: « Filius Dei, humana natura ex Mariae carne assumpta, ineffabili unitate cum Matre coniunctus, Matris honorem tutatus, cum legem a se latam, honorandi matrem, Ipse impleat (explicitate revelatum: Mat. h. 5, 17; Luc. 2, 51; Ioan. 19, 26 s.). Iam vero corruptio in morte non est honor, sed pars condemnationis ob peccatum originale (explicitate revelatum: Gen. 3, 19). Ergo Filius Dei et Mariae non permisit corruptionem Matris in morte (implicitate revelatum) » (l. c., p. XI s.). Ex principiis istis Damascenus et Patres eiusdem temporis Assumptionem corpoream Deiparae deduxerunt. Implicitate ergo et obiective veritas ista in principiis illis continebatur, quamvis subiective nondum inspiciebatur.

II) A saec. VI ad saec. X.

A) In Ecclesia Orientali.

1) SAECULO VI: Iuxta P. Faller « iam *secunda parte saeculi sexti* plena et explicita fides Assumptionis adest » (o. c. p. VII). Assertio ista ex iam dictis patet.

Addi potest testimonium THEODOSII Patriarchae Alexandrini (567), testis Ecclesiae Coptae, iuxta quem B. Virgo 206 diebus post mortem resurrexisset.¹ Et haec doctrina in Ecclesia Copta semper viguit, usque ad dies nostros, prout ex Synaxariis eius apparet.²

Etiam in Synaxario Aethiopico (quod est testis Ecclesiae Aethiopicae) sermo est de assumptione corporea proprie dicta B. M. Virginis.³

2) SAEC. VII: S. MODESTUS HIEROSOLYMITANUS († 614):⁴ « In caelestem thalamum ingressa est illa, quae facta est gloriosissima Sponsa unionis hypostaticae duarum naturarum Christi veri Sponsi caelestis... Cum autem bene peregrisset vitae cursum Deifera rationalis navis, ad tranquillum suum appulit portum, simul et ad mundi gubernatorem: qui per ipsam ab impietatis et peccati diluvio servavit et vivificavit humanum genus. Qui in Sinai dedit legem, et ex Sion legem tulit ipse Deus noster, inde misit, qui ad se ferret suam arcam sanctificationis; de quo progenitor ipsius David cecinit dicens: Surge, Domine in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuae... (Ps. 131, 8). Ex hac enim perpetua Virgine Christus Deus, carne ex Spiritu Sancto indutus animata et mente praedita, illam elegit, et concorpore induit incorruptibilitate, ac supra modum glorificavit, ut sua esset heres, utpote sanctissima sua Mater; iuxta ea quae cecinit Psaltes: Astitit Regina a dextris tuis in vestitu deaurato circumamicta varietate... (Ps. 44, 9). Hodie rationale tabernaculum quo mirum in modum exceptus est in carne Deus et Dominus caeli et terrae, ab eo compositum est et consecratum: ut sit in aeternum incorruptibilitatis consors cum ipso ad fortem protectionem et salutem tutelamque omnium nostrum christianorum. O beatissima dormitio gloriosissimae Deiparae, post partum semper Virginis, quae corporis, quo vita continebatur, nullam passa est in sepulcro corruptionem. carnem servante, qui ex ea natus est, omnipotente Salvatore Christo. Propterea ut gloriosissima Mater Christi Salvatoris Dei nostri, qui vitae et immortalitatis largitor est, ab ipso vivificatur, consors cum eo incorruptibilitatis in omnia saecula, qui illam ex sepulcro excitavit, et apud se assumpsit, ut ipse solus novit » (*Encomium in dormitionem*

¹ Cfr CHAINE M., Le discours de Théodose, patriarche d'Alexandrie, sur la Dormition, in *Rev. de l'Orient chrétien*, 1933-1934, pp. 272-304.

² In actis Synodi Ecclesiae Coptae a. 1898 Cairi celebrati, legitur: « Tertium beatæ Mariae Virginis privilegium est quod iuxta universalis Ecclesiae traditionem, ea in caelum anima et corpore assumpta est... » (*Synodus alexandrina Coptorum*, Romæ 1893, pp. 24 s.). Alia duo privilegia sunt immaculata Conceptio et Virginitas perpetua.

³ Cfr *Le Synaxaire éthiopien* publié par IGNAZIO GUIDI, III, Mois de Nahasè et de Pâguemèn (versio S. GREBAUT, in *Patrol. orient.* t. 9, 1913; Lecture du 16 nahasè [22 augusti], pp. 335-339).

⁴ Cfr CARLI, L'« *Encomium in Dormitionem SS. Deiparae* » di S. Modesto di Gerusalemme, in *Marianum*, 2 (1940) 386-400. De authenticitate tamen huius homiliae iure dubitatur. Perinet tamen ad finem saeculi VII (cfr *Faller*, o. c., p. 9).

S. Dominae nostrae Deiparae semperque Virginis Mariae, PG 86, 3288-3293, 3312). Habemus hic primum testimonium explicitum in Oriente circa assumptionem. « Notandum est — animadvertit P. Lennerz — ex modo quo loquuntur (S. Gregorius et S. Modestus) apparere nullo modo eos velle novi quid proponere, sed rem tractant ut omnino notam, id quod traditionem in occidente et oriente existentem praesupponit » (o. c., p. 58).

In celebri HYMNO ACATISTICO, saec. VII (iuxta Pitra) composito, brevis et aperta assertio habetur assumptionis Deiparae (cfr PITRA, *Analecta Sacra Spicilegio Solesmensi parata*, t. 1, Parisiis, 1876, p. 269).

PSEUDO-ATHANASIUS, in Homilia in Annunciationem, explicitè profitetur corpoream Deiparae, Novae Evae, assumptionem, eademque ex reali concorporeitate quae inter Christum et Mariam habetur deducit. B. Virginem videt in Regina illa sedente ad dexteram Regis (Ps. 44, 10) circumdatam varietate, i. e. carne immortalis (PG 28, 937 A B).¹

HIPPOLYTUS TEBANUS (saec. VII-VIII) in suo *Chronicon*, loquitur de assumptione sive B. Virginis sive S. Ioannis Evangelistae, et utitur verbo ἀναληψις, id est, eodem termino quo Patres Graeci utuntur ad ascensionem Christi designandam: quod assumptionem corpoream sat evidentè exprimere videtur.²

PSEUDO-ATHANASIUS, in *Serm. in Annuntiat. Deiparae*, egregium testimonium habet de Assumptione (PG 28, 938).

3) SAEC. VIII: S. ANDREAS CRETENSIS († 720): « Quamobrem, etsi olim in ea consummata ac clara a nobis impraesentiarum fama celebrata nova videantur, ac naturae legibus superiora, merito tamen, nulloque negotio, spectata mirabili partus ratione, licuerit in eam referre. Ipsum itaque Verbum et praesens per id tempus fuit, ac lege mortis legem violari nesciam abolevit. *Erat ergo plane novum spectaculum quodque rationis vim excederet, ut nimirum mulier, caelestium adytorum sancta, tabernaculum devehens, ac corpore penetraret*; ut virgo, Dei partus miraculo Seraphicam vincens naturam, primae illi naturae, Deo, inquam, universorum

¹ Relate ad sententiam Ioannis Thessalonicensis († a. a. 649) circa corpoream B. Virginis Assumptionem, nil certi dici posse videtur. Sermonis enim eius circa *Dormitionem Sanctae Virginis* (Patr. Or., t. 19, pp. 344-438) plures redactiones ad nos pervenerunt, praesertim in epilogo, ubi de sorte corporis Deiparae sermo fit, eo quod antea de morte tantum agitur. Iamvero, quinque codices de sorte corporis Deiparae silent omnino. Duo codices, omnium antiquissimi, epilogo carent. Unus codex loquitur de simplici translatione corporis Deiparae in paradysum terrestre sub arbore vitae. Quatuor de hac translatione mentionem faciunt et verba quaedam adiungunt quae resurrectionem supponere videntur. Tres vero codices, quorum duo recentiores, de resurrectione gloriosa aperte loquuntur. Probabilis ergo assumptionem corpoream docuit. (Cfr *Jugie*, o. c., pp. 139 s.).

² DIEKAMP F., Hippolytos von Theben. Texte und Untersuchungen, Münster in W., 1898, LXX-177 p. Cfr *Jugie*, o. c., pp. 224-226.

auctori, se propius adiungeret; ut Mater quae vitam peperisset, aequalem partui vitae finem, miraculumque Dei et fide dignum praetenderet. Ut enim minime corruptus est parientis uterus, ita nec interiit defunctae caro. O mirandas res! Partus omnino corruptionem effugit; nec sepulchrum illam a morte extremam corruptionem admisit » (*Oratio 2 in dormitionem sanctissimae Deiparae Dominae nostrae*, PG 97, 1082).¹

S. GERMANUS († 732): « Quomodo carnis te dissolutio in cineres ac pulverem potuisset redigere, quae humanum genus a mortis corruptione per Nati ex te assumptam carnem liberasses? Migrasti ergo ab humanis, ut horrendae incarnationis, solida veritate, nulla apparentia constans, confirmatum patesceret sacramentum; ut, inquam, tuo illo a temporaneis ac saeculo discessu, qui ex te natus est Deus, perfectus nihilominus ex vera Matre crederetur processisse Filius, quae nimirum necessitatum naturae legibus subiaceret, divinaeque iussionis definitione ipsoque ad mundi vitam concesso tempore sollicitante... Neque enim fieri poterat, ut quae Dei capax vasculum esses, emortuum corpus corrumpente diffueres pulvere. Quia enim is, qui in te fuerat exinanitus, Deus erat a principio, ac vita saeculis antiquior; utique par quoque erat, ut Vitae Mater vitae pariter contubernalis fieret; dormitionemque somni instar susciperet, ac migrationem haud secus atque expergefactionem seu Vitae Parens subiret. Uti enim chara proles propriam quaerit ac desiderat parentem, atque parens vicissim cum prole amat versari, ita et te, quae prolis amantibus in Filium tuum ac Deum visceribus praedita esses, congruum erat redire ad Filium; parque vicissim erat, ut pro ea, qua Deus ad Matrem haberet amoris affectione, suam sibi contubernalem consuetudine donans adiungeret » (*In dormitione B. Mariae*, PG 98, 345s).²

AUCTOR SERMONIS (incertus) « *In depositionem pretiosae zonae praesanctae Dei Genitricis Dominae nostrae* », corpoream Deiparae assumptionem explicite proficitur, asserens Deum, loco corporis Deiparae, ad vitam revocati et in caelum assumpti, reliquisse terrae zonam eius incorruptibilem (COMBEFIS, *Auctarium Novum Bibliothecae Patrum*, t. 2, Parisiis, 1648, col. 791).

EPIPHANIUS MONACHUS, in sua *Vita B. Virginis*, haec scribit: « cantatis hymnis (ab Apostolis), post funebrem pompam posuerunt eam in monumento: nempe in Gethsemani. Et post parvum tempus, spectantibus omnibus qui aderant, corpus factum est invisibile ab oculis eorum. Et rursus canentes hymnos abierunt singuli ad proprias domos » (PG 120, 216). Iure animadvertit Jugie: « On peut supposer pourtant que cet enlèvement miraculeux du corps devant tous les assistants doit être entendu dans le sens que lui a donné saint Germain de Cons-

¹ Cfr FALLER, o. c., pp. 9-18. — JANSSENS AL., *Maria's Hemelvaart, naar S. Andreas van Creta*, in *De Standaard van Maria*, 6 (1926) 193-200 Cfr *Mariologia*, I, 176, ed. 2..

² Cfr CARLI, *La dottrina sull'Assunzione di Maria SS. di S. Germano di Costantinopoli*, in *Marianum*, 3 (1941) 47-63.

tantinople, auquel cet épisode à été visiblement emprunté, c'est-a-dire dans le sens de la résurrection et de l'assomption glorieuse » (o. c. p. 259).

S. IOANNES DAMASCENUS († 760): « O praeclarissimum excessum, qui tibi hoc praestat, ut ad Deum migres! Nam si cum omnibus quoque Deo afflatis hominibus hoc Dei munere concessum sit (nec enim quin concessum sit, dubitamus); at infinitum Dei servorum ac matris discrimen est. Ecquo igitur nomine, quod in te peractum est mysterium, appellabimus? an mortem? At quamvis sacratissima et felix anima tua, ut fert naturae sors, a beatissimo et immaculato corpore tuo disiungatur, ac corpus legitimae sepulturae mandetur, non tamen in morte perseverat, nec corruptione dissolvitur. Nam cuius in partu virginitas incolumis mansit, eadem e vita migrante corpus ita conservatum est, ut non dissolutum, sed in melius diviniusque tabernaculum mutatum sit, quod non iam morte interrumpatur sed in infinita saeculorum saecula perduret... Quamobrem sacrum transitum tuum minime mortem appellabimus, sed somnum et migrationem, vel, ut aptiore voce utar, praesentiam ad Deum. Excedens enim e corpore, praesens existis ad potiora ». « Non enim anima tua in infernum descendit, nec caro corruptionem vidit (Ps. 15, 10). Non est relictum in terra immaculatum omnisque labis expers corpus tuum: sed in regias caelorum sedes, regina, tu, hera, domina, veraque Dei Genitrix, translata es » (*Homilia I in dormitionem B. V. Mariae*, PG 96, 716, 720).

S. COSMAS HIEROSOLYMITANUS, amicus S. Ioannis Damasceni, explicite asserit Deum resuscitasse, post mortem, Matrem suam, ad hoc ut in aeternum cum Filio vivere posset (cfr CHRIST-M. PARANIKAS, *Anthologia Graeca Carminum Christianorum*, Lipsiae 1871, pp. 180-183).

In hymno quodam ANAPIGRAPHO, edito a Pitra, ad saec. VII-VIII pertinente, Auctor, post narrationem sepulturae B. Virginis, scribit: « Tunc ipsi vident Christum in medio ipsorum sedentem, qui dicit eis "Carnem Virginis, ex qua ego libere caro factus sum, privilegiis quibusdam ego honorare volo. Si enim Moysis corpus quod disparuit et Arca Foederis honorata sunt, quomodo tractari poterit sicut cetera templum illud quod illis maius est? Fiat ergo invisibile corpus illius quae sola, inter matres virgo fuit...». Haec autem verba Christi ad actum deduxit — prosequitur hymnographus — et nullibi videri potuit os aut caro Deiparae » (*Analecta sacra Spicilegio solesmensi parata*, t. 1, Paris, 1876, p. 526 s.). Auctor iste resurrectionem Deiparae ignorare videtur.

SAEC. IX: THEODORUS ABOU-KURRA († c. 820) quaestioni sibi ab infideli quodam propositae, utrum nempe Deipara *mortua sit an vivat*, respondit illam non esse mortuam (et ideo supponit esse vivam) eo quod mors eius fuit similis somno extatico Adae in paradiso terrestri, cum extracta fuit costa ex latere eius (PG, 97, 1593 BC).

THEODORUS STUDITA († 826): « Immutasti igitur naturam ineffabili partu tuo. Quandonam enim audivit quisquam virginem sine semine concipientem? O rem miram! quae mater est pariens, eam vides virginem incorruptam, quia scl. quod pariebatur, Deus erat. Hoc unum itaque etiam in vitali dormitione (ἐπί τῆ φωοφόρῳ κοιμήσει) a ceteris differens, merito sola habes, utriusque simul (scl. corporis et animae) incorruptelam » (*Laudatio in dormitionem s. Dominae nostrae Deiparae*, PG 99, 724).

IOSEPH HYMNOGRAPHUS († 883) asserit quod tumulus Virginis « nunc quoque palam indicat corporis sui ad caelum factam translationem » (*Mariale*, PG 105, 999, 1002).

S. THEOPHANES GRAPTOS, Ep. Nicaenus († 845), assumptionem corpoream Deiparae haud semel aperte proclamat. Ait enim: « Sepulcrum tuum, o tota Immaculata, annuntiat sepulturam tuam et migrationem tuam ad caelos una cum tuo corpore » (*Menei*, p. 400. Cfr *fugie*, o. c., p. 189 s.).

THEOGNOSTUS ABBAS († p. a. 871) assumptionem proprie dictam aperte asserit scribens: « separationi (animae a corpore) quae quibusdam tantummodo diebus perduravit, succedit unio (animae cum corpore) sine fine » (*Patr. Or.*, t. 16, p. 460).

GEORGIUS NICOMEDIENSIS († p. a. 880) aperte enuntiat resurrectionem et assumptionem Deiparae scribens: « Quia est immunis ab omni peccato et ab omni macula, illam pertransire facit de morte ad vitam et illam elevat cum corpore et anima usque ad altare intelligibile coeli » (Cfr *Combesis*, *Novum auctarium*, t. 2, Paris, 1648, p. 791).

B) *In Ecclesia Occidentali.*

1) SAEC. VI: S. GREGORIUS TURONENSIS († 593): « Impleto a Beata Maria huius vitae cursu, cum iam vocaretur a saeculo, congregati sunt omnes apostoli de singulis regionibus ad domum eius. Cumque audiissent, quia esset assumenda de mundo, vigilabant cum ea simul: et ecce Dominus Iesus advenit cum angelis suis, et accipiens animam eius, tradidit Michaëli Archangelo, et recessit. Diluculo autem levaverunt apostoli cum lectulo corpus eius, posueruntque illud in monumento, et custodiebant ipsum, adventum Domini praestolantes. Et ecce iterum adstitit eis Dominus, susceptumque corpus sanctum in nube deferri iussit in paradisum: ubi nunc, resumpta anima, cum electis eius exultans, aeternitatis bonis, nullo occasuris fine, perfruitur » (*De gloria beatorum martyrum*, cap. V, PL 71, 708). Habemus hic primum testimonium explicitum in Occidente.

Videtur tamen synthesis quaedam apocryphorum: quod valorem eius aliquatenus minuit. Magnum tamen exercuit influxum in evolutione sententiae de corporea Deiparae Assumptione, cum sensui christiano apprime responderet.

Valde probabiliter etiam VENANTIUS FORTUNATUS († 600), aequalis et amicus S. Gregorii Turonensis, corpoream Deiparae Assumptionem in suis carminibus cecinit, quamvis de ipsa expresse nihil dicat (Cfr *Miscellanea*, l. 3, carmen VII, PL 88, 281).¹

SAEC. VII-VIII: S. ISIDORUS HISPALENSIS († 636), S. BEDA VENERABILIS († 735) et auctor Homiliae de Assumptione a Paulo Diacono († 795?) relatae, se ignorare fatentur modum quo B. Virgo terram reliquit et sortem finalem corporis eius (Cfr *Fugie*, o. c., p. 270-274) — Circa finem vero saeculi VIII, Hispani quidam Asturiarum — prout refert nobis Anscarius, Asturiarum Episcopus — asserebant B. Virginem, sicut caeteri, obiisse et gloriosam resurrectionem, sicut caeteri, expectare (Cfr PL 96, 1231-1240). Tuzaredus qui, in sua responsione ad Anscarium, sententiam eius exquisierat relate ad illam quaestionem, immortalitatem Deiparae sustinere videtur. « De gloriosa Maria — scribit — quod nulla historia eam doceat passione aut qualibet morte mulctari » (l. c., col. 1235 C).

Circa finem eiusdem saeculi VIII Pseudo-Augustinus quidam († c. a. 780) agnosticisuum suum ita exprimebat:

« Sicut iam in consuetudinem Christi suscipit Ecclesia hodierna die ad caelos assumpta fuisse traditur virgo Maria. Sed quo ordine hinc ad superna transierit regna, nulla catholica narrat historia. Non solum autem respuere apocrypha, verum etiam ignorare dicitur haec eadem Dei Ecclesia. Et quidem sunt nonnulla sine auctoris nomine de eius assumptione conscripta; quae, ut dixi, ita caventur, ut ad confirmandam rei veritatem legi minime permittantur. Hinc sane pulsantur nonnulli, quia nec corpus eius in terra invenitur, nec assumptio eius cum carne, ut in apocrypho legitur, in catholica historia reperitur. Quibus dicendum est, quia si Moysi corpus ab homine non invenitur in terris, cum quo locutus est Deus facie ad faciem; illius quaerere dementiae est, per quam idem maiestatis Deus incarnatus effulsit in terris. Neque enim dignum est de corporis eius notitia sollicitum quempiam esse, quam non dubitat super Angelos elevatam cum Christo regnare. Sufficere debet tantum notitiae humanae hanc vere fateri reginam caelorum, pro eo quod regem peperit angelorum... Vera autem de eius assumptione sententia haec esse probatur, ut secundum Apostolum, sive in corpore, sive extra corpus ignorantes assumptam super Angelos credamus » (*Sermo in festo Assumptionis B. Mariae*, PL 39, 2130).

SAEC. IX. Litteratura circa assumptionem valde dives apparet. Introductio festi *Dormitionis* in Gallia sub novo titulo *Assumptionis*, quaestionem suscitavit de anticipata resurrectione Deiparae. Campus vero in duas partes dividitur: favorabilis et contraria. Nemo tamen privilegium Assumptionis corporeae *negare* ausus est. Plerique tamen illud *tamquam certum* admittere renuunt, et te-

¹ Adduci solet a quibusdam etiam testimonium S. GREGORII M. (590-604). At S. Gregorius M. tacet omnino, et *Sacramentarium* quod ei tribuitur (in quo invenitur celeberrima collecta *Veneranda*...) relate ad festum diei 15 augusti, ad ipsum minime pertinet.

nent illud tamquam *piam sententiam* ob defectum testimoniorum sive Scripturae sive traditionis (tunc parum vel nihil notae). Omnes tamen sententiam admittunt praeservationis corporis Deiparae a corruptione sepulcri, prout dicitur in textu liturgico Sacramentarii Romani: « nec tamen mortis nexibus deprimi potuit ».

Inter adversarios eminent Auctor celebris *Epistolae ad Paulam et Eustochium*, S. Hieronymo falso tributae (PL 30, 122-142). Idem tenent pseudo-Hildepheus Toletanus in septem Homiliis circa assumptionem (PL 96, 239-269), pseudo-Alcuinus (Cfr *Rev. Bénédic.*, t. 9, 1892, p. 496), pseudo-Augustinus in Sermone 208 (PL 39, 2129-2134) nec non Martyrologia Adonis Viennensis (Cfr *Quentin H.*, *Les martyrologes historiques du Moyen Age*, Paris, 1908, p. 594) et Usuardi (PL 124, 365).

At, hisce non obstantibus, non defuerunt tunc scriptores quidam de assumptione corporea omnino certi, prout ipsemet pseudo-Hieronymus aperte fatetur (PL 30, 123). Inter auctores istos peculiari mentione dignus apparet Auctor pulcherrimi tractatus cui titulus: *Liber de Assumptione beatae Mariae Virginis*, sub e mentito nomine S. Augustini (PL 40, 1141-1148). In hoc tractatu, Auctor (forsan Paschasius Radbertus), contra agnosticisum suorum aequalium insurgens, profundam tractationem theologiam praebet, primus omnium, de corporea Deiparae assumptione. Haec de ipso sufficient:

4) SAEC. IX: PS-AUGUSTINUS: « Quantum igitur contueor, quantum intelligo, quantum credo, Mariae anima claritate fruitur Christi, et gloriosis conspectibus eius; semper videre sitiens et semper conspiciens, dum inaestimabiliter pascitur excellentiori quadam specialique praerogativa a Filio honoratur; possidens in Christo corpus suum quod genuit clarificatum in dextera Patris; et si non suum per quod genuit, tamen suum quod genuit. Et quare non suum per quod genuit? Si non obviaverit necdum perspecta auctoritas, vere credo, et per quod genuit, quia tanta sanctificatio dignior caelo est quam terra. Thronum Dei, thalamum caeli Domini, domum atque tabernaculum Christi dignum est ibi esse ubi ipse est. Tam pretiosum enim thesaurum dignius est caelum servare quam terra; tantam integritatem merito incorruptibilitas, non putredinis ulla resolutio sequitur. Illud ergo sacratissimum corpus, de quo Christus carnem assumpsit, et divinam naturam humanae univit, non amittens quod erat, homo fieret, escam veribus traditum quia sentire non valeo, sed assumens quod non erat, ut Verbum caro, hoc est, Deus dicere pertimesco communi sorte putredinis et futuri de veribus pulveris » (L. c. col. 1146).

Pseudo-Augustino plene adhaeret NOTKERUS, Monachus S. Galli (840-912) asserens: « quoniam et corpus illud, de quo Deus incorporari voluit, citius in caelum sublimari decuit » (PL 131, 1141s.). Ad privilegium hoc vindicandum, Notkerus principio hoc utitur: negari nequit Deiparae id quod est aliis conces-

sum: iamvero hoc concessum fuit iustis illis qui in die resurrectionis Christi resurrexerunt.

Etiam HINCMARUS, Archiep. Rhemensis († 882) sat aperte resurrectionem Deiparae affirmat. Cecinit enim:

« Qui (Christus) dum surrexit, multorum corpora fecit
surgere, quos secum vexit ad astra poli.

Sanctior his cunctis Verbum quae gignere vitae
facta est digna tuo corpore virgineo.

Quae caro sancta non est corrupta sepulcro
nec tua, qua corpus sumpserat ipse Deus ».

(*Carmen dogmaticum in Deiparam*, MAI, *Classici scriptores*, t. 5, p. 455).

III. A saec. X ad saec. XVI.

A) *In Ecclesia Orientali.*

Iuxta P. Jugie, quidam scriptores orientales durante hac periodo, corpoream assumptionem Deiparae docuissent, quidam vero sententiae *de duplici assumptione* (animae, scilicet, in caelum, et corporis in paradisum terrestre) adhaesissent (o. c. 315-338).

Auctores Orientales qui corpoream assumptionem absque ulla dubitatione docuissent, sunt: S. Gregorius a Naregh, Armenus (951-1003),¹ IOANNES PHURNES (saec. XII),² MICHAËL GLYKAS (circa finem sec. XII),³ NERSES DE LAMPRON (saec. XII) Armenus,⁴ NICEPHORUS BLEMMIDES († 1272),⁵ TER ISRAEL, Armenus (saec. XIII),⁶ GREGORIUS PALAMAS († 1359),⁷ NICOLAUS CABASILAS († 1371),⁸ ISIDORUS GLABAS († 1397),⁹ GREGORIUS DE TALEV (1340-1411),¹⁰ GABRIEL Archiep.

¹ *Discorso panegirico alla B. Vergine Maria* scritto da S. Gregorio da Naregh, dottore della Chiesa armena, tradotto in lingua italiana dai PP. della Congregazione Mechitarrista, Venezia, 1904, p. 26.

² Cfr GREG. PALAMAS, in appendice ad homilias Theophanis Keramei, Jerusalem, 1860, pp. 271-276.

³ Cfr *Annalium pars Tertia*, PG 158, 440.

⁴ Cfr *Patr. Or.* t. 5, pp. 385-389.

⁵ *Cod. Vat. graec.* 1079, saec. XIV, fol. 185 r.

⁶ Cfr JUGIE, o. c., p. 327; Cfr BAYAN G., *Le Sinaxaire arménien de Ter Israel*, in *Patr. Or.*, t. 5, p. 375.

⁷ Homil. XXVII, *In Dormit. Deip.*, PG 151 464-468.

⁸ Cfr *Patr. Or.* t. 19, pp. 495-510.

⁹ *In Dormit. Deip.*, 31, PG 139, 157 B C.

¹⁰ *Cod. Borg. armenus* 30. Cfr JUGIE, o. c., p. 310. Ecclesia armena, in Concilio loci Sis anni 1342, fidem suam in corpoream Deiparae assumptionem ita profitebatur: « Sciendum est quod Ecclesia Armenorum credit et tenet quod sancta Dei genitrix virtute Christi assumpta fuit in caelum cum corpore » (MANSI, *Collectio Conciliorum*, t. 25, col. 1218 D). Fides haec etiam hodie viget apud armenos sive catholicos sive dissidentes.

Thessalonicensis († c. 1418),¹ DEMETRIUS CHRYSOLORAS († c. 1430),² MARCUS EPHEINUS († 1444)³ et GEORGIUS SCHOLARIOS († p. a. 1472).⁴ Omnes isti assumptioni corporeae, seu anticipatae resurrectioni Deiparae aperte favent.

Auctores vero qui — iuxta Jugie — sententiae de *duplici assumptione*, prout ex modo loquenti apparet, adhaesissent (in apocrypho pseudo-Ioannis proposita), essent: Leo Sapiens, Ioannes Geometra, Simeon Metaphrastes, Ioannes Mauropos, Nicephorus Callistus, Theodorus Hyrtacenus et Ioseph Briennios (o. c., pp. 315-338). At, prout demonstravit P. Gordillo, examen singulorum testimoniorum quae adducta sunt a P. Jugie ad sententiam suam probandam, id non evincere videtur.⁵ Hoc vero apparet ex diligenti consideratione sive artis sive liturgiae byzantinae, praesertim vero ex consideratione singulorum testimoniorum a Jugie adductorum.

In iconographia eius byzantina (quae est echo, profecto, scriptorum byzantinorum) nullum vestigium invenitur de hac duplici assumptione de qua loquitur Jugie:⁶ quod difficulter omnino explicatur, si concedetur tot auctores huiusmodi sententiam secutos fuisse.

In liturgia byzantina (ex qua scriptores byzantini copiose hauriunt), numquam invenitur, omnibus fatentibus, theoria illa peregrina de duplici assumptione:⁷ quod aperte demonstrare videtur scriptores byzantinos de duplici illa assumptione minime loqui intendisse. Singulos ergo scriptores et eorum testimonia videamus.

LEO SAPIENS, Imperator († 912) de morte Deiparae loquitur, et ideo de eius animae in gloriam caelorum ingressu; non deest tamen allusio sat explicita ad corpoream Deiparae assumptionem. Dicit: « Nihil mortis illam severitudinem, molestam esse sinit: cum illae quidem manus, quibus omnia continentur, intemera-tissimam susciperent animam, *mundum autem ac immaculatum corpus in purissima loca transferretur* » (*Oratio XIV in B. Mariae Assumptionem*, PG 107, 160). Hic, ut patet, sermo est de morte Deiparae, et ideo de ingressu animae in caelum. Illa vero « purissima loca » in quae « mundum et immaculatum corpus » transfertur, non necessario intelligenda sunt de *paradiso terrestri*, sed possunt bene intelligi

¹ Homil. XLVIII, in *Dormit.*, cod. 58 Bibliothecae Scholae Theologicae loci Halki. Cfr *Jugie*, o. c., p. 335.

² Cod. 161, T-III-4 Bibl. de Escorial, fol. 63. Cfr *Jugie*, o. c., p. 337.

³ Cfr *Jugie*, o. c., p. 337.

⁴ *Œuvres*, ed. Petit, Siderides et Jugie, t. 1, Paris, 1928, p. 205.

⁵ Cfr L'Assunzione corporale della SS. Vergine Madre di Dio nei teologi bizantini (sec. x-xv), in *Marianum*, 9 (1947) 64-89.

⁶ Cfr M. ME L. VRATISLAW-MITROWIC et N. OKUNEV, La dormition de la Sainte Vierge dans la peinture médiévale orthodoxe; *Byzantino-slavica*, 3 (1931) 134-173.

⁷ Solummodo in *Menologio Basilii II* ante a. 984 conscripto, influxus quidam Pseudo-Ioannis inveniri videtur. Dicitur enim corpus Deiparae translatum fuisse a Deo *in locum quem ipse scit* (PL 117, 585 A B).

de caelo. Eo vel magis quod Leo Sapiens — prout concedit Jugie (o. c., p. 266) — in pluribus locis suae homiliae ita se exprimit ac si integra persona Mariae in caelo inveniretur, ad dexteram Filii sui, ubi *manus suas supplices elevat, brachia illa quae Filium Dei tenuerunt pro salute generis humani* (l. c., col. 165 BC; 168 A). Evidenter igitur supponit corpus Deiparae resurrexisse et illa « purissima loca » ab ipso memorata fuisse caelum proprie dictum, ubi corpus animae rursus unitum fuit.

IOANNES GEOMETRA (saec. x) qui, iuxta Jugie (o. c. p. 322), est praecipuus assertor duplicis assumptionis, *explicitis verbis* loquitur de unione animae et corporis Deiparae post divisionem eorundem a morte peracta: « τῶν δὲ [θανάτου] τὴν διάλυσιν συνιστῶν, τῇ ἀκαταλυσία σεμνύνομαι ». ¹

SIMEON METAPHRASTES aperte asserit corpoream Deiparae assumptionem. Scribit enim: « Et illud quidem (sepulcrum Virginis) fuit apertum; thesaurus autem nequaquam erat in eo: sed solae erant vestes, in quibus fuerat conditus quomodo etiam *in eius Filii resurrectione...* Miraculum autem posteris filius a patre accipiens deinceps tradit; atque vivifici quidem corporis divinae sepulturae ita se habet narratio. Siquidem quod ex ea natum erat, *totam eam Verbum ad se transtulit, et voluit eam apud se esse, et perpetuo simul vivere* » (PG 115, 560). Sed obicit P. Jugie: « Le mot *résurrection*, qui dissiperait tout équivoque, n'est pas prononcé ». At responderi potest cum P. Gordillo Metaphrastem, in illis paucis verbis, triplici modo diverso et aequivalenti vocem « *resurrectio* » dixisse (l. c. p. 81).

IOANNES MAUROPOUS, Metropol. Euchaitarum († 1050) apertissime asserit: « Genitricis Dei hodierna die celebramus Dormitionem... depositionem... *resurrectionem*, ascensionem, exaltationem » (PG 120, 1079): « *μετάστασιν, ἀνάβασιν, ἔπαρσιν* ». Explicite, insuper, in suo sermone, de *corporea* Deiparae *assumptione* loquitur (l. c., col. 1097).

NICEPHORUS CALLISTUS XANTHOPOULOS pluries — prout fatetur ipsemet P. Jugie, o. c. p. 327 — verae sententiae de assumptione corporea adhaerere significat (PG 145, 816 C). Animadvertit P. Gordillo: « C'è però una frase che gli sembra favorire la “doppia assunzione” ed è questa: Il divin Figlio di Maria « onorò il suo corpo, anche prima della resurrezione comune, con *l'incorruttibilità* e lo trasportò per il ministero dei suoi angeli negli spazi luminosi ed incorruttibili delle celesti mansioni ». ² Di quale incorruttibilità si tratta? Forse, come

¹ Cfr GORDILLO, l. c., p. 82 ubi addit: « Queste parole sono chiare e precise; non riesco perciò a spiegarmi come il P. Jugie non le abbia poste in luce nella sua traduzione francese. La frase che abbiamo considerato non è l'unica in favore della resurrezione di Maria Santissima. In un altro luogo il Geometra dice che Maria è stata già trasportata in cielo, “come lo saremo noi dopo la resurrezione” quando il nostro corpo si unirà all'anima ».

² *Historia Ecclesiastica*, lib. XV, c. 24, PG 147, 45 A.

pensa il P. Jugie, dell'incorruttibilità del corpo separato dall'anima, o di quella che gli proviene dalla gloriosa¹ risurrezione? Basta continuare a leggere: « Concedendo a sua madre il privilegio segnalato di non risuscitare *nello stesso tempo* (σύνναμα) degli altri uomini ». Non è ciò apertamente contrario alla teoria della *doppia assunzione*? ».¹

THEODORUS HIRTACENUS (saec. XIV), in quodam panegyrico, ait., iuxta P. Gordillo: « Lei (Maria) sale verso i celesti tabernacoli; ma lo solleva perchè prenda anche lui il volo (συνναπτῆναι) e raggiunga l'anima... Così l'anima conobbe una separazione alla quale doveva seguire la prima unione, ed il corpo *una seconda unione dopo la separazione*, unione che non soffre più rottura ». ² Et addit: « La nostra versione differisce da quella del P. Jugie, che traduce la ultime frasi: « Ainsi l'âme connaît une séparation, qui sera suivie de l'union première, et le corps, une seconde liaison accompagnée de la disjonction et ne supportant plus de séparation ». ³ Ma la parola « accompagnée » non si trova nel testo; implica contraddizione volere esplicare la σύνμιξις (unione) con la διάζευξις (separazione); rende incomprensibili le ultime parole: « che non soffre più divisione » (διαίρεσιν); come potè dire così, se la divisione non è passata, anzi continua? o forse questa separazione durerà sempre? Il P. Jugie premette che si tratta di « una frase molto oscura »; già Boissonnade nella sua edizione ebbe a rilevare delle inesattezze nel testo dell'Hyrtaceno. ⁴ Siccome σύνμιξις, διάζευξις in nessun modo possono prendersi come mutui complementi, è giocoforza interpretarli come due termini successivi, come nella frase precedente: « l'anima conobbe una *separazione* alla quale doveva seguire *l'unione prima* »; e perciò bisogna unirli sia per la stessa parola che unisce i due termini della prima frase (πεισομένην), sia intercalando la preposizione μετὰ. Così il testo diventa chiaro. Non solo; ma anche risponde alle parole seguenti, nelle quali l'Hyrtaceno adopera la comparazione con Enoc ed Elia, i quali senza passare per la morte furono rapiti in cielo; il corpo di Maria, morto e posto nel sepolcro, per dare durante breve tempo testimonianza della natura umana di Cristo e di Maria, ottiene subito la stessa sorte » ⁵ (l. c., p. 781).

¹ P. Jugie ta men verba illa interpretatur non iam de *tempore* sed de *modo* resurrectionis (o. c. p. 328). Sed hoc est magnam vim verbis inferre. De cetero, ipse P. Jugie confiteri cogitur: « Il semble pourtant avoir incliné vers la thèse la plus commune à Byzance, de son temps, c'est-à-dire, vers l'affirmation de la résurrection proprement dite » (*ibid.*).

² Cfr BOISSONNADE FR., *Anecdota Graeca*, t. 3, p. 48.

³ O. c., p. 329.

⁴ « Nello stesso passaggio che a noi interessa ebbe a supplire una parola mancante nel suo originale ».

⁵ FR. BOISSONNADE, l. c., p. 48. Quando l'Hyrtaceno dice che ottenne subito la stessa sorte: διώξειν αὐτίκα τὴν συννομον certo che i corpi di Enoc e di Elia sono corpi vivi, uniti alle loro anime.

IOSEPH BRIENNIUS in homilia 2. pro Nativitate Deiparae, bis *explicite* asserit B. Virginem *ex sepulcro resurrexisse* (ἐκ τάφου ἀνάστασις) et *assumptam* fuisse (ἀνάληψις), etiam in hoc *Filium suum imitando*.¹

Sed obicit P. Jugie textum eiusdem auctoris in quo Nicetae Episcopo ipsum interroganti circa B. Virginem respondit: « Domina Universi et Deipara *translata* est (μετέστη) non *resurrexit* (οὐκ ἀνέστη) ». ² Attamen, prout animadvertit ipsemet Eugenius Bulgaris, Editor, in annotatione quadam, « cum sermo est de B. Virgine, frequentius dicitur *translata est* quam *resurrexit*, *translatio* potius quam *resurrectio* ». Sensus ergo illorum verborum quae a P. Jugie obiiciuntur, iste esset: « Cum de assumptione Deiparae agitur, usus loquendi adhibere consuevit verbum *μετάστασις* loco verbi *ἀνάστασις* ». Nos etiam — animadvertit P. Gordillo — utimur verbo *Assumptione*, non vero *Ascensione* (l. c., p. 78).³

Ex dictis concludi potest in Ecclesia Orientali, a saeculo x ad saeculum xv, *unanimem* fuisse fidem circa assumptionem corpoream B. M. Virginis.

B) In Ecclesia Occidentali

A saeculo x ad saec. xvi, influxus pseudo-Hieronymi et pseudo-Augustini (qui ut authentici habiti sunt usque ad saec. xvi) scriptores in duplicem contrariam classem divisit: quidam (sectatores pseudo-Hieronymi) *agnosticismum* circa sortem finalem Deiparae profiteri perrexerunt; alii vero (sectatores pseudo-Augustini) fidem *certam* in assumptionem corpoream Deiparae professi sunt. Attamen, temporis decursu, inde a medio saeculo xiii, sectatores pseudo-Augustini et ideo assertores assumptionis corporea praevalere coeperunt. Haec generatim.

At utile est ad particularia descendere.

Sectatores pseudo-Augustini

SAEC. X: IOANNES AQUENSIS, Episcopus, in poemate quodam a 1000 composito, canebat: « Ad Patris usque thronum praedictam flamine ratum — Evehit ipse [Christus] suam secum super aethera matrem ». ⁴

¹ *Iosephi Monachi Bryenniou paralipomena*, ed. Eug. Bulgaris, t. 3, Lipsiae 1774, p. 130.

² *Ibid.*

³ Praeter scriptores praefatos, obiiciuntur etiam a P. Jugie EMMANUEL II PALEOLOGUS (1391-1425), CALLIXTUS I Patriarca Constantinopolitanus (1350-1363) et ANDRONICUS II (1282-1328), arguendo ex eorum *silentio* circa resurrectionem. Attamen, prout animadvertit P. Gordillo (a. c. p. 83, nota) « questo silenzio si spiega dal resto in Manuele per il suo proposito di trattare soltanto la questione: Maria è morta senza dolore (PO, 16, p. 544, lin. 35); su Callisto, Jugie nota esservi dei passi che accennano alla presenza di Maria in corpo ed anima in cielo, altri che trattano della sola *μετάστασις* o traslazione dell'anima, cosa più che naturale dati gli elementi diversi che integrano il mistero dell'Assunta... L'editto dell'Imperatore Andronico II non è così vago come Jugie lo presenta (ibid. p. 330); tratta espressamente della festa tale quale si ritiene nella Liturgia Bizantina, la quale espressamente ammette l'assunzione corporale, e dalla quale prende le parole presentate come sospette ».

⁴ *Mon. Germ. Hist. Poetarum medii aevi*, t. 5, fasc. II, pp. 468 s. « La manière dont il s'exprime = animadvertit Jugie = fait naturellement penser à l'assomption totale en corps et en âme » (o. c., p. 366).

SAEC. XI: S. FULBERTUS CARNOTENIS († 1029): «Fuit autem sepulta sanctissima in valle Iosaphat, ubi est aedificata ecclesia in honorem eius, et sanctus Ioannes sepultus est Ephesi. Post vero cum religiosi Christiani reliquia matris eius, videlicet Domini, respicere vellent, sepulcrum vacuum invenerunt; sed et in sepulchro beati Ioannis respicientes, non invenerunt nisi manna. *Credit itaque Christiana pietas quia Christus Deus, Dei Filius, Matrem suam gloriose resuscitaverit et exaltaverit super caelos*, et quod beatus Ioannes virgo et evangelista, qui ei ministravit in terra, gloriam eius participare mereatur in caelo » (*Sermo V de Nativitate Mariae Virginis*, PL 141, 325).

S. PETRUS DAMIANUS († 1072) vel probabilius, NICOLAUS CLARAVALLENSIS: «Intuere mentalibus oculis Filium ascendentem et Matrem assumptam, et videbis aliquid excellentius in Ascensione Filii exhiberi, et aliquid gloriosus in Assumptione Virginis demonstrari. Ascendit enim Salvator in caelum potestativae virtutis imperio, sicut Dominus et Creator, angelorum comitatus obsequio, non auxilio fultus. Assumpta est Maria in caelum, sed gratiae sublevantis iudicio, comitantibus et auxiliantibus angelis, quam sublevat gratia, non natura. Ideo haec Assumptio, Ascensio illa vocatur » (*Sermo 40 in Assumpt. B. M. V.*, PL 144, 717).

In sermone vero LXIV, *De Sancto Ioanne apostolo et Evangelista*, S. Petrus Damiani explicite asserit: «Etsi non audeamus pleniter definire, pium tamen est arbitrari ut, *sicut de Beata Dei Genitrice creditur*, ita etiam beatus Ioannes iam resurrexisse *probabiliter* asseratur » (PL 144, 870 CD). Notetur hic apertum discrimen inter assumptionem corpoream Deiparae et assumptionem corpoream S. Ioannis: prima exhibetur ut *certa*; secunda vero ut *probabilis* tantum.

S. BRUNO ASTENSIS († 1123) alludere videtur ad assumptionem corpoream in suo *Commentario in Apocalypsim*, l. V (Apoc. 14, 17): «Angelus qui de templo exivit Christus est, qui tamquam sponsus de talamo virginalis uteri processit. Hoc autem templum est in caelo... Denique, iam tunc haec Virgo nostra de hac vita migraverat, et super choros Angelorum exaltata fuerat, quando beatus Ioannes ista scribebat: Vidit ergo angelum qui de templo exierat, quando templum iam pridem in caelum translatum fuerat » (PL 165, 686).

SAEC. XII: HILDEBERTUS ARCHIEP. TURON. († 1133): «*Hodie autem beata Virgo et animae beatitudinem et glorificationem corporis est adeptas*, quod ne cui veniat in dubium auctoritatibus astruamus. Hodierna clamat oratio: Nec tamen mortis nexibus deprimi potuit etc. Eamdem etiam ad invitationem angelorum in ascensione Domini dicentium: Quis est iste qui ascendit de Edom? etc. (Is. 63, 1). Fuit etiam propheticæ praedicta de ascensu Virginis: Quae est ista quae ascendit velut aurora coruscans, pulchra ut luna, electa ut sol? ¹ Non solet in

¹ Cant., 6, 9.

scriptura pulchritudo solis et lunae nisi corporibus proprie aptari. Inde etiam scriptum est: Fecundae Virginis caelum amplectitur praesentiam, cum mater mediatoris venit. Et illud: Elevatus est sol, et luna stetit in ordine suo.¹ Illud autem Davidicum quomodo implebitur: Adducentur virgines post eam,² si usque ad communem adductionem dilata est adduci? Quando autem prius adducentur nisi hodie, invenire non possumus. Adhuc probabili inductione exempli idipsum probari potest: vir et uxor duo sunt in carne una; expressius autem mater et filius una sunt caro. Sane sunt sancti Patres, qui Spiritu Sancto dictante decreta promulgarunt, ius in coniugibus sanxerunt, quod si alter deserens saeculum adhaereat Deo, alter non remaneat in saeculo. Unius enim carnes tam violenter distrahi ius non esse visum est eis. Sic et in ceteris videri debet, si pars altera carnis virgineae sit in caelo, et pars altera reddatur solo; parti alteri datum sit non videre corruptionem, et altera solvatur in cinerem. Sicut enim beata Virgo a maledictione mulieris, cui dictum est: in dolore paries³ facta est immunis, quia peperit sine dolore, sic et a communi viri et mulieris maledictione, cui dictum est: in cinerem ibis, facta est immunis. Unde et ab angelo benedicta esse dicitur, quia a primordiali maledicto liberata est » (*In festo Assumptionis B. Mariae, et de laudibus eius*, sermo I, PL 171, 630).⁴

PETRUS ABAELARDUS († 1142): « Nec animam solum, verum etiam corpus ad caelos hodie sustulisse creditur, ut animae pariter et carnis glorificatione eam remuneraret, in qua, ut dictum est, simul animam et carnem decrevit assumere. Cui quidem rei plurimum attestatur sepulchrum vacuum penitus repertum, sicut et antea fuerat Dominicum: ut ipsa quoque resurrectionis gloriam et geminam stolam adepta credatur, sicut manifeste festiva huius diei oratio continet, his verbis: In qua sancta Dei Genitrix mortem subiit temporalem, nec tamen mortis nexibus deprimi potuit, etc. ». « Qui quemadmodum caelum ascendens a dextris Dei sedisse describitur, ita hodie matrem assumptam a dextris suis collocasse non dubitant, cui olim per Prophetam dictum fuerat: Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato,⁵ hoc est in corpore semper immaculato, etiam immortalis et incorruptibili facto. Aurum quippe ceteris metallis splendidius et solidius nec igne consumi, nec rubigine potest corrumpi. Sicut ergo Dominus in seipso viris, iam in matre feminis gloriam resurrectionis exhibuit, quo videlicet utriusque sexus desideria spe futurae beatitudinis amplius in se concitaret. Ad hanc specialiter illa vox Sponsi dirigitur, qua tam dulciter invitatur: Surge, propera, amica

¹ Habac., 3, 11.

² Ps., 44, 15.

³ Gen., 3, 16.

⁴ Sermo tamen iste Petro Comestori († 1179) potius quam Hildeberto tribuendus videtur.

⁵ Ps., 44, 10.

mea et veni. Iam enim hiems transiit, imber abiit et recessit »¹ (Sermo 26 in *Assumptione B. Mariae*, PL 178, 541; 542 s.).

HUGO A S. VICTORE († 1141): « Septimum [privilegium Deiparae collatum est] quod *cum corpore suo* (quantum credimus) *in caelo vivit*. Licet enim B. Hieronymus hic opiniones ponat, non tamen factum abnuit: sed rationis astutiae tota fidei nostrae colla submisit, in qua dicimus non impossibile Deo esse ut illud divinitatis habitaculum singulare corruptioni non subiaceat vel vermibus. Qui enim trium puerorum vestimenta in camino ignis illaesa servavit, corpus matris propriae incorruptum servare et voluit et potuit (*De assumptione et decem praeconiis Mariae semper Virginis*, PL 177, 808).

S. BERNARDUS (1090-1153) alludere videtur ad corpoream Deiparae assumptionem cum dicit: « Virgo hodie gloriosa caelos ascendens, supernorum gaudia civium copiosis sine dubio cumulavit augmentis. Haec est enim, cuius salutationis vox et ipsos exultare facit in gaudio, quos materna adhuc viscera claudunt (Luc. 1, 41). Quod si parvuli necdum nati anima liquefacta est ut Maria locuta est, quid putamus quaenam illa fuerit caelestium exultatio, cum et *vocem audire*, et *videre faciem*, et beata eius frui *praesentia* meruerunt? » (*In Assumpt. B. M. V.*, I 1-2, PL 183, 415). Vox, facies, praesentia, proprie non vero metaphoricè hic sumi videntur, prout ex comparatione Beatorum cum Baptista apparet. Eo vel magis quod tempore S. Bernardi valde communis erat sententia de corporea assumptione Deiparae, contra quam nihil ullibi dicit.

B. GUERRICUS ABBAS IGNIACENSIS († c. 1157) angelos exhibet assistentes migrationi Reginae « quae migratura corpore decumberet » (Serm. 2, PL 185, 191).

S. AMEDEUS EP. LAUSANNENSIS († 1159): « Tantis vero deducta laudibus nec ipsa poterat a laude cessare quae Filium Dei ex se genitum in dextera paternae magnitudinis sedentem, seque gloria assumentem videbat. Tenuisti, ait, manum dexteram meam et in voluntate tua deduxisti, et cum gloria suscepisti me!² Et rursum: A dextris est mihi, ne commovear, propter hoc laetatum est cor meum, et exultabit lingua mea, insuper et caro mea requiescet in spe. Quoniam non dereliquisti me in saeculo *nec dabis corpus Genitricis tuae videre corruptionem*.³ Sed quid ego his immoror? Ut enim paucis multa colligam, aderat gloriosissimae verbum simplex et multiplex, verbum intelligibile, continens omnia verba laudum, quo laude ineffabili Dominum ac natum suum ipsa honorabat. Elevata igitur cum vocibus exultationis et laudis prima post Deum super omnes caeligenas in sede gloriae collocatur. Ibi resumpta carnis substantia (neque enim credi fas est corpus eius vidisse corruptionem) et duplici stola induta Deum et

¹ Cant., 2, 10.

² Ps., 72, 24.

³ Ps., 15, 8-10.

hominem in utraque natura, quanto ceteris clarius, tanto ardentius universis mentis et carnis oculis contemplatur » (Homil. 7 *De B. Virginis obitu, assumptione in caelum, exaltatione ad Filii dexteram*, PL 188, 1341 s.).

RICHARDUS A S. VICTORE († 1173) exclamat: « vere surrexisti. O dulcis Mater Christi, reorum miserere » (PL 196, 523, 524).

GUALTERIUS A S. VICTORE († 1181): « Ex hac quoque plenitudine, angelo revelante, ut legitur, post assumptionem sanctissimae animae, et sanctissimum corpus ut a peccato ita a corruptione intactum manens in sepulcro, quadragesimo die, hoc est nono Kalendas octobris, conforme iam claritati illius corporis quod de ipso Deus sumpsit, in caelum levavit » (*Libri contra quatuor labyrinthos*, PL 199, 1156).

ALEXANDER III († 1181): « Concepit sine pudore, peperit sine dolore *et hinc migravit sine corruptione*, iuxta verbum angeli, imo Dei per angelum, ut plena, non semiplena gratiae esse probaretur et Deus, Filius eius, antiquum quod pridem docuit *mandatum* fideliter adimpleret, videlicet patrem et matrem honore praevenire; et ne caro Christi virginea, quae *de carne matris virginis* assumpta fuerat, a tota discreparet » (*Instructio fidei catholicae ad Soldanum Iconii missa*, PL 207, 1069-1078).

PETRUS CELLENSIS († 1187): « Revertere Sunamitis, revertere, revertere ut intueamur te. (Cant. 6, 12). Primo revertere a captivitate mundi, quia captivitate sunt absoluti sua; *secundo, revertere ab homine sine corruptibilitate carnis, quia, sicut immunis es a corruptione peccati, sic ad immortalitatem transire debes, absorta mortalitate per gratiam Dei*. Tertio revertere ad libertatem gloriae filiorum Dei, quia, sicut peccatum nunquam regnavit in tuo mortali corpore, sic digna es perfrui, etiam in carne virginali, eadem spiritus libertate, qua fruuntur in sua spirituali substantia angeli ab ipsa sua creatione, sive potius confirmatione. Quarto revertere ut intueamur te a dignitate Angelorum ad superexcellentiam iam beatificatorum spirituum: quia sicut in facie Filii tui desideramus prospicere, sic in specie et pulchritudine tua vultus defigere volumus, et luce vultus tui illustrari omnimodis satagemus » (Sermo 2 *De Assumptione B. M. V.*, PL 202, 850 s.).¹

PHILIPPUS AB HARVENG († 1187): « Est igitur mater cum Filio non solum spiritu, de quo vel tenuis dubitatio non habetur, sed etiam corpore » (*Comment. in Cant. Cant.*, l. 6, c. 50, PL 203, 488).

PETRUS BLESENSIS († 1200): « Videbatur Christo quod non totus ascendisset in caelum, donec illam ad se traxisset, de cuius carne et sanguine traxerat corpus suum. *Desiderio ergo desiderabat Christus habere secum vas illud electum, corpus Virginis*, in quo sibi bene complacuit, in quo nil quod Divinitati posset displi-

¹ Alibi tamen dicit *conceptionem* et *assumptionem* esse nobis *abscondita*; attamen assumptio corporea « pie creditur » (Serm. 1 *De Assumpt. B. M. V.*, PL 202, 849).

cere reperit » (Sermo 33 in *Assumptione B. M. Virginis*, PL 207, 662). « Credo siquidem quod qui nascendo integrum custodivit in matre virginale signaculum, ipse corpus virginis, in quo per ipsum plenitudo deitatis habitare dignata est, servavit ab omni mortalitate et corruptione illaesum. Sane quae tota vixerat casta, tota immaculata, tota impolluta et integra, quomodo sentiret aut sentire deberet, quid esset humani corporis corruptela? » (Sermo 34 in *Assumptione B. M.*, PL 207, 664).

ABSALON, Abbas Sprinckirsbacensis († 1203): « Cum corpore dicam exaltam, an sine illo? Vere dicam cum corpore, quoniam et si hac parte erravero, ipse error est mihi gratissimus, qui fonti pietatis Matris misericordiae incumbit excusandus. Numquid enim dicam Dei Filium honorem matri denegasse, quem servo voluit impendere? Elias in caelum curru levatur igneo, et Mater Dei computruit in tumulto? Praeterea si spiritu migrante sacrosanctum eius corpus terra detinuit, cur Filius venerationem illam denegavit in terris reliquiis matris, quam cuilibet martyri vel confessori voluit exhiberi? Plane caput Ioannis vel cuiuslibet alterius sancti reliquiae in terris maxima veneratione voluit haberi, sed beatæ Virginis corpus nec in terris veneratione, nec in caelis honore dignum voluit aestimari. Propterea nonne Dei Filius dedit hoc praeceptum? Honora patrem et matrem, et magis de patre et matre quam de ceteris, quia maior honor quam ceteris debet illis exhiberi. Sed ecce secundum eos qui aestimant eam non migrasse cum corpore, ipse suo praecipuo praecepto videtur obviasse, qui maiorem honorem voluit in terris exhiberi reliquiis martyris, quam sacrosancto corpori suae Matris. Longe aliter sonare videtur illa universalis Ecclesiae oratio, in qua de ipsa dicitur: Nec tamen mortis nexibus deprimi potuit, quae Dominum nostrum Iesum Christum de se genuit incarnatum: quod si verum est, consequitur quod *devicta morte cum corpore glorificata ascenderit*. Et, ut brevi verbo loquendi finem faciam, cum soluto mortis debito terrae constet cum corpore commendatam aut sepultam reddant, aut resurgentem, imo sublimatam cum corpore venerentur nobiscum orantes, ut eius interventu mereamur transferri ad eandem gloriae felicitatem, quam ipsa hodierna die ingressa est » (Sermo 44, *In Assumptione Gloriosae Virginis Mariae*, PL 211, 255 s.).

PETRUS PICTAVIENSIS († 1205): « Christus dextruxit mortem |temporalem in spe in omnibus, et in re, ut in se... et in beata Virgine, quam in carne glorificatam credimus in caelos ascendisse, et in sanctis dormientibus qui cum eo surrexerunt » (*Sententiarum*, l. 4, c. 19 PL 211, 1207 D).

HUGUCCIO († 1210): « Transitus beatæ Mariae antonomastice dicitur *assumptio*, quae prius est assumpta in anima et postea, sicut pie creditur, in corpore » (*Summa super Decr. Gratiani, Cod. Vat. lat. 2280*, f. 350, c. I, citatus a *Gillmann Fr.*, in o. c., p. 5).

Idem omnino repetit SICARDUS CREMONENSIS († 1215) in suo *Mitræ* seu de officiis ecclesiasticis summa, (l. 9, c. 40, PL 213, 420).

SAEC. XIII: Circa scriptores huius saeculi relate ad assumptionem corpoream B. M. Virginis, egregiam edidit monographiam P. Caelestinus Piana O. F. M. ¹

Ob difficultates ratione belli exortas, coactus est Auctor investigationem suam perstringere, in Italis scriptoribus pressius sistendo, quae tamen ideam sat completam doctrinae de Assumptione, qualiter tunc tradebatur, praebere valet. Nec tamen conferre et adducere omittit fere omnes auctores coevos aliarum nationum, nempe S. Albertus M., Albricius monachus Trium Fontium, S. Antonius Patavinus, Caesarius Heisterbacensis, Conradus a Saxonia, Hugo a S. Charo, Gualterus Cancellarius, Guibertus Tornacensis, Guillelmus Alvernus, Guillelmus Durandus, Petrus de Tarantasia, Philippus Carthusianus, Guericus a S. Quintino, Richardus a S. Laurentio, Richardus de Mediavilla, Vincentius Beluacensis. Hisce, auctores quoque inediti adduntur, ut, Clemens V, Eustachius Atrebatensis, Guillelmus Antissiodorensis, Vitalis de Furni, et anonymi quidam.

Auctores vero Itali de quibus praesertim agit, sunt: Honorius III († 1227), Bartholomaeus de Tridento O.P., Innocentius IV († 1254), Card. Hostiensis († 1271), Hannibaldus de Hannibaldis, O. P. († 1272), S. Thomas Aquinas, († 1274), S. Bonaventura, O.F.M. († 1274), Bombolognus de Bononia, O.P., Iacobus a Voragine, O.P. († 1298), Servasactus a Faventia, O.F.M., Bartholomaeus de Bononia, O. F. M., Thomas a Papia, O. F. M., Marchesinus a Regio Lepidi, O.F.M., Aldobrandinus de Tuscanella, O.P., Augustinus ab Asculo, O.E.S.A., Garzus, Iacobus de Viterbio, O.E.S.A. († 1307 ecc.), Aegidius Romanus, O.E.S.A. († 1316), Remigijs de Hieronymis, O.P. († 1319), Augustinus Triumphus de Ancona, O.E.S.A. († 1328), nec non quattuor alii auctores anonymi quorum italica origo admittenda videtur. ²

Auctor, in sua expositione, non iam methodum chronologicam sed systematicam sequitur utpote magis aptam ad inutiles repetitiones vitandas et ad doctrinam magis ordinate exponendam. Quapropter in quinque distinctis capitibus, ex ordine agit: 1. *De resurrectione incorrupti corporis B. V. M.* (de morte; de incorruptione in sepulcro; de resurrectione B. M. V.); 2. *De demonstratione corporeae Assumptionis B. M. V.* (Fontes revelationis; Ratio theologica; Argumentum liturgicum; Historicae relationes); 3. *De certitudinis gradu veritati Assumptionis*

¹ CAELESTINUS PIANA O. F. M., Assumptio Beatae Virginis Mariae apud Scriptores saec. XIII. In Coll. *Bibliotheca Mariana Medii Aevi = Textus et Disquisitiones.* = Fasc. IV, in-8 gr. XXXII-146 pp. Sibenici-Romae 1942.

² Adiungi potest Card. Henricus de Suze († 1271) qui, postquam retulit sententiam Innocentii IV, addit: « Hodie tamen, quod corpus Dominae nostrae assumptum sit, *communis opinio est*, et merito approbata, et beatus Augustinus hoc aperte dicit » (*Lectura super l. V Decretalium*, I, 2-5, ed. Argentin. 1512, fol. 6). Addi etiam potest Ubertinus de Casali (Cfr ZUGAJ M., O. F. M. Conv., *Assumptio B. M. V.* in « Arbor Vitae Crucifixae Iesu » (a. 1305) Fr. Urbetini de Casali, O. Min., in *Miscellanea Francescana*, 46 (1947) 124-156.

tributo (Gradus certitudinis determinatio; Difficultates contra certitudinem propositae; illustratio certitudinis gradus per analogias); 4. *De Corporis B. V. Mariae caelesti glorificatione* (de sede beatorum; eminentia B. V. Mariae super angelos et homines; gaudium allatum civibus supernis per Mariae Assumptionem); 5. *De influxu doctrinae auctorum nostrorum in posteris* (Influxus in Theologiam; influxus in artem).

« Theologia saec. XIII — concludit A. — magnam lucem immittit in veritatem Assumptionis Virginis » (p. 133). Et revera, doctrina assumptionistica saeculi XIII triplici ex capite a doctrina praecedentium saeculorum distinguitur, videlicet: 1) uberiori testimoniorum favorabilium copia, ita ut dici possit unanimiter tradita; 2) summa argumentationum veritatem Assumptionis comprobantium, ita ut theologia subsequentium saeculorum argumentis ab auctoribus saeculi XIII allatis parum addiderit; 3) pleno assensu eidem veritati tributo, ita ut auctores saeculi XIII quodcumque dubium de Assumptione B. Virginis ignorent.

SAEC. XIV assumptionem corpoream B. Virginis professi sunt: Dantes Aligherius († 1321),¹ Aureolus († 1322),² Franciscus de Mayronis († c. 1328),³ NICOLAUS LYRANUS († 1349),⁴ NICOLAUS PETRI, O.S.M.,⁵ THOMAS ab ARGENTINA O.E.S.A. († 1357),⁶ IOANNES DE IENZENSTEIN († 1400),⁷ et BALDUS DE UBALDIS († 1400) qui tenet quod negatio assumptionis corporeae « est proximum haeresi, quia solemnissimum festum fit de ascensione B. Virginis »;⁸ LAURENTIUS OPIMUS, O.S.M. († c. 1400), Episcopus Traguriensis, qui scribit: « Si quaeratur quare [B. Virgo] non fuerit liberata ab hac poena [mortis] sicut ab aliis, respondetur quod fuit duplex causa: prima, ut ex morte corporis fieret in ea corporis glorificatio ex resurrectione, et illa corporis glorificatio cum suis dotibus fieri non posset nisi praecederet mors corporis... »;⁹ MICHAËL AIGUANI O. C. († 1400);¹⁰ FRANCISCUS MARTINI O.C.¹¹

¹ *Divina Commedia*, Par. XXV, 127 s.

² *Tractatus de immaculata beatae Virginis conceptione*, c. VI, in *Bibl. franc. Medii aevi*, fasc. III, Quaracchi, 1904, p. 80.

³ *Sermones de laudibus Sanctorum*. Serm. 1 in festo Nativ. B. M. V., Basileae, 1498, fol. 112 v.

⁴ *Postillae maiores seu enarrationes in epistolas et evangelia totius anni*, Lugduni, 1569, p. 295.

⁵ *Sermones De Sanctis. Sermo I de Assumpt. B. M. V.*, Bononiae, 1501.

⁶ *In IV Sent.*, dist. 43, a. 4. Venetiis, 1564, f. 171 v.

⁷ *Cod. Vatic. latinus* 1122, fol. 46, apud *Fugie*, o. c., p. 403.

⁸ *Lectura super decretalibus*, l. 1, t. 2, c. 5, n. 10, ed. Lugdunensis, 1551.

⁹ *In IV Sent.*, l. 3, q. 3 coll., f. XI, 40, Venetiis, 1532.

¹⁰ Cfr XIBERTA B., O. C., *De scriptoribus scholasticis saec. XIV ex Ordine Carmelitarum*, Louvain, 1931, p. 384 s.

¹¹ XIBERTA, l. c., p. 461.

SAEC. XV strenui defensores assumptionis corporeae abundant. Praecipui sunt: S. VINCENTIUS FERRERIUS († 1419),¹ IOANNES GERSON († 1429) qui testatur: «generaliter Mariam virginem esse in paradiso in corpore et anima... modo tenetur»;² S. BERNARDINUS SENENSIS († 1444) qui testatur: «moderno tempore pie ab omnibus creditur et firmatur»;³ AMBROSIUS SPIERA, O.S.M. († 1455) qui firmiter asserit: «gloriosa in corpore et anima, in caelis fuit axaltata et cum Filio suo gloriose sublimata, *ut tenet fides nostra*»;⁴ S. ANTONIUS FLORENTINUS († 1459) qui scribit: «De Virgine gloriosa pie creditur ab omni Ecclesia et doctoribus in corpore et anima glorificata in caelis»,⁵ LEONARDUS DE UTINO, O.P. († 1469),⁶ DIONYSIUS CARTHUSIANUS († 1471),⁷ PELBARTUS DE TEMESVAR († 1483),⁸ ROBERTUS CARACCIOLIO († 1495),⁹ HIERONYMUS SAVONAROLA O. P. († 1498),¹⁰ GASPARINUS BORRO, O.S.M. († 1498)¹¹ et BERNARDINUS DE BUSTIS († 1500) qui 12 rationes convenientiae enumerat.¹²

Anno 1497, Facultas Theologica Sorbonensis, sequentem propositionem damnabat fratris Ioannis Morcelle: «Quarta propositio sequitur: Nos non temerur credere sub poena peccati mortalis, quod Virgo fuit assumpta in corpore et anima, quia non est articulus fidei. — Ut iacet, temeraria, scandalosa, impia, scilicet devotionis populi ad Virginem diminutiva, falsa et haeretica, ideo revocanda publice» (Cfr *Du Plessis D'Argentré*, Collectio iudiciorum de novis erroribus, t. I, Parisiis, 1728, p. II, p. 339). Et de facto fr. Ioannes de Morcelle publice propositionem suam revocavit in Ecclesia S. Benedicti, ubi sermonem habuerat.

Sectatores pseudo-Hieronymi

Praeter scriptores hucusque recensitos corporeae Deiparae Virginis assumptioni faventes et pseudo-Augustini vestigia sectantes, numerandi nunc sunt auctores illi qui, pseudo-Hieronymi vestigia sectantes, *incertitudinem* esprimunt

¹ *Sermones de Sanctis*. Sermo 67, *De Assumptione B. Mariae, Coloniae*, 1675, p. 428.

² *Sermo de conceptione beatae Mariae virginis, Opera*, Antuerpiae, 1706, t. 3, p. 1330.

³ *Sermones eximii*. Sermo 12, De assumptione gloriosae virginis Mariae, art. III, 1, Venetiis, 1745, t. 4, p. 122.

⁴ *Quadragesimale de floribus sapientiae*, Sermo 2, c. 2, cl. 3, v. 1. Cfr POKA A., O. S. M., *Doctrina Mariana in sermonibus Mag. Ambrosii Spiera*, Romae, 1943, p. 139.

⁵ *Summa Theol.*, p. IV, tit. 15, c. 43, § 3; c. 45, § 4, ed. Veron. 1740, coll. 1249, 1267.

⁶ *Sermones aurei*. Serm. 46, De Assumpt. B. M. V., 1495.

⁷ *De praeconio et dignitate Mariae*, art. 1, t. 35, *Opera*, Tournai, 1908, p. 566; *Enarr. in cap. II Cant. Cant.*, a. 5, t. 7, Montreuil, 1898, p. 327.

⁸ *Scellarium gloriosissimae Virginis*, l. 10, p. I, a. 3, Venetiis, 1586, ff. 165-167.

⁹ *Opus de laudibus Sanctorum*, Serm. 6, Venetiis, 1849, f. 345.

¹⁰ *Predica XVIII*, Venetia, 1520, p. 118.

¹¹ *Triumpho, sonetti canzon et laude de la gloriosa Madre de Dio Vergine Maria*, Brixiae, 1498, f. 39ss.

¹² *Mariale*, Serm. 1, p. VI, Brixiae, 1588, pp. 885-892.

relate ad hoc insigne Deiparae privilegium, quamvis quidam ex ipsis in partem favorabilem inclinent. Inserta enim fuit Epistola ps-Hieronymi officio divino.

Epistola haec circa assumptionem admonet, « ne forte si venerit in manus vestras illud apocryphum *De Transitu eiusdem Virginis*, dubia pro certis recipiatis: quod multi Latinorum pietatis amore, studio legendi charius amplectuntur: praesertim cum ex his nihil aliud experiri possit pro certo, nisi quod hodierna die gloriosa migravit a corpore. Monstratur autem sepulchrum... sed nunc vacuum esse mausoleum cernentibus ostenditur. Haec idcirco dixerim, quia multi nostrorum dubitant, utrum assumpta fuerit simul cum corpore, an abierit relicto corpore. Quomodo autem, vel quo tempore, aut a quibus personis sanctissimum corpus eius inde ablatum fuerit, vel ubi transpositum; utrumne resurrexit, nescitur; quamvis nonnulli astruere velint eam iam resuscitatam, et beata cum Christo immortalitate in caelestibus vestiri. Quod et de beato Ioanne Evangelista eius ministro, cui virgini a Christo Virgo commissa est, plurimi asseverant... Verumtamen quid horum verius censeatur, ambigimus. Melius tamen Deo totum, cui nihil impossibile est, committimus, quam ut aliquid temere definire velimus auctoritate nostra, quod non probemus... Quod (scilicet iam resuscitatam cum Christo regnare), quia Deo nihil est impossibile, nec nos de beata Maria Virgine factum abnuimus, quamquam propter cautelam (salva fide) pio magis desiderio opinari oporteat, quam inconsulte definire, quod sine periculo nescitur » (*Epistola 9, ad Paulam et Eustochium*, PL 30, 1231).

Scriptores qui pseudo-Hieronymum secuti sunt, sequentes numerantur.

MARTYROLOGIUM ADONIS (conscriptum Lugduni, 850-860), 8 Sept.: « Cuius (scilicet Beatae Virginis) dormitionem XVIII Kalend. Sept. omnis celebrat Ecclesia: cuius et sacrum corpus non invenitur supra terram: sic nec beati Moysi sepulchrum, quem sacra Scriptura dicit a Domino sepultum. Tamen pia mater Ecclesia, quae suis observationibus integerrima fide fundata consistit, eius venerabilem memoriam sic festivam agit, ut pro conditione carnis eam migrasse non dubitet. Ubi autem venerabile Spiritus Sancti templum illud, id est caro ipsius beatissimae Virginis Mariae divino nutu et consilio occultatum sit, magis eligit sobrietas Ecclesiae cum pietate nescire, quam aliquid frivolum et apocryphum inde tenendo docere. Sufficiunt enim ei ad sanctitatem et vitam Virginis et Matris Domini commendandam evangelistarum testimonia, nec de ea quaerere ultra necessarium putat ». Ab hoc martyrologio dependet Martyrologium Usuardi et Notkeri, in quibus similia inveniuntur; e. gr. Martyr. Usuardi, 15 Aug.: « Dormitio sanctae Dei Genitricis Mariae, cuius sacratissimum corpus etsi non invenitur super terram, tamen pia mater Ecclesia venerabilem eius memoriam sic festivam agit, ut pro conditione carnis eam migrasse non dubitet. Quo autem illud venerabile Spiritus Sancti templum nutu et consilio divino occultatum sit, plus elegit sobrietas Ecclesiae cum pietate nescire, quam aliquid frivolum et apocryphum inde tenendo docere » (PL 124, 365).

Ps.-HILDEPHONSUS (saec. IX vel X): « Descendit ergo sicut pluvia in vellus, quia caelestis imber, hoc est unda divinitatis virgineo velleri placido se infudit illapsu, quando Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. Nec sane illud omittere debemus, quod multi pietatis studio libentissime amplectuntur: eam hodierno die a filio suo Domino Iesu Christo ad caeli corporaliter sublevatam palatia. Quod licet pium sit credere, a nobis

tamen non debet affirmari, ne videamur dubia pro certis recipere » (*Serm. 6 de Assumpt. Mariae Virginis*, PL 96, 2661).

ATTO VERCELLENSIS († 960): « Corporis vero eius iam factam resurrectionem affirmare minime audemus, quia nec a sanctis Patribus hoc declaratum esse cognoscimus. Denique in valle Iosaphat eius sepulturae manet locus, ubi tamen eius non reperitur corpus. Sed qui de ea ineffabiliter carnem eduxit, ipse quid de eius sit corpore novit. Tamen *sive in corpore, sive extra corpus, super choros angelorum in caelis exaltatam confitemur*; si enim veraciter omnes iustos resurrecturos cum propriis corporibus quandoque credimus, eosque in aëra occursuros Deo, et sic semper postmodum cum ipso in nubibus mansuros confidimus secundum quod beatus Paulus ait apostolus; quid mirum si Matri per quemdam miserationis affectum Dominus anticipando praestitit, quod omnibus in fine saeculi sanctis donabit, cum mortalia corpora immortalitate induerit? Denique scriptum est: Alia claritas solis, alia lunae, alia stellarum: per claritatem namque solis resurrectionem Apostolus docuit Salvatoris... Per lunae intelligere possumus etiam Matris suae... Cum vero stellarum subiunxit, caeterorum sanctorum resurrectionem innotuit. Sequitur: Sicut stella a stella differt in claritate, sic et resurrectio mortuorum. Nam discretio vitae varietatem gignit resurrectionis. Poterat forte resurrectio Dei Genitricis praecedere aliorum anticipando, quos per vitae meritum in terris praecesserat vivendo. De morte quoque ipsius nullam fingamus dubietatem, quam et in sui filii cognovimus humanitate. Morti tamen succumbere diu non meruit, quam ex ea sumpta caro iam resurgendo devicit: nempe cuius filius caelos ascendit per maiestatem, matrem illuc assumere poterat per pietatem » (*Sermo 17 de Assumpt. B. Dei Gen. semper Virginis Mariae*, PL 134, 856).¹

GUIBERTUS ABB. S. MARIAE DE NOVIGENTO (1124): « Sed quid in iis diu verso cum tanta sit in totius sanctae Ecclesiae ore pudicitia, ut etiam Matris Dominicae corpus resurrectione glorificatum dicere non audeat, ob hoc videlicet quod necessariis argumentis comprobare non valeat? Et cum vas illud omni creatura post Filium praeclarius, quod Dominum maiestatis universorum contulit, quod numquam ulli ne angelicae quidem naturae licuerit, irremuneratum, inhonoratumve dimisisse ad experientiam corruptionis credere nefarium sit (praesertim cum quod corpori suo glorificando debuerit, materno corpori, ex quo est quod est, redhibere obnoxius sit), resuscitatam nequaquam dicere audemus, nec ob aliud profecto nisi quod probabilibus indiciis id asseverare non possumus. Etsi enim alias in dissertatione sacrae paginae ratio aliquoties sola conveniat, rationem autem adhibita Scripturarum in se exempla contineant, hic tamen etsi ratio eam ad integrum corpore resuscitato clarificatam opportunissima undecumque comportet, verum quia evidentia probamenta non suppetat, credere quidem de ipsa quidquid glorificatus est, etsi tacite possumus, neutiquam vero approbare valemus. Ratio plane procul dubio evidens videtur, ut cum multa quorumcumque sanctorum corpora cum eius Filio resurrexissent credantur, illa, cuius caro non altera quam Filii est, praesertim quae nulla patris nisi sola sancti Spiritus in conceptu eius fomenta cognoverit, quo-

¹ Attamen Atto Vercellensis, quemamodum Guibertus de Novigento, Alfredus Rievalensis et Ioannes Beletius = prout videdimus = aperte *inclinare* videntur in sententiam assumptioni corporae faventem.

modo sub legibus antiquae maledictionis singulariter electa protulerit, cum sine detrimento, si dicere audeam, carnis Filii esse non possit, si Matris carnem sub communi sorte dimiserit, et privilegium peregrinae carni contulerit, quod Matri suae, ipsius verae carni, negaverit? Latenter quidem id minime sentire vetamur, quia tamen testimonia non adiacent; asserere prohibemur » (*De sanctis et eorum pignoribus*, lib. 1, cap. 3, PL 156, 623 s.).

ARNALDUS BONAEEVALENSIS († 1156): « Postea vero (= post Pentecosten), Ioanne in eius obsequiis perseverante, non diu vocatione dilata, migravit ad Filium et angelis occurrentibus et deportantibus illam inclytam animam, assumpta est in caelum. *Utrum in corpore, an sine corpore*, nullius canonicae Scripturae definivit auctoritas, sed quomodoque sit, eam cum Christo esse dubium non est » (*De laudibus B. M. V.*, PL 189, 1732 s.).

IOANNES BELETIUS PARIENSIS († 1165): « Verum esse beatam Mariam, quod ad animam eius attinet, assumptam fuisse certo novimus; an vero corpus illius postea etiam assumptum fuerit, profecto incertum est. Pie tamen credimus ipsam integre fuisse assumptam, sed prius anima, ac deinde corpore. Nihilominus tamen mulier quaedam religiosissima appellata Elisabeth, quae etiam nunc in vivis est, habitatque in finibus Saxoniae, ait sibi esse revelatum, quod circiter dies quadraginta assumptum fuerit corpus post Assumptionem animae. De qua re opusculum quoddam composuit, sed non est in Romana Ecclesia comprobatum » (*Rationale divinatorum officiorum*, cap. 146, PL 202, 148).

ISAAC DE STELLA (1169): « De hodierna solemnitate, id est beatæ semper Virginis Assumptione, quid proprie dici queat, difficile invenitur. Patrum namque inclusi limitibus, quos praetergredi prohibitum est, nihil aliud definire audeamus, nisi quod hodierna die (sive cum corpore, sive sine corpore, nescio, Deus scit), non ad tempus rapta, nec ad tertium tantum caelum, si plures sunt caeli, sed ad perpetuum et felicem mansionem, ad summum caelorum assumpta sit. Assumpta quidem ab eo qui de ea carnem sumpsit in terris, cui soli eam subordinaret in caelis. Post ipsum etenim ventris sui fructum sic eam credimus ordinatam in caelis et locatam, vel si nondum adhuc surrexit, locandam, ut proxime post illius dilectam animam, et ipsius anima disponatur ad sapientiam; et post illius corpus, ipsius quoque corpus ad gloriam » (*Sermo 51, in Assumpt. B. Mariae*, PL 194, 1862).

AELREDUS ABBAS RJEVALLENSIS (1166): « Hodie invenit (Maria) quem diligit anima eius; quia, quamvis sit, sicut quidam credunt, etiam cum corpore assumpta in caelum, tamen ipsum corpus utique est factum spirituale, ut omnis ille amor, quo illa diligit Dominum suum, filium suum, non sit secundum carnem, sed secundum spiritum... Si auderem, dicerem, beatissimam Dei Genitricem Mariam carnem primo reliquisse, deinde in ipsa carne in aeternam vitam resurrexisse. Sed licet haec non audeam affirmare, quia non habeo, unde possim, si quis resistat, convincere; audeo tamen opinari: affirmare autem indubitanter audeo, quia hodierna die beata Virgo sive in corpore, sive extra corpus, nescio, Deus scit, caelum conscenderit, omnem illam caelestium civitatem mentis vivacitate circuierit » (*Sermo 18, in Assumpt. B. Mariae*, PL 195, 310, 315).¹

LUDOLPHUS CARTHUSIANUS: « Sic ergo non est credendum quod Maria mortua non fuerit, sed mortua est, ac tamen caro eius non computruit. Anima co-

niuncta est iterato corpori mortuo et ita assumpta est in caelum cum corpore glorificato. Vera autem et indubitata de eius assumptione sententia haec esse probatur, ut secundum Apostolum sive in corpore sive extra corpus *ignorantes* assumptam, tamen et exaltatam super omnes choros angelorum credamus » (*Vita Christi Domini Salvatoris*, p. II, c. 86: *de assumptione et laude beatæ Virginis*, ed. Venet. 1581, p. 744).

Horum dubiorum causae hae esse videntur: 1) quia quaerebatur et non inveniebatur (quia nec inveniri poterat) historica probatio facti assumptionis corporeae ab his qui illud viderant; 2) deficiens notitia theologiae graecæ de Assumptione quae aetate patristica iam completa dici poterat; 3) magnus timor adhaerendi apocryphorum fabulis communiter despectis et reiectis, in quibus Assumptionis factum narrabatur.

Uterius vero animadvertendum est quod auctores quidam qui de Assumptione dubia moverunt unus fere ab alio dependet, seu, melius omnes a *ps-Augustino* dependent, prout patet ex repetito modo dicendi: « *sive cum corpore, sive sine corpore, nescio, Deus scit* ». Quapropter dubia illa magnum momentum habere non videntur.

Alii scriptores, quamvis *certitudinem* assumptionis corporeae non admittant, illam tamen habent ut « probabilem » (ita Alanus ab Insulea, [† 1202], *Elucidatio in Cant. Cant.* c. I, PL 110, 64), ut « pie credendam » (ita Gulielmus Durandus a Mende, [† 1296], in *Rationale divinatorum officiorum*, l. 7, c. 24, ed. Venet. 1577, p. 294^v), ut « rationabiliorem » (ita Alfonsus Tostat, [† 1455], *In Ev. Matth.* c. XXII, *Opera*, t. 23, Venet. 1728, p. 136 s.).

Innocentius IV († 1254), ex eo quod circa assumptionem corpoream « sancti » « diversas opiniones » habent, concludit: « licitum est cuicumque quod vult dicere » (*Commentaria super libros quinque decretalium*, l. 1, t. 2, c. 5, n. 1, ed. Erfod. 1570, t. 2, c. 4). Idem omnino, post ipsum, asseruerunt canonistae Ioannes Andreae († 1348),¹ Franciscus Zabarella († 1417),² Ioannes Imolensis (1436)³ et Panormitanus,⁴ quorum testimonia referuntur a P. Jugie (o. c., p. 390).

Alii tandem, durante hac periodo, de assumptione corporea, forsitan consulto, *tacent*, aut modo vago loquuntur. Isti sunt: RADULPHUS ARDENS († p. a. 1101),⁵ S. ANSELMUS CANTUARIENSIS († 1109),⁶ ODILON ABBAS CLUNIACENSIS († 1049),⁷ EADMERUS CANTUARIENSIS († 1121),⁸ GODEFRIDUS VENDOMENSIS († 1132),⁹ HONORIUS AUGUSTODUNENSIS († 1136),¹⁰ ARNULPHUS LEXOVIENSIS († 1149),¹¹

¹ *Novella in Decretalia Gregorii IX*, l. 1, t. 2, c. 5, ed. Tridin. 1512, f. 8.

² *Lectura super primo Decretalium*, t. 2, c. 5, Lugd. 1568, f. 14.

³ *Commentaria in primum Decretalium* t. 2, c. 5, n. 4, ed. Venet. 1575, f. 23.

⁴ *Lectura in Decretales*, l. 1, t. 2, c. 5, ed. Rom. 1480.

⁵ PL 155, 1421-1430.

⁶ PL 158, 644-649.

⁷ PL 142, 1027 s.

⁸ PL 159, 572.

⁹ PL 157, 266-270.

¹⁰ PL 172, 991-993.

¹¹ PL 201, 167-172.

GARNIERUS LANGRENSIS († 1198),¹ ADAM ABBAS PERSENIAE († 1203),² quorum testimonia afferuntur a P. Jugie (o. c. p. 372; 366 s.).

IV. A saec. XVI ad dies nostros.

A) In Ecclesia Orientali.

Durante hac ultima periodo, sententia de assumptione corporea Deiparae, apud scriptores byzantinos et graeco-russiacos, *unanimiter* docetur. Testimonia eorum quorum nomina hic referuntur, legi possunt apud Jugie (o. c., p. 343-353).

SAEC. XVI: Damascenus Studita († 1577).³

SAEC. XVII: Cyrillus Lucaris († 1638),⁴ Leontius Karpovitch († 1620),⁵ Petrus Moghila († 1646),⁶ Elias Miniatis († 1714).⁷

SAEC. XVIII: Macarius Patmensis († 1737),⁸ Constantinus Dapontes († 1770),⁹ Dionysius Andrinopolitanus,¹⁰ Ioannes de Lindos († 1796),¹¹ Macarius Scordiles,¹² Ioasaph Cornilios,¹³ Nicephorus Théotokis († 1800),¹⁴ Nicodemus Hagiorites (1748-1809).¹⁵

SAEC. XIX: Constantinus Ch. Doukakès.¹⁶

Nostris diebus fidem Ecclesiae orthodoxae testantur in Graecia, Michaël I. Suliveros¹⁷ et in Russia Alexius Maltzev,¹⁸ Sergius Bulgakov¹⁹ etc.

¹ PL 205, 747-755.

² PL 211, 733-744.

³ *Thesaurus*, Athenis, 1893, p. 153.

⁴ Cfr KIMMEL E. I., *Monumenta fidei Ecclesiae orientalis*, t. 1, Iena, 1850, pp. 355 s.

⁵ Cfr Lectures de la Société impériale de l'histoire et des antiquités russes, établie à l'Université de Moscou, t. 1 (1878) 107.

⁶ Cfr MALVY A. et VILLER M., *La confession orthodoxe de Pierre Moghila*, Paris, 1927 (*Orientalia christiana*, t. 10) p. CXXVII.

⁷ *Διδαχαί καὶ λόγοι*, ed. Athen., 1920, p. 160.

⁸ *Εὐαγγελικὴ Σίλπιγξ*, Leipzig, 1758, pp. 259-263.

⁹ *Ἐγκόλπιον λογικόν*, Venetiis, 1770, p. 21.

¹⁰ *Ὅμιλῳιαι διάφοροι εἰς μερῆ διαιρεθεῖσαι*, Venetiis, 1777, p. 86; 88.

¹¹ *Τὸ ἱερὸν ἄσμα τῶν ἀσμιτῶν τοῦ σοφοῦ Σολομῶντος ἐξηγηθὲν*, Venetiis, 1785, pp. 89, 96-98, 106 s.

¹² *Βιβλίον περιέχον τὸν λόγον ἐγκωμιστικῶν καὶ πανηγυρικῶν εἰς ἐπίσημους δεσποτικὰς ἐορτὰς καὶ ἁγίων...*, Venetiis, 1797, p. 155.

¹³ *Λόγος πανηγυρικός καὶ ἐπιτίμιος*, Venetiis, 1788, p. 134. 135. 141.

¹⁴ *Λόγος εἰς τὴν ἁγίαν καὶ μεγάλην τεσσαρακοστὴν μετὰ καὶ τινῶν πανηγυρικῶν, ἐπιφωνηματικῶν καὶ ἐπιταφίων*, Jerosolymis, 2859, pp. 387-398.

¹⁵ *Κήπος χαρίτων*, Venetiis, 1819, p. 191.

¹⁶ *Μέγας Ἐυναξαρίστης...* Athenis, 1894.

¹⁷ In edition *Menaeorum*, a. 1904.

¹⁸ *Die Sakramente der orthodox-Katholischen Kirche des Morgenlandes*, Berlin, 1898, Op. XXI s.

¹⁹ *Essai d'explication dogmatique de certains points regardants le culte orthodoxe de la Mère*

B) *In Ecclesia Occidentali.*

A saeculo XVI ad die nostros, doctrina de corporea Deiparae assumptione *communis* est in universa Ecclesia, sive apud theologos, sive apud fideles. Crescit, apud scriptores occidentales cognitio scriptorum et traditionis orientalis. Surgit etiam critica historica, praesertim relate ad apocrypha. Lectiones pseudo-Hieronymi (in 2. nocturno festi) in scriptores sacros influere desinerunt et a S. Pio V, anno 1568, in sua reformatione liturgica, a Breviario Curiae Romanae expulsae, a lectionibus pseudo-Athanasii, assumptionem corpoream aperte docentis, substitutae fuerunt.¹ Anno vero 1584 etiam Martyrologium Usuardi a Martyrologio Cardinalis Baronii, iussu Gregorii XIII, substitutum fuit.²

Quidam tamen Protestantes saeculi XVI dubia circa corpoream assumptionem a catholicis inde a saeculo XIII superata, rursus renovarunt. Lutherus enim in sententiam negantem inclinavit.³ IOANNES RIVIVS assumptionem corpoream « verisimilem » habuit.⁴ BRENTIVS vero « cuique ut vult sentire permittit » illamque possibilem reputavit.⁵ CENTURIATORES MAGDEBURGENSES (Flaccius Illyricus, Wigand, Iudex et Faber) illam solidis fundamentis destitutam putarunt,

de Dieu, Paris, 1927, pp. 118, 122, 130, 176. Apud *Jugie*, o. c., pp. 357-359. Cfr etiam *L'Orthodoxie* (Collectio: *Les religions*) Paris, 1932, pp. 166 s.

Attamen A. I. Bulgakov (alius a praecedente) negat doctrinam de assumptione corporea *solidum fundamentum* habere (Cfr op. *Sur l'adoption d'un nouveau dogme dans le catholicisme romaine*, Kiev, 1903, ap. *Jugie*, o. c., p. 355.

¹ In nova emendatione Breviarii, sub Clemente VIII, loco lectionum pseudo-Athanasii, positae fuerunt lectiones homiliae secundae S. Ioannis Damasceni supra Dormitionem B. M. V. (quae positae fuerant a S. Pio V in prima die Octavae).

² Ecclesia Parisiensis iam antea (anno nempe 1540 vel 1549, Martyrologium Usuardi, pro die 15 augusti, mutavit, et longam lectionem posuit corpoream assumptionem Deiparae aperte asserentem. Contra hanc innovationem, in favorem Martyrologii Usuardi *incertitudinem* exprimentis, insurrexerunt CLAUDIUS JOLY († 1700), BERNARDUS CARPENTARIUS seu Iacobus Boileau († 1716) et praesertim IOANNES LAUNOY (1603-1678) in duobus opusculis, videlicet: « Iudicium de controversia super escribendo Parisiensis Ecclesiae martyrologio exorta » (Laon, 1670; Paris, 1671) et « Diversi generis errorum quae in "Vindiciis parthenicis,, [Nicolai Ladvoat Billad] extant specimen » (*Op. om.*, t. 1, pars I, pp. 84-107). In opusculis istis (a. 1689 in indicem librorum prohibitorum insertis), Launoy fortiter defendere conatur *incertitudinem* corporeae assumptionis ab Usuardo enunciatam.

Launoi sententiam plus minusve secuti sunt ALOYSIUS THOMASSIN († 1695), TILLEMONT († 1698) et PETRUS MARANT († 1812) professor Lovaniensis qui praesertim in notam *temeritatis* insurgit contra illos illatam qui *incertitudinem* profitentur circa corpoream Deiparae assumptionem. Contra Marant tota Universitas Catholica Lovaniensis insurrexit, pluresque illum scriptis refutarunt.

³ Cfr COCCIUS, *Theses Catholicae*.

⁴ Cfr S. PETRUS CANISIUS, *De Maria Virgine incomparabili*, l. 5, c. 5, apud BOURASSÉ *Summa aurea*, t. 9, col. 70).

⁵ *Ibid.* — BULLINGERUS tamen illam admisit (*Ibid.*).

et agnosticis potius quam hostilitatem contra ipsam demonstrarunt.¹ Catholici ergo, paucis exceptis qui *incertitudinem* professi sunt, comuniter tenuerunt, a saec. XVI ad dies nostros, corpoream B. Virginis in caelum assumptionem. At in *gradu certitudinis determinando* minime conveniunt. Quidam enim illam habent iam *de fide aut saltem fidei proximam*, ita ut qui illam negare audent, certo errent, haeresi proximos esse, et etiam haereticos esse (si non sensu canonico, sensu tamen theologico). Ad scriptores istos pertinent: Ambrosius Catharinus († 1553), Antonius a Corduba († 1578), Franciscus de Pitigianis († 1616), Aegidius a Praesentatione († 1628), Angelus Vulpes († 1647),² Ioannes Baptista Novati († 1648), Aloysius Crespi y Borja († 1663), Ioannes Antonius Velasquez († 1669), Ioannes a Carthagera († 1677), Thomas Fr. Urrutigoyti († 1682), Iacobus Gaudin († 1695) Nicolaus Billad, Claudius Frassen († 1711), Marcellinus Siuri († 1734) etc.³

Alii vero, magis moderati, tenent assumptionem corpoream esse certam, communem, ita ut qui illam reiiceret temerarius et scandalosus esset. Ad scriptores istos pertinent: Card. Caietanus († 1534), Melchior Cano († 1560), Dominicus Soto († 1560), S. Petrus Canisius († 1597), Suarez († 1611), Card. Caesar Baronius († 1607), Christophorus de Castro († 1615), S. Thomas a Villanova († 1555), S. Robertus Bellarmino († 1621), S. Franciscus Salesius († 1622), Card. De Lugo († 1660), Gerardus Baldi O.S.M. († 1660),⁴ Theophilus Rainaud († 1663), Christophorus de Vega († 1672), Laurentinus Brancati († 1693), Petrus Annat († 1715), Ioannes Martinez de Ripalda († 1727), Iacobus Hyacinthus Serry († 1738), Vincentius Gotti († 1742), Billuart († 1757), Card. Lambertini († 1758), P. Alexius Planch, O.S.M.,⁵ Ioannes Laurentius Berti († 1766), Io. Chrys. Trombelli († 1784), Petrus Philippus Strozzi († 1795), Constantinus Battini O.S.M. († 1832)⁶ etc.⁷

Post concilium Vaticanum, in quo de definienda assumptione corporea Deiparae inter plures Patres actum est, Theologi pertractare coeperunt quaestionem de eius *definibilitate*. Quamplures definibilitatem admiserunt, at diversimode. Pro quibusdam definibilitas haec est simpliciter *possibilis* (ita P. Terrien, Van Combrugghe, Rivière, Keuppens I., Merkelbach etc.).⁸ Pro aliis vero est probabilis (ita Van Noort-Verhaar, Lercher, Deneffe, Lennerz etc.).⁹ Pro aliis defini-

¹ *Ecclesiastica historia...*, ed. Basil. 1559, t. I, p. 280.

² Cfr CONTI G. M., O. F. M. Conv., L'Assunzione di Maria nell'opera Mariologica del P. M. Angelo Volpi, O. F. Min. Conv., in *Miscellanea Francescana*, 46 (1947) 105-123.

³ Textus legi possunt apud *Jugie*, o. c., p. 432 ss.

⁴ *Catholica Monarchia Christi*, P. I, L. IV, q. 3, pp. 4-6, Lucae, 1659.

⁵ *Vita B. M. V.*, Oeniponte 1762, p. 762.

⁶ *Theologia Dogmatica*, t. 4, Colle, 1837, p. 336.

⁷ Videas textus ap. *Jugie*, o. c., pp. 452 ss.

⁸ Videas textus apud *Jugie*, o. c., p. 473.

⁹ *Ibid.*

bilitas huiusmodi est *certa* (ita Scheeben, Ianssens L., Linden I., Hontheim, Mattiussi, Minges, Campana etc.).¹ Pro aliis tandem Assumptio est proxime definibilis (ita Gutberlet, Mannens, Pohle, Iaregui de Ocerin, Bover, Barroz Errasuriz etc.).² Istis, prout patet, accensendi sunt illi omnes qui tenent Assumptionem corpoream Deiparae iam esse *de fide*, cum sufficienter proposita sit ab ordinario Ecclesiae magisterio (ita Plantier, Monescillo, Crosta, Sachs, Card. Lépiciier, Bainvel, Wiederkehr etc.).³

Quidam tamen, quamvis negationem assumptionis corporeae *temerariam* habeant, de definibilitate tacent (ita Hurter, Tanquerey, Pesch, Van Noort, Tepe, Lottini, Hugon, Diekamp,⁴ Souben)⁵ etc.

Cum quaestione de definibilitate assumptionis corporeae, intime nectitur quaestio de modo quo veritas ista in Revelationis deposito contineatur. At etiam in hac quaestione non omnes conveniunt. Quidam enim defendunt revelationem *explicitam* sive in Scriptura (ita P. Buselli, Iannucci, Renaudin, Emmanuel II Ballon etc.),⁶ sive praesertim in traditione orali ad apostolos ipsos ascendente (ita Hyacinthus M. Martinez y Sáez, 113 Patres Concilii Vaticani, Iannucci, Januarius Ferrella, Bonazzi, Renaudin, Renuatus Michaud, Godts, Iannotta etc.).⁷ Alii, numerosiores, stant pro revelatione simpliciter *implicita, formali* (e. g. Hontheim, Deneffe, Müller, Merkelbach, et Professores Pont. Univ. Gregoriana in petitione diei 11 febr. 1934), vel *virtuali* (e. g. d'Alès).⁸

Assumptionis corporeae *definibilitatem* et etiam — prout videtur — *realitatem* ipsam, impugnavit nostris diebus (ab a. 1921 ad a. 1930) pluribus editis scriptis, Dr. Ioannes Ernst. Argumenta hucusque allata — iuxta Ernst — nihil aliud probarent nisi simplicem *probabilitatem* revelationis huius mysterii, minime vero *certitudinem*. Doctori Ernst adhaeserunt Bartmann (in *Theologie und Glaube* 1922, p. 39) et F. Gillmann (in *Archiv. für Katholisches Kirchenrecht*, t. 105, 1925, p. 475 ss.).⁹

¹ *Jugie*, o. c., p. 472.

² L. c., p. 472.

³ L. c., pp. 468-470.

⁴ L. c., pp. 465-467.

⁵ *Nouvelle Théol. dogmatique*, IV, ed. 3, Paris, 1902, p. 148.

⁶ *Jugie*, l. c. pp. 474-476.

⁷ L. c. pp. 478 s.

⁸ L. c. p. 481.

⁹ Simul cum elogiis sat amplis, dissensum aliquem expresserunt d'Alès (in *Etudes*, a. 1923, pp. 256-266), Rivière J. (in *Rev. des sciences*, t. 12, 1936, pp. 77-89). Contra opinionem D.ris Ernst dimicarunt Wiederkehr, Mattiussi, Godts, Iannotta, Campana, Gordillo, Minges etc.

Mentionem vix meretur opinio quaedam peregrina expressa in op. *Le vade mecum des prédicateurs* (ed. 4, 1917) iuxta quam assumptio corporea Deiparae esset non iam *factum dogmaticum* sed *factum mere historicum*, et ideo minime definibile, vel si definiatur, fieri posse tantummodo obiectum *fidei ecclesiasticae* non vero *fidei divino-catholicae*. Contra hanc temerariam opinionem surrexit *L'Ami du Clergé*, a. 1931, p. 806.

V. De motu pro definitione dogmatica.

Circa medium saeculum XVIII oriri coepit motus pro assumptione corporea B. M. V. dogmatice definienda. Primus qui a Summo Pontifice huiusmodi solemnem definitionem petiit, videtur fuisse Servus Dei P. Caesarius M. Shguanin (1692-1769), Ordinis Servorum Mariae, eximiae sanctitatis et scientiae vir, qui mortuus est, ut ferunt, Cardinalis reservatus «in pectore». In supplici quodam libello ad Clementem XIII directum, illum hortatus est ad assumptionem Deiparae «in anima et corpore» «tamquam dogma fidei certissimae» definiendam, prout apparet ex volumine quodam manuscripto in Archivo Generali Ordinis Servorum Mariae asservato. Summus Pontifex rem commisit Supremae Congregationi S. Officii.¹

Post integrum saeculum, anno scilicet 1849, eadem supplicatio renovata fuit a Card. Sterkx, Archiepiscopo Mechliniensi et ab Exc.mo Sanchez, Ep. Oxomensis in Hispania, in responsione ad Epistolam Pii IX circa definibilitatem Immaculatae Conceptionis B. M. V.²

Motus intensior ortus est anno 1863, cum Elisabeth, Hispaniae Regina, a B. Antonio M. Claret confessario mota, etiam nomine Regis, solemnem definitionem a Pio IX postulabat. Petitioni Reginae, Epistola Nuntii Apostolici ad S. Pontificem adnexa erat. Alias simul petitiones Romam miserunt Nobiles quaedam aulae regiae Dominae nec non viri omnium civitatis ordinum.³ Pius IX summa benignitate ita Reginae respondit: «Dubium non est, quin Assumptio eo modo, quo a fidelium communitate creditur, ex Conceptione Immaculata consequatur; at omnibus rebus suum stabilitum est tempus neque Ego Me dignum instrumentum publicandi tamquam dogma hoc quoque alterum mysterium aestimo. Veniet tempus, quo sanctis Maiestatis Vestrae desideriis satisfiet, sed interea preces continuari convenit».⁴

Occasione Concilii Vaticani (a Pio IX indicti die 29 iunii 1868 et die 8 Dec. 1869 initi) catholici permulti et Episcopi plures votum emiserunt pro definitione dogmatica Assumptionis.⁵ Die 8 Ianuarii 1870, Exc.mus Monescillo, Episcopus Ginnensis in Hispania (postea Card. Archiepiscopus Toletanus) petiit a Concilio Vaticano ut Assumptio B. M. V. tamquam fidei dogma in Concilio «accla-

¹ Cfr ROSCHINI G., Verso la definizione dogmatica dell'Assunzione, in *Ecclesia*, 5 (1946) 366.

² *Petitiones*, II, 1056.

³ Cfr L. AUGUSTI PANELLA, C. M. F., La Virgen en el Misterio de la Asunción, Madrid, 1931, pp. 177 s.

Eodem anno Fr. Remigius Busnelli O. F. M., Summo Pontifici remisit opus a se editum circa definibilitatem assumptionis.

⁴ *Petitiones*, II, 883; 576.

⁵ Cfr *Civiltà Cattolica*, ser. 7, v. 5, p. 352.

maretur ». ¹ Duo Concilia particularia, Quitense (Provinciale) videlicet et Smyrnense (plenarium) propter Concilium Oecumenicum indicta, petitiones pro dogmatica definitione Assumptionis Romam miserunt. ²

Haud parum aluit pium hunc motum in favorem definitionis Aloysius Vaccari, O. S. B. Parochus S. Pauli de Urbe, postea vero (paulo post Concilium Vaticanum, die 22 dec. 1871) Episcopus tit. Sinopensis et Coadiutor cum iure successione Episcopi Nicoterensis et Tropiensis. Episcopus iste totam fere vitam Assumptionis causae consecravit, verbis scriptis et opere. Ipse enim Patribus Concilii Vaticani subscribendum proposuit *Postulatum* pro definitione Assumptionis. *Postulatum* hoc, a 178 Patribus subscriptum, postea a Card. Dusmet O. S. B., Archiep. Catanensi et ab Exc.mo Idéo O. P., Ep. Liparensi, Patribus omnibus Concilii praesentatum fuit. ³ Etiam P. Busnelli O. F. M. totis viribus Patribus Concilii adfuit ut definitionem promoverent. ⁴

Non obstante oppositione ex parte Exc.mi Dupauloup in Gallia et Döllinger in Germania, valde probabiliter Concilium Vaticanum definitionem dogmaticam Assumptionis emisisset nisi bellum inter Germaniam et Galliam exortum quamplures Episcopos Romam relinquere et Concilium prorogare compulisset.

At motus pro definitione Assumptionis minime cessavit. Exc.mus Vaccari, in Epistola quadam die 7 ianuarii 1880 ad Directorem Diarii *L'Unità Cattolica* missa, universum catholicum orbem hortatus est ad definitionem a Sede Apostolica postulandam. Hac forsitan exortatione permotus, Doctor Alfonsus Travaglini, in Italia meridionali subscriptiones quamplurimas in volumine quodam collegit et Leoni XIII, a. 1878 (vel potius 1880) per manus Exc.mi Filippi, Arch. Aquilani, obtulit. Aliud vero volumen subscriptiones 25000 fidelium complectens oblatum fuit Summo Pontifici, a. 1880, ex parte sacerdotum et fidelium Dioeceseos Tlascalensis seu Angelorum (Puebla de los Angeles) in Mexico. ⁵ At S. Officium (die 19 februarii 1880), gravibus rationibus motus, consideratis temporum condicionibus, actionem illam inopportunam declaravit, et Exc.mo Vaccari illam continuari vetuit. ⁶ Anno tamen 1888, I. A. Lucero, Ep. S. Caroli Aucudiae (in Republ. Cilena), in sua visitatione « ad limina », Leoni XIII « Memoriale » quoddam typis impressum obtulit quo definitio Assumptionis petebatur eiusque definibilitas argumentis probabatur. ⁷

¹ *Petitiones*, t. I, pp. 110 s.

² L. c., pp. 172 s.; 162-167.

³ L. c., II, 908-914.

⁴ Cfr ANDRÉS, *L'Asunción de la Virgen. Algo de historia*, in *El Pan de los Pobres*, 1919, pp. 197-202.

⁵ L. c., II, pp. 929 ss.

⁶ L. c., pp. 925 ss.

⁷ L. c., p. 932.

Ineunte saeculo xx, annis 1902-1903, fere ex inopinato, novus motus ortus est in Gallia in favorem definitionis assumptionis, opera praesertim Abbatis Renaudin, O. S. B. Motus iste celeriter sese extendit ad Hispaniam, Lusitaniam, Italiam, Brasiliam (opera Comitissae d'Eu, ultimi imperatoris Brasiliensis filiae), Equatorem, Mexicum, Columbianam, Peruviam, Paraguai, Canadam et Statos Federatos Americae Septentrionalis.

In Gallia erectus fuit « Secretariatatus » quidam pro organizatione motus. In Congressu Mariano Lugdunensi votum in favorem definitionis dogmaticae assumptionis emissum est et Leoni XIII transmissum.

In Hispania, Exc.mus Spinola y Maestre, Archiep. Hispalensis, praeter Epistolam pastorem ad fideles suos directam (30 aug. 1900), « Commissionem Dioecesanam » instituebat ad promovendum in sua Dioecesi et universa Hispania motum in favorem definitionis. Brevi tempore duo magna volumina (73.000 subscriptiones continentia) oblata fuerunt Leoni XIII. Duo volumina subscriptionum oblata fuerunt eidem S. Pontifici a Dioecesibus Pacensi (Bajoz: 23.000 subscr.) et Vicensi (Vich: 40.000 subscr.) etc.

In Italia, praecipuus huius motus promotor fuit Servus Dei Batholomaeus Longo († 1926), Sanctuarii Pompeiani fundator, audito consilio praesertim Exc.mi Casimiri Gennari, tunc temporis S. Officii Adessoris (paulo post, die 15 apr. 1901 Cardinalis).¹ Bartholomaeus Longo, mense Ian. a. 1901 iam 120 Episcoporum vota collegerat ac per Exc.mum Gennari Leoni XIII praesentaverat, qui in archivo S. Officii « diligenter servari iussit ». Die vero 15 augusti 1901, B. Longo « Librum Album », uti aiunt, in Basilica Pompeiana exposuit ad peregrinorum subscriptiones excipiendas in favorem definitionis praefatae. Ipsius opera XVIII Conventus Nationalis Italicus Tarenti diebus 2-7 sept. 1901 celebratus, votum emisit pro assumptionis definitione, « 2 Cardinalibus, 32 archiepiscopis atque Episcopis » nec non tribus millibus fidelium approbantibus». ¹ Opera insuper Clini Crosta, Canonici Comensis, institutum fuit in Italia « Comitatus » quidam generalis ad motum assumptionisticum propagandum, simul cum aliis « Comitatus » particularibus in praecipuis Italiae urbibus erectis. Card. Ioseph Sarto, Patriarca Venetiarum, die 21 iunii 1902 (anno antequam Petri Cathedram ascenderet) « Comitatum assumptionisticum » Venetiis instituit et petitioni definitionis subscripsit. ²

Opera praesertim Abbatis Renaudin et Sororum a Visitatione Monasterii Cenomanensis (Le Mans), motus assumptionisticus, ineunte saeculo xx, in Missionibus Asiae, Africae et Oceaniae propagari coepit. Anno 1902, omnes Episcopi Iaponiae petitioni subscripserunt. Etiam 100.000 fideles Brasilienses votis suis solemnem definitionem a S. Sede sollicitarunt.

¹ L. c., p. 944.

² Cfr *L'Assunta*, 12 (1928) 28.

Ab anno 1902 ad a. 1906, magna quaedam reactio, ex parte modernistarum (Minocchi, in Italia et Boudinhon in Gallia) contra motum assumptionisticum orta est. Et haec ratio fuit cur Conventus Internationalis Marianus Friburgi in Helvetia diebus 18-21 augusti celebratus, a voto pro definitione dogmatica Assumptionis se abstinuit, quamvis quamplurimi per Epistolas (20.000) id ardentem petissent, hortantibus B. Longo et Clino Crosta. Idem fecit Conventus Internationalis Marianus Romae anno 1904 celebratus. ¹

Attamen motus assumptionisticus pluribus in partibus (in Italia, in Hispania, in Belgio, in America Latina et in Oriente) progredi non destitit.

In Italia, Episcopi omnes Regionis Lucano-Salernitanae, in Episcopalibus Conventibus Nuceriae Paganorum mense decembri 1902 celebratis, definitionem expostularunt. ² Die 15 Octobris 1903, omnes Episcopi Provinciae Ecclesiasticae Beneventanae in Sanctuario Montis Virginis prope Abellinum a Metropolita B. Bonazzi O. S. B. congregati, idem fecerunt. Exc. mus vero Bonazzi, ineunte anno 1904, in « Academia Religionis Catholicae » Romae publicam Dissertationem habuit circa definibilitatem Assumptionis. ³ Die vero 22 iunii 1904, omnes Episcopi Regionis Picenae, in Aede Lauretana congregati, idem pariter fecerunt. ⁴

Die 31 maii 1903, P. Iacuzio, Ep. Caputaquensis-Vallensis, 5.825 subscriptiones fidelium Romam misit. ⁵

In Hispania, in Primo Conventu Hispano-Americano Congregationum Marianarum Barcinone diebus 22-27 nov. 1904 celebrato, votum pro definitione Assumptionis emissum est. In eadem Archidioecesi Barcinonensi, annis 1901-1903, 115.000 fidelium subscriptiones collectae fuerunt et Romam missae. ⁶ Anno vero 1905, occasione solemnitatum coronationis D. N. a Columna, plures fidelium subscriptiones collectae fuerunt, inter quas eminet subscriptio Mariae Christianae, Reginae-Matris. Eodem anno 1905, I. Muñoz de Herrera, Ep. Malacitanus, 36.000 subscriptiones fidelium suae dioeceseos Roman mittebat. ⁷

In Belgio, in Conventu Mariano Dioecesis Namurcensis anni 1904, votum pro definitione Assumptionis emissum est. ⁸

In America Latina quamplures motui assumptionistico adhaeserunt. In Mexico, die 4 oct. omnes Episcopi Argentinae Reipublicae a S. Sede definitionem Assumptionis postulaverunt; die vero 14 dec. anni 1904, omnes Praesules Mexi-

¹ *Petitiones*, II, pp. 950 s.

² L. c., I, 225-228.

³ L. c.; 202 s., 384-397.

⁴ L. c., 232-234.

⁵ L. c., II, 956.

⁶ L. c., II, 955 s.

⁷ L. c., I, 641-643; II, 956.

⁸ L. c., II, 551; 956.

canae nationis idem « instanter, instantius, instantissime » petierunt simulque Commentarium Prof. I. Sáenz Arciga circa definibilitatem assumptionis ad S. Sedem miserunt.¹ *Congregatio* vero *Mariana* urbis Mexici, annis 1905 et 1906 septem volumina subscriptionum (150.000) in 11 dioecibus collectarum Sedi Apostolicae obtulit.² In Republica Aequatoriana brevi tempore 50.000 circiter subscriptiones collectae et die 1 decembris 1905 Pio X praesentatae fuerunt.³ In Columbia, die 1 iulii a. 1903, Ezechiel Moreno, Ep. Pastopolitanus, petitionem collectivam 13.000 fidelium Romam mittebat.⁴ Ex Archidioecesi S. Iacobi Cileni, die 3 iulii 1903, 1.473 fidelium petitiones ad S. Pontificem delatae fuerunt. Idem fecerunt die 8 dec. 1903 omnes Episcopi Peruviani.⁵

In Oriente, a. 1903, Episcopatus unitus Ritus Chaldaeorum definitionem a S. Sede postulavit.⁶ Conventus Internationales Mariani Einsiedlensis (1906), Salisburgensis (1910) et Trevirensis (1912) nec non Conventus Marianus Dioecesanus Ebroicensis (Evreu, a. 1906), Conventus Regionalis Congregationum Marianarum in Aragonia diebus 16-20 dec. 1906, celebratus, Conventus Nationales Mariani in Abbatia Averbode (a. 1910) et Mosaetraiecti (a. 1912) celebrati, votum emiserunt pro dogmatica Assumptionis definitione. Annis 1907-1908, circiter 250.000 subscriptiones in Hispania collectae fuerunt. Circa idem tempus, Episcopi Lusitaniae fervidas preces Pio X obtulerunt pro eadem dogmatica definitione. In Italia Septentrionali, a. 1913, 6.000 Socii « Unionum agricolarum et operariorum catholicorum » dioecesis Vicetinae, in Sanctuario Montis Berici adunati, votum pro definitione subscripserunt.

Attamen ferunt Pium X, quodam die de definitione dogmatica agens, dixisse: « adhuc multis et seriis studiis opus est ». ⁷ Pontificis sapientissimum monitum theologos plures ad argumentum profundius pertractandum efficaciter impulit.

Ab a. 1914 ad a. 1920, tempore magni belli, paucae petitiones Romam delatae fuerunt. Habentur tamen petitio collectiva Episcoporum, Magistratum et fidelium Columbiae (a. 1916), nec non petitio collectiva Episcoporum veteris Imperii Austriae (a. 1917) sub forma dissertationis dogmaticae (cfr t. I, p. 186-202; 968). Surgebant insuper duae Ephemerides: *L'Assunta* (Comi, a. 1916 opera Can. Crosta) et *L'Assomption* (in Gallia, a. 1918, opera Can. I.-C. Broussolle). Can. Crosta instituebat etiam associationem « Ancillarum B. M. V. Assumptae » ad motum assumptionisticum promovendum.

¹ L. c., I, 270 s.; II, 526-534..

² L. c., II, 954.

³ L. c., 954 s.

⁴ L. c., I, 738 s.

⁵ L. c., II, 955.

⁶ L. c., I, 81 s; 246 s.

⁷ Cfr *La Ciudad de María*, 18 oct. 1908.

Benedictus XV Canonico Crosta dixit se ordinasse ut post bellum studia de Assumptione resumerentur. Putabat tamen definitionem illam minime necessariam fuisse cum fideles omnes id firmiter crederent.¹

Ab a. 1921 ad dies nostros, motus assumptionisticus mirabiliter propagatus est. Primus Congressus Pan-Americanus Congregationum Marianarum in urbe S. Iacobi in Chile a. 1921 adunatus, certamen inter theologos indixit super argumento: « Quibus fundamentis theologicis nisus Congressus definitionem dogmaticam assumptionis¹ corporeae B. M. V. a S. Sede implorare valeat ».

Anno 1925 Bartholomaeus Longo novum motum pro definitione Assumptionis inchoavit et 508.743 subscriptiones obtinuit, in 12 voluminibus collectas. Motus iste, ob mortem B. Longo interruptus, continuatus fuit a « Comitatu Assumptionistico Veronense » a Raphaële Asaro et ab Amedeo Balzaro excitato. Motus iste, maximus inter omnes motus assumptionisticos, bis a Pio XI benedictus fuit. Anno 1937 Comitatus iste 60 volumina Summo Pontifici praesentavit ubi vota inveniebantur 20 Cardinalium, 5 Patriarcarum, 709 Archiepiscoporum et Episcoporum, duorum millionum sacerdotum, religiosorum et fidelium nec non adhaesiones collectivae 32 Conventuum, Synodorum etc.

Annis 1932-1933, novus motus in favorem Assumptionis excitatus est a P. Matthaeo Crawley C. SS. CC., et collectae fuerunt 500.000 subscriptiones. Secretariatus Generalis Congregationum Marianarum 557.708 subscriptiones S. Sedi praesentabat.

Praefatis motibus assumptionisticis internationalibus, adiungendi sunt alii motus aut « Plebiscita Mariana » Nationalia orta in Hispania, in Helvetia et in Canada. Sex nationes (Italia, Lusitania, Aequator, Brasilia, Sina et Peruvium) in eorum Conventibus Nationalibus, votum pro definienda Assumptione emiserunt. Etiam Concilium plenarium Poloniae (1936), Concilia Provincialia Nicaraguense (1934), Chilenum (1939) idem fecerunt. Conventus etiam assumptionistici Nannetensis (Nantes, 1924), Covadongensis (1926), Hispalensis (1929), Tongerloo (1934) et Caesaraugustanus (1940) rem scientificè pertractarunt. Ita factum est ut ab a. 1921 ad a. 1940 6.471.000 subscriptionum haberentur, dum ab a. 1863 ad a. 1921 solummodo 1.615.000 habitae fuerant.

Anno vero 1944, Summus Pontifex Pius XII facultatem concedebat publici iuri faciendi petitiones omnes de Assumptione corporea quae in Archivo secreto S. Officii asservabantur: quod Patres Hentrich et de Moos S. I. egregie praestiterunt. Die vero 1 mensis Maii anni 1946, idem Summus Pontifex practice repetens id quod pro definitione Immaculatae Conceptionis fecerat Pius IX die 2 februarii 1849, litteras Encyclicas ad universos orbis catholici Episcopos mittebat ad hoc ut mentem propriam circa definibilitatem assumptionis corporeae libere aperirent.

¹ Cfr *Civ. Catt.*, a. 76 (1925) vol. I, p. 234.

Scimus maximam Episcoporum partem favorabiliter Romano Pontifici respondisse. Universus igitur catholicus orbis ad pedes Pastoris supremi infallibilitatis charismate insigniti, una voce unoque corde dicere videtur: « Et nunc, Petre, doce nos! ». Petri vero responsio — prout ex pluribus indiciis apparet — cito veniet et non tardabit, inenarrabili gaudio filiorum Ecclesiae et Mariae corda repletura.

IV. Probatur: Rationibus theologicis.¹

Rationes istae, quae convenientiam ostendunt, ex triplici capite sumi possunt, videlicet: I) ex parte Christi; II) ex parte B. Virginis, et III) ex parte nostri.

I) **Ex parte Christi:** 1) *Ratione gloriae eius.* Etenim « gloria filiorum patres [et etiam matres] eorum » (Prov., 17, 6). Iamvero Christus non satis proprio honori consulisset si corpus matris suae, ex qua humanam carnem vere realiterque sumpserat, in sepulcro corrupendum reliquisset. Bene vero suae gloriae consulisset si ponamus illud statim a morte resurgere fecisse, vel immediate in anima et corpore ad caelum transtulisse.

2) *Ratione pietatis filialis.* Filius enim matrem suam diligere tenetur. Iamvero Christus non satis filiali amori erga matrem suam consulisset, si corpus eius in sepulcro reliquisset. Eo vel magis quod amor est *unitivus*, et ideo Christus sinere non poterat ut dum anima matris suae sibi unita in coelis esset, eius corpus (quod ad personae constitutionem requiritur) tam longe ab eo, in sepulcro, abesse pateretur. Postulabat ergo amor eius matris immediatam resurrectionem et in coelum assumptionem.

3) *Ratione maiorum privilegiorum Matri suae collatorum.* Etenim: Qui dat maiora, non recusat minora. Atqui Christus Matri suae maiora dedit. Ergo...

Ad min. Christus enim, qui in sua nativitate magnum miraculum fecit ne matris *corporalem* integritatem laederet; non poterat id quod est minus negare, i. e. impedire quod mors *integritatem ipsius corporalem*, per corruptionem sepulcri laederet, anticipando pro ipsa miraculum resurrectionis corporalis. Virginitas, scribebat Bossuet, « est comme une baume divin qui préserve de corruption le Corps de Marie; et vous en serez convaincus, si vous méditez attentivement quelle a été la perfection de sa pureté virginal » (Serm. I *pour la fête de l'Assomption.* 2 point).²

¹ S. BERNARDINUS SENENSIS, septem saltem rationes theologicas adducit, videlicet: 1) propter unitatem carnis, 2) propter incorruptibilitatem, 3) propter honorabilitatem, 4) propter dignitatem et sanctitatem, 6) propter aequitatem, 7) propter integritatem beatitudinis (*Sermo de Assumpt.*, art. 3, cap. 1, edit. 1745, t. 4, p. 123, col. 1).

² Patres et Scriptores qui Assumptionem ex *virginitate* arguunt sunt: S. IOANNES DAM., PG 96, 716; S. GREGORIUS NYSS., PG 46, 377; S. ANDREAS CRET., PG 97, 1081; S. ANSELMUS, PL 158, 966; HUGO A S. VICTORE, PL 177, 807; PETRUS BLES., PL 207, 664; S. BERNARDINUS

II) **Ex parte B. Virginis:** 1) *Ratione conformitatis cum Filio.* Cuilibet fere mysterio Christi consociata est mater eius; conveniens ergo erat ut etiam in resurrectione, ascensione et coronatione Ipsi conformaretur (cfr NICOLAS, *La Vergine secondo il Vangelo*, c. 22).

2) *Ratione consanguineitatis cum Christo.* Etenim, caro Christi, originative, caro est Mariae. Conveniens ergo erat quod caro Mariae, ex qua caro Christi sumpta est, non corrumperetur, sed gloriose resurgeret. « Videbatur Christo quod non totus ascendisset in caelum donec illam ad se traxisset de cuius carne et sanguine traxerat corpus suum » (PETRUS BLESENSIS, PL 207, 662).¹

3) *Ratione realis relationis personae Virginis ad personam Christi, quae est Vita.* Persona enim Virginis realem relationem habuit ad personam Christi, quae est Vita et principium vitae. Persona autem nedum anima sed etiam corpore constituitur, ideoque B. Virgo quoad animam et quoad corpus realem et perennem relationem habuit ad Christum seu ad Vitam ipsam. Porro inconveniens fuisset quod corpus Virginis, reali et perenni relatione ad Christum seu ad Vitam ipsam ligatum, vinculis mortis detentum fuisset.²

4) *Ex signo:* « Ex eo quod reliquiae corporis eius non inveniuntur. Si corpora aliorum sanctorum et reliquias, quae latebant, Deus revelavit, ut patet de B. Stephano, de Beatis Gervasio et Protasio, et multis aliis, sicut historiae tradunt,

SEN., l. c.; S. ANTONINUS FLOR., *S. Th.*, p. IV, tit. 5, c. 43, p. 3; S. ROBERTUS BELLARMINO, *Concio* 40.

Scribit LENNERZ: « Veritas explicite revelata, cum qua assumptio B. Virginis in traditione frequenter coniuncta apparet, est eius virginitas. Corpori ex quo corpus Filii Dei efformandum erat, specialis convenit integritas. Per se integritas corporalis varios gradus admittit. Explicite revelata sine dubio ea integritas est, qua omnis laesio virginitatis excluditur. Si autem constat corpus B. Virginis in sepulcro non esse resolutum et brevi post mortem cum anima iterum coniunctum, et si hoc probabiliter revelatum est formaliter, facile ista revelatio intelligi potest, ut ea non solam laesionem virginitatis excludat, sed sensu ampliore intelligenda sit etiam de incorruptione corporis post mortem et de illius unione cum anima. Quod si ita est, dicendum est in revelatione virginitatis explicite revelatam esse illam integritatem, quae laesionem virginitatis excludit, implicite autem eam integritatem, quae resolutionem corporis in sepulcris, permanentiam in morte excludit » (o. c., p. 107).

At, si bene attendatur, ex revelatione *integritatis* virginalis, *necessario* sequitur tantummodo *incorruptio* corporis virginalis, non vero eiusdem corporis *resurrectio*, saltem *necessario*, sed tantummodo per *summam convenientiam*. Haec tamen summa convenientia *fit certitudo* si cum aliis argumentis coniungatur.

¹ Patres et Scriptores qui Assumptionem ex consanguineitate arguunt sunt: PETRUS BLES., S. BERN. SEN., S. ANTONINUS FLOR., l. c.; HILDEB., PL 171, 630; NICOLAUS LVR., *Postillae maiores*; LUDOVIC. GRAN., *Medit.*, c. 24; SUAREZ, l. c.; S. FRANCISCUS SAL., *Serm.* 15, Août 1602; CONTENSON, *Theol. ment. et cord.*, l. 10, d. 6, c. 1, a. 8; MASSILLON, *Serm.*

² Patres et Scriptores qui ex hoc Assumptionem deduxerunt sunt: S. MODESTUS, PG 86, 3292; S. ANDREAS CRET., PG 98, 348; S. IOANNES DAM., PG 96, 716; S. GERMANUS CONST., PG 98, 348; PETRUS BLES., PL 207, 662.

illas sacras reliquias et sanctissimum corpus ut eis debita impenderetur reverentia, et honor exhiberetur, Dominus non revelasset? Signum est igitur et argumentum quod nusquam remansit in terris » (S. BERNARDINUS SEN., *Serm. de Assumpt.*, art. 3, c. 1). Hoc modo arguunt etiam: NICOLAUS LYR., *Postillae maiores*, S. ANTONINUS, *S. Th.*, p. IV, t. 5, c. 43, par. 3; ABSALON SPRINCKIRSBAC., PL 211, 256; LEON. UBIN., *Serm.* 46; SUAREZ, l. c., S. ROBERTUS BELLARMINO, l. c.

« Tam pretiosum thesaurum — ait ps.-Augustinus — dignius est caelum servare quam terra » (*De Assumpt.*, c. 6, PL 40, 1140).

5) *Ratione immunitatis a peccato originali.* Ratione enim huius praeservationis, B. Virgo in statu illo posita erat in quo inveniebatur Adam ante peccatum, cum omnibus donis supernaturalibus et praeternaturalibus (excepto dono *impassibilitatis*, eo quod passibilitas a conditione et munere Corredemptricis exposcebatur). Atqui si Adam obiisset ante peccatum, immediate translatum fuisset in caelum, quin per mortem pertransiret. Ergo et Deipara, immediate debuit in caelum transferri, quin per mortem pertransiret (vel, si mors eius ponatur, utpote a missione Corredemptricis requisita, debuit statim a morte resurgere). Nihil enim quod est peccati in Deipara Immaculata poni debet.¹

Ex hoc patet quomodo Assumptio *formaliter implicite* in veritate Immaculatae Conceptionis inveniatur. Deducitur enim ex duobus veritatibus *formaliter explicite* revelatis, i. e.: ex veritate Immaculatae Conceptionis et ex veritate immediatae translationis Adae in caelum, si non peccasset (Gen. 2, 17).

6) *Ratione comparationis cum aliis iustis.* Quod conceditur aliis, non debet Deiparae negari. Atqui aliis privilegium anticipatae resurrectionis concessum est, vel immediatae translationis in caelum, absque morte, concedetur. Ergo anticipata resurrectio (si B. Virgo est mortua) vel immediata in caelum translatio (si Deipara non est mortua) B. Virgini neganda non est.

Ad Min. Plura enim, teste S. Matthaeo (28, 51-53), Sanctorum corpora, simul cum Christo, surrexerunt et apparuerunt multis.

Alii vero iusti, in fine mundi, mortem effugient et immediate, absque morte, in caelum transferentur, prout apparet ex Ep. I ad Thessal., 4, 13-17, ex Ep. I ad Cor. et ex Act. 12, 32 ubi dicitur Iesus venturus *iudicare vivos et mortuos*. Hoc admittunt praecipui hodierni exegetae.²

¹ Nec dicatur mortem esse *naturalem* pro homine. Esset naturale in *alio ordine*, a praesenti ordine diverso, non vero *in praesenti ordine*, in quo est et remanet semper poena peccati, prout definivit Concilium Arausicanum II, de quo diximus p. 223.

² Ut falsa communiter habetur lectio Vulgatae: « Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur » (1 Cor., 15, 51). Lectio: « Non omnes morientur, sed omnes immutabimur » habetur hodie unanimiter tamquam certa.

III) **Ex parte nostra:** 1) *Ratione existimationis et fiduciae.* Per gloriosam enim Deiparae Assumptionem existimatio et fiducia nostra erga ipsam quam maxime augetur. Non enim ad cor mortuum, sed ad cor vivum dirigimur.

2) *Ratione fidei et spei nostrae augendae* in corporum resurrectionem. Per anticipatam enim corporis Deiparae resurrectionem et glorificationem, maxime augetur in nobis fides in resurrectionem corporum nostrorum et spes in futuram gloriam.

Art. 2 – DE GLORIA CORPORIS ET ANIMAE B. M. V.

Praenotanda: Gloria coelestis dividi solet in *essentialem* et *accidentalem*. Gloria *essentialis* in intuitiva Dei visione consistit. Haec autem, quoad gradum *quantitativum*, duplicem inaequalitatem admittit, intensivam (sec. quod quidam beati clarius Deum vident) et *extensivam* (sec. quod plura vel pauciora obiecta, tum possibile realia, secundaria in Deo vident).

Gloria vero *accidentalis* consistit in quibusdam bonis creatis id est 1) in gaudio de bono patrato, 2) in novis quibusdam revelationibus, 3) in aureolis, 4) in speciali corporis decore, et 5) in bonis exterioribus, ut est honor, reverentia etc.

Prob.: *Gloria Virginis Assumptae sive I) essentialis, sive II) accidentalis, gloriam omnium aliorum Beatorum longe antecellit.*

Prob. prima pars. Quantitas gloriae essentialis, proportionatur quantitati gratiae in via et meritis per gratiam comparatis, iuxta illud: « Reddet unicuique secundum opera eius » (Rom., 2, 6). Atqui quantitas gratiae et meritorum B. Virginis in via longe antecellit quantitatem gratiae et meritorum omnium hominum et Angelorum. ... Profundius ergo qualibet creatura in visione divinae essentiae, beatitudinis oceano, oculum figit.¹

Ad min. « Quod clarius patebit — animadvertit Card. Lépicier — discurrendo per singulos status, in quibus inveniuntur sancti merita sibi comparasse: quae quidem merita in sanctis quidem divisim inveniuntur, in Beata Virgine autem unite et cumulate.

Primo, in carne vivens, Deipara non carnalis, sed angelicae vitae meritum, propter virginitatem, quae virtus angelis cognata est, habuit, unde vocatur *Regina angelorum*.

Secundo, *patriarcharum* meritum habuit, propter fidei suae vivacitatem; unde etiam ipsi dictum est (Luc., 1, 45): Beata quae credidisti; quapropter *Regina patriarcharum* rite appellatur.

¹ Pulchre Aligherius: « Gli occhi da Dio diletti e venerati...

...all'eterno lume si drizzaro,
Nel qual non si de' creder che s'invii,
Per creatura l'occhio tanto chiaro ».

(Par., 23, v. 40 et ss.).

Tertio, habuit meritum *prophetarum*, cum spiritu prophetico praedixerit se beatificandam esse (ibid., 48): Beatam me dicent omnes generationes; unde et *Regina prophetarum* celebratur.

Quarto, nec ipsi defuit meritum *apostolorum* et evangelistarum, propter ea quae apostolos et evangelistas de fidei nostrae mysteriis edocuit; unde dicitur *Regina apostolorum*.

Quinto, pariter *martyrum* meritum habuit, Filio suo morienti perfecte compatiendo, iuxta illud (ibid., 2, 35): Tuam ipsius animam pertransibit gladius; propter quod *Regina martyrum* merito nominatur.

Sexto, *confessorum* quoque meritum habuit, Domino devote confitendo, sicut cum dixit (ibid., 1, 46): Magnificat anima mea Dominum; unde et *Regina confessorum* pie invocatur.

Septimo denique, excellenter habuit meritum *virginum*, cum virgo fuerit, et virgo in aevum permanserit; quapropter *Regina virginum* praedicatur.

Ex quibus concludi debet quod, sicut Beata Virgo habuit meritum omnium et amplius, ita congruum fuit ut super omnes ponatur, etc., ait S. Thomas (*Sermo LVIII in Assumpt. seu de B. V. in caelis exaltatione*. Opp. t. 15, p. 223), (o. c., pp. 308-309).

Ex hac praecellenti *beatifica visione*, consequitur praecellens *amor beatificus*, et hanc praecellentem visionem et amorem beatificum comitatur *ineffabile gaudium*.

Prob. secunda pars: Gloria accidentalis, prout praenotavimus, consistit 1) in gaudio de bono patrato; 2) in novis quibusdam revelationibus, 3) in aureolis, 4) in speciali corporis decore, et 5) in bonis exterioribus ut est honor, reverentia etc. Atqui in his omnibus B. Virgo omnes alios Beatos longe antecellit. Ergo...

Prob. *Minor* per partes. B. Virgo longe antecellit omnes Beatos: 1) *in gaudio de bono patrato*, eo quod bonum ab ipsa, perdurante sua vita terrestri, patratum, excedit bonum ab omnibus simul creaturis simul sumptis patratum.

2) B. Virgo omnes antecellit *in novis quibusdam revelationibus* circa futura contingentia, eo quod quidquid ad hominum salutem quomodocunque pertinet, ad Deiparam, utpote humani generis Corredemptricem et Matrem, referri debet; ex istis autem novis revelationibus nova gaudia percipere potest.

3) B. Virgo omnes antecellit *in aureolis*: *aureola* (diminutivum *aureae*) est aliquid *aureae* seu coronae beatorum (in visione beatifica positae) superadditum, id est, accidentale quoddam praemium quod pro speciali victoria datur seu — prout dicit S. Thomas — « Aureola est privilegiatum praemium privilegiatae victoriae respondens » (*Suppl.*, q. 96, a. 1). Quia vero tres sunt privilegiatae victoriae (i. e. supra *carnem*, supra *mundum* et supra *diabolum*) hinc triplex aureola distinguitur: 1) aureola *virginitatis*, ob victoriam supra carnem, 2) aureola *martyris*, ob victoriam supra mundum, et 3) aureola *doctoris* ob victoriam supra diabolum quem per doctrinae praedicationem, a se et ab aliis removet.

Porro, hac triplici aureola B. Virgo praeclarius et eminentius insignita est. Ipsa enim, ut iam demonstravimus, 1) fuit semper virgo integerrima, 2) fuit praecipua fidei magistra, saltem privata et 3) plus quam martyr iuxta Crucem Filii.

4) B. Virgo omnes antecellit *in speciali corporis decore*, eo quod corpus eius, praeter communes quatuor dotes corporum gloriosorum (i. e. impassibilitas, subtilitas, agilitas, et claritas, iuxta 1 Cor. 15, 44), singulari quoque decore et splendore refulget, utpote luci increatae propinquius. In intuitu vero huius specialis splendoris nedum angeli et sancti sed etiam Christus accidentale quoddam gaudium percipiunt.

5) B. Virgo omnes antecellit *in quibusdam bonis exterioribus*, quibus excellentissime fruitur, i. e. in imperio super omnia, utpote omnium Regina, in laude et reverentia quae ei exhibetur ab universa Ecclesia etc.

Iure ergo B. Virgo in coelis, sicut in terra, specialem quemdam ordinem seu hierarchiam constituit, iuxta illud Gersonis: « Virgo sola constituit hierarchiam secundam sub Deo Trino et Uno, hierarchia prima et summa, apud quam hierarchiam humanitas Filii sola sublimata sedet a dextris virtutis Dei » (Tr. 3, super *Magnificat*). Omnes illam iugiter laudant.

« Così la circolata melodia
si sigillava, e tutti gli altri lumi
facean sonar lo nome di Maria ».

(Par. 23, 96-98).

APPENDIX

DE LOCO QUEM OCCUPARE DEBET B.³VIRGO
IN VITA SPIRITUALI

BIBLIOGRAPHIA: ARINTERO, O. P., *Misión Cosantificadora de María como Esposa del E. Santo*. Memoria exhibita Congressui Montfortiano Barcinonensi a. 1918; BERNARDOT M., V., O. P., *Notre-Dame dans ma vie*, Paris 1937; PEREZ N. S. I., *Lugar preferente que ocupa la Santísima Virgen en la Ascética y Mística cristiana*, in *Crónica Oficial del Congreso Mariano Hispano-Americano de Sevilla*, 1929, pp. 762-779; PERMUY F., C. M. F., *Lugar preeminente que María ocupa en la Ascética y Mística Cristiana*, in *Crónica Oficial...*, pp. 734-761; VAN HAUTE M., C. SS. R., *Vivre uni à Marie*, Casterman, Paris Tournai, 1938.

PRAENOTANDA

1) De vita spirituali, seu de perfectione christiana, agit *Theologia spiritualis*, quae communiter *Ascetica et Mystica* appellatur.

Theologia vero Spiritualis ita a cl. Heerinckx definitur: « Scientia theologica quae docet in quo vitae spiritualis perfectio consistat et quomodo homo viator in eam tendere eamque obtinere possit » (*Introductio in Theologiam Spiritualem Asceticam et Mysticam*, p. 4, Torino, Marietti, 1931).

In quonam praecise Ascetica a Mystica distinguatur, et quinam sint utriusque limites, non conveniunt Auctores. Communiter tamen in hoc convenire videntur quod vita ascetica perfectionis opus significat quatenus est nostrum et gratiae virtutum, non vero donorum Spiritus Sancti; vita vero mystica perfectionis opus significat quatenus est opus Spiritus Sancti et donorum Eius, cuius unus ex effectibus praecipuis est contemplatio infusa, quae cognitionem Dei experimentalem, saporis plenam, animae exhibet.

Dum igitur in Ascetica anima est magis activa quam passiva; in Mystica, e contra, est magis passiva quam activa. Prima magis cum morali, secunda vero magis cum dogmatica connectitur, praesertim cum doctrina de gratia et donis Spiritus S. Utraque tamen, *unicam* scientiam spiritualem constituit, quae optime *Theologia Spiritualis* appellatur.

2) Quia vero vita spiritualis, sicut quaelibet vita, progressiva est, rite ab auctoribus, iuxta triplicem hominis aetatem (infantia, adolescentia, virilitas), *tres vitae*

spiritualis gradus distinguuntur, qui animas in statu *incipientium, proficientium et perfectorum* constituunt. Triplex iste gradus appellatur: *via purgativa* (terminus *a quo*) *via unitiva* (terminus *ad quem*) et *via illuminativa* (intermedia).

Tres istae viae non tamquam parallelae vel separatae, sed potius tamquam varia stadia unius eiusdemque viae considerandae sunt. Cum tamen Deus hunc ordinem sequi non teneatur, hinc est quod aliquando donum contemplationis infusae quibusdam animabus imperfectis largitur, aliis vero perfectis negatur.¹

Circa quaestionem utrum omnes christiani vocatione remota ad *contemplationem infusam* (quae ad mysticam stricte dictam pertinet) vocentur necne, valde disputatur inter hodiernos Auctores. Pro certo tamen habendum est, *plures* animas quam vulgo aestimetur, ad talem contemplationem, de facto, proxime vocari. Imo, probabile omnino videtur opinio iuxta quam Deus, quia quam maxime animas gratis ditare peroptat, animabus optime dispositis gratiam contemplationis infusae *ordinarie* concedit.

Hisce breviter praemissis, duo hic exponenda veniunt, videlicet:

1) (*in genere*) utrum et qua ratione B. Virgo in vita spirituali (Ascetica et Mystica) realem influxum exercent.

2) (*in specie*) De influxu B. Virginis in via purgativa, illuminativa et unitiva.

I) De influxu B. Virginis in Vita Spiritualis

Quod B. Virgo locum singularem in Vita Spiritualis (Ascetica et Mystica) sibi vindicet, ex hoc patet quod Theologia spiritualis, seu Ascetica et Mystica, in Theologia dogmatica fundatur. Cum vero Beata Virgo in Theologia Dogmatica locum omnino singularem sibi vindicet (eo quod ordinem a se constituit), etiam in Theologia Ascetica et Mystica locum omnino singularem sibi vindicare debet.

Ratio vero huius rei in singulari omnino relatione quam Deipara habet ad gratiam, seu ad vitam supernaturalem gratiae, invenitur. Vi enim gratiae homines realiter (quamvis accidentaliter) participes seu consortes efficiuntur naturae et vitae divinae. Cum vero vita divina in hoc consistat quod Deus semetipsum directe contempletur et infinite amet, vita nostra divina in visione Dei prout est in se (nunc per fidem, postea, in caelo, per visionem intuitivam) et in subsequenti amore consistere debet.

Iamvero, haec vita supernaturalis gratiae divinae, producitur et aliter in nobis a triplici causa, quamvis modo omnino diverso, videlicet: 1) SS. Trinitas, quae est prima fons et origo gratiae; 2) Sacra Christi Humanitas, quae est causa instrumentalis gratiae, et 3) B. Virgo, Mediatrix universalis (cum Christo et dependenter a Christo) inter Deum et homines, in distributione omnium et sin-

¹ BENEDICTUS XIV, *De Servor. Dei beatif.*, l. 3, c. 26, n. 17.

gularum gratiarum. Tres istae causae simul uniuntur in productione unius eisdemque rei, id est, vitae supernaturalis, quemadmodum manus sculptoris, eius malleus eiusque scalprum unam eandemque statuam efficiunt.

Beatissima Virgo enim, nedum *univit* nos Christo, capiti nostro morali et gratiae fonti, libere ei conferendo naturam nostram humanam ad peccatum eisdem pro nobis expiandum et ad gratiam divinam, seu ad vitam gratiae nobis merendam; sed etiam *unit nos iugiter Christo*, tamquam collum capiti aut aqueductus fonti, nobis omnes et singulas gratias dispensando. Deipara, igitur, non est extra aut ad latera vitae nostrae spiritualis (sicut caeteri Sancti) sed centrum ipsum huius vitae, una cum Christo et SS. Trinitate occupat, eo quod gratia ipsa, sicut SS. Trinitati et Humanitati Christi, ita et Deiparae nos intime et indissolubiler unit. Ipsa, igitur, nobis vitam gratiae largitur. Ipsa illam alit et ad suam plenam evolutionem adducit.

Quae cum ita sint, patet omnino singularis Deiparae influxus in vita nostra spirituali, Deiparaeque pars omnino singularis in universa Theologia Ascetica et Mystica.

Hunc Deiparae influxum in sanctificatione animarum, nemo forsitan sicut S. de Montfort tam valide expressit. Postquam enim demonstravit devotionem erga B. Virginem necessariam esse ad salutem consequendam, valide demonstrat quomodo eadem devotio magis etiam necessaria sit ad vitae christianae perfectionem adipiscendam. Scribit enim: « Si la dévotion à la très sainte Vierge est nécessaire à tous les hommes pour faire simplement leur salut, elle l'est encor beaucoup plus à ceux qui sont appelés à une perfection particulière; et je ne crois qu'une personne puisse acquérir une union intime avec Notre-Seigneur et une parfaite fidélité au Saint-Esprit, sans une très grande union avec la très sainte Vierge et une grande dépendance de son secours... »

C'est Marie seule à qui Dieu a donné les clefs des celliers du divin amour, et le pouvoir d'entrer dans les voies les plus sublimes et les plus secrètes de la perfection, et d'y faire entrer les autres » (*Traité*, n. 43 et 45).

II) De influxu B. Virginis in triplici stadio Vitae Spiritualis

Quod B. Virgo in unumquodque ex triplici stadio Vitae Spiritualis vere efficaciterque influat, haud pauci Scriptores Ecclesiastici docuerunt. Inter omnes vero, dignus est qui laudetur B. Aelredus Rievallensis qui aperte indicat quomodo Deipara scala Caeli sit in diversis vitae nostrae stadiis. « Pulchre in ista scala, de qua loquimur, ubi nos debemus incipere ascendere, ibi posita est Maria, sicut dicit evangelista, *Iacob autem genuit Ioseph virum Mariae* (Matth. 1), ut statim in ipsa prima conversione nostra ipsa nobis appareat et recipiat in sua custodia, et illuminet luce sua, et comitetur nobis in ista via laboriosa. Igitur,

illa illuminante et docente per omnia, qui incepimus converti ad Deum, ipsam conversionem ducamus ad perfectionem, et incipiamus a Ioseph, ubi incipit augmentum nostrum; et proficiamus et ascendamus, donec pertranseamus transmigrationem Babylonis, ut qui fuimus per vitia et peccata captivi sub potestate Nabuchodonosor in Babylone, id est in confusione, liberemur per gratiam Christi, ad quem conversi sumus: et ita cum perfecte convertendo ad Deum redierimus a Babylone, transeamus ad secundum statum, et incipientes nosmetipsos purgare, ascendamus de gradu in gradum, donec veniamus ad Salomonem, qui interpretatur *pacificus*, ut, scilicet, purgati a malis passionibus, habeamus in nobis quandam pacem et tranquillitatem, et sic ingrediamur tertium statum, qui incipit a David, qui interpretatur *desiderabilis*; ut et nos desideremus, et ardeamus videre illum desiderabilem vultum Creatoris nostri, et in ipso desiderio nostro perveniamus ad patrem Abraham, ad Deum scilicet excelsum, et videamus eum in Sion» (Sermo 21, in *Nativ. B. Mariae*, PL 195, 330).¹ Nervose Ps.-Bernardus, de verbis *Salve Regina* «*o clemens, o pia, o dulcis Virgo Maria*», scribit: «Clemens poenitentibus, pia proficientibus, dulcis contemplantibus» (PL 184, 1080).

Praestat audire etiam S. Albertum M. qui ait: «B. Virgo attrahit peccatores, illuminat poenitentes, dirigit innocentes... Attrahit a culpa, illuminat in iustitia, dirigit ad gloriam» (*Mariale*, q. 146).

a) De influxu B. Virginis in via purgativa.

Primus veluti gressus in perfectione vitae christianae, est conversio a statu peccati, nec non eorum omnium expurgatio quae virtutis iter praepediunt, prout sunt peccata et deordinati affectus. Qui in hoc primo stadio reperiuntur, *incipientes* vocantur, et parvulis assimilantur, qui volubiles et instabiles existunt.

Hoc posito, iam per se patet quam necessarius sit Deiparae, Matris nostrae, influxus pro illis qui in hac via purgativa inveniuntur. Sicut infantes indigent matre, ita isti Deipara indigent. Quod autem de facto Deipara talem influxum in incipientes exercuerit, historia conversionum a vita peccati ad vitam gratiae satis superque testatur.²

Historia etiam abunde testatur quomodo plures tentationum vim, huius viae propriam, adiutrice Virgine benedicta, invicte superaverint.

b) De influxu B. Virginis in via illuminativa.

Secundus veluti gressus in via perfectionis, est assimilatio Christo, per virtutum eius imitationem assiduam. Qui in hoc secundo stadio reperiuntur, *profi-*

¹ Idem pulchre exprimitur ab auctore libri «*Speculum B. Virginis*», c. 10.

² Cfr CAPANAGA V., A. R., *La Virgen en la historia de las conversiones*, serie 1, Zaragoza, Uriarte, 1932; serie 2, Zaragoza, Uriarte, 1934. In hoc perpulchro opere, 46 exempla illustrium virorum afferuntur quibus Mediatrix influxus in conversione errantium validissime demonstratur. Cfr etiam CALVILLO C., O. S. M., *Ritorni*, Torino, 1946.

cientes appellantur, iidemque iuvenibus assimilantur, eo quod, impedimentis iam superatis, et in spiritualibus rebus iam illustrati, ardentis, alacres in via spiritali incedunt, virtutes morales et theologicas sectando.

Iamvero, in hac virtutis semita, B. Virgo, post Christum, habenda est tamquam *Dux et Magistra*. Nemo enim, post Christum, tot reliquit virtutum omnium exempla. Ipsa enim, iuxta S. Ambrosium « quidquid egerit disciplina est »; « Talis fuit Maria ut eius unius vita omnium sit disciplina »; « Ergo — concludit — sancta Maria disciplinam vitae informet » (*De Virginibus*, l. 2, c. 2, n. 9, 15; c. 3, n. 19; PL 16, 221, 222, 223).

Ipsa enim, prout perpulchre scripsit Aligherius « è la faccia che a Cristo più s'assomiglia » (Par. 32, 85-86).

Quinimmo, exempla virtutum debilitati nostrae magis veluti accommodata quam Christus ipse reliquit, cum Christus sit Homo-Deus, et Deipara, e contra, pura sit creatura, sicut nos, et ideo nobis magis propinqua.

c) De influxu B. Virginis in via unitiva.

Tertius veluti et ultimus gressus in via perfectionis est intima et habitualis animae adhaesio Deo, per Christum et Mariam mediante amore. Qui in hoc tertio stadio reperiuntur, *perfecti* seu sancti appellantur illisque qui in virili aetate constituti sunt assimilantur.

Praecipuae eorum virtutes sunt magna puritas cordis, amor Dei purissimus, crucis amor, zelus divinus, deditio absque limitibus. Una ex notis huic viae propriis est contemplatio, in qua actus intellectivi valde simplices redduntur. Contemplatio vero in *acquisitam* et *infusam* dividitur, prout talis actuum simplificatio est fructus activitatis humanae a gratia adiutae, vel est fructus gratiae specialis divinae, vi cuius habetur simplex intuitus Dei et rerum divinarum, ab amore procedens et ad amorem tendens (*S. Th.*, 2, 2, q. 180, a. 3, ad 1). In tali statu Deus animae exhibetur tamquam viva quaedam realitas experimentaliter cognita, ita ut talis cognitio inter fidem ordinariam et visionem beatificam quid medium constituere videatur quod verbis exprimi nequit. Essentiale tamen elementum contemplationis infusae est passivitas, vi cuius anima movetur, libere quidem, a Spiritu Sancto.

Phases contemplationis infusae variae sunt. S. Theresia quatuor gradus distinguit, iuxta quadruplicem progressivam possessionem, ex parte Dei, alicuius animae libere consentientis, ad hoc ut in illa lucem et amorem effundat. Quapropter: 1) si Deus potitur *voluntate* contemplantis, tunc habetur contemplatio quietis; 2) si potitur omnibus facultatibus *internis*, tunc habetur *unio plena*; 3) si vero potitur *facultatibus internis simul et externis* (i. e. sensibus), *transeunter*, tunc habetur *unio extatica* (quae *sponsalia mystica*, fidanzamento, appellantur); 4) si tandem Deus potitur illis omnibus facultatibus non iam transeunter sed *permanentemente*, tunc habetur *spirituale matrimonium* animae cum Deo, seu unio transformativa.

Etiam in hoc tertio stadio vitae spiritualis, singularis est Deiparae influxus.

Assertit Richardus a S. L. Deiparam suis servis et apostolis gratiam contemplationis concedere (*De Laudibus Mariae*, l. 2, c. 5). Insuper, ad ingrediendam viam unitivam et ad illam usque ad supremum gradum (ad spirituale matrimonium) tuto percurrendam, quam maxime iuvat unio animae cum Maria, omnium gratiarum Mediatrice.

Iure meritoque S. Grignon de Montfort scribit: « Quand Marie a jeté ses racines dans une âme, elle y produit des merveilles de grâce qu'elle seule peut produire, parce qu'elle est seule la Vierge féconde qui n'a jamais eu ni n'aura jamais sa semblable en pureté et en fécondité...

« Quand le Saint-Esprit, son Épous, l'a trouvé dans une âme, il y vole, il y entre pleinement, il se communique à cette âme abondamment, et autant qu'elle donne place à son Épouse; et une des grandes raisons pourquoi le Saint-Esprit ne fait pas maintenant des merveilles éclatantes dans les âmes, c'est qu'il n'y trouve pas une assez grande union avec sa fidèle et indissoluble Epouse. Je dis: indissoluble Epouse, car depuis que cet Amour substantiel du Père et du Fils a épousé Marie pour produire Jésus-Christ, le chef des élus, il ne l'a jamais répudiée, parce qu'elle a toujours été fidèle et féconde » (*Traité*, n. 35-36).

Deiparae influxus in via unitiva a posteriori etiam probatur ex vita Sanctorum. Saepe enim in *nocte*, uti aiunt, *obscura*, seu in illis omnibus purificationibus dolorosissimis animarum quae *matrimonium spirituale praecedunt*, B. Virgo intervenit, animas sibi specialiter unitas illuminans et confortans, prout videre est, e. g. in vita S. Gemmae Galgani. Ipsa revera « Luna noctium mysticarum » dici potest.

At B. Virgo praesertim intervenire dicenda est cum animae ad ultimum contemplationis gradum, seu ad spirituale cum Deo matrimonium perveniunt. Ipsa enim curat ut anima rite ornetur et ad talem transformativam unionem rite disponatur.

Scribit P. Arintero O. P., vir vere doctus et sanctus: « En efecto, en casi todas las almas que visible y solemnemente tuvieron la dicha de celebrar el místico desponsorio, suele verse que la Santísima Virgen era la encargada de darles como la última mano en la preparación necesaria, revistiéndola de un manto blanco, simbolo de la pureza y santidad que para un tal pacto con el Verbo de Dios se require...

« Los que esto sienten, sólo aciertan a decir que la Virgen Maria interviene positivamente en la purificación y santificación por una parte, disponiendo los corazones para recibir eficazmente la acción del Espíritu Santo, que es como un fuego abrasador que diviniza consumiendo lo terreno, y, por otra parte, moderando o templando maternamente esa acción, para que resulte mas tolerable, y confortando las almas para que la sufran y se dejen labrar, al propio tiempo que con suavidad y dulzura va Ella misma imprimiéndoles su propia imagen en unión

con la de Iesús y haciéndolas así perfectas hija suyas y del mismo Dios para que de ese modo vengan a ser dignas de entrar las místicas bodas das ». ¹

Influxus iste Deiparae in mystico matrimonio animarum cerni praesertim potest in vitis Sanctorum Catharinae Bononiensis, Catharinae Senensis, Catharinae de Riccis, Pauli a Cruce, Gemmae Galgani etc.

CONSECTARIUM SUPREMUM: VITA UNIONIS CUM MARIA
IN PERFECTA SERVITUDE ERGA IPSAM CONSISTENS

Quae cum ita sint, optandum valde est ut influxus iste Deiparae in sanctificationem animarum, in variis tractatibus de Ascetica et Mystica maiori in luce ponatur.

Optandum adhuc magis est, ut fideles omnes in semita christianae perfectionis incedentes, huius continuae nostrae dependentiae a Virgine benedicta in ordine gratiae magis magisque conscii sint, ad hoc ut maternam eiusdem praesentiam, lectissimis gratiis affluentem, in seipsis magis magisque persentiant.

Iugiter enim meminisse iuvabit quod, si Christus est *fons*, Maria est *canalis* per quem omnes singulaeque gratiae ad nos usque perveniunt.

Dependentia haec, in vita spirituali, a Maria, quae haud minus realis dici debet ac ipsa dependentia a Christo, sicut absque detrimento negligi nequit, ita absque vitae spiritualis magno emolumento exerceri non potest.

Curandum igitur maximopere est, ut *vita unionis cum Maria* magis magisque in animabus fidelium ad perfectionem vitae christianae tendentium foveatur. Ad hanc autem unionis vitam cum Maria fovendam, medium omnium aptissimum sincere putamus devotionem illam tam mirabiliter a S. de Montfort, quoad minutissima quaeque, propositam, quae sub nomine perfectae Servitutis Marianae (Schiav' t' d'amore) cognoscitur. In hac enim devotionis forma, omnes aliae devotionis formae erga Virginem includuntur et ab ipsa coronantur. Vi enim huius devotionis, anima *plene* seipsam suaque omnia tradit Christo per manus Mariae.

Praxis ista in *actu* totalis consecrationis, tamquam mancipium, ² consistit, interdum renovato, et in *statu quodam habituali* vivendi et operandi dependenter a Virgine Sancta.

Quod practice fit, cum quis Deiparae, et per Deiparam Christo, tradit: *a) corpus* cum omnibus suis sensibus, sese obligando ad illo utendum iuxta Virginis

¹ *Misión Cosantificadora de María como Esposa del E. Santo*, Memoria exhibita Congressui Mariano-Montfortiano Barcinonensi a. 1918.

² Vocabulum hoc « mancipium » quorundam aurium (forsan minus piarum) offensivum, denudari debet — iuxta doctrinam S. de Montfort — qualibet significatione *constrictionis*, ita ut mancipium ob amorem nihil aliud, tandem, significet nisi *servum perfectum*, Dominae suae plenissime, absque ulla praeoccupatione pro retributione, addictum.

Filiique sui beneplacitum, omniaque circa sanitatem aut aegritudinem illius iuxta divinae Providentiae beneplacitum acceptando;

b) *animam* cum omnibus suis facultatibus, ipsam ad Dei Deiparaeque gloriam proximique bonum ordinando;

c) *bona omnia exteriora* seu fortunae, praesentia et futura, ipsis dependenter a Virgine et ad Dei ipsiusque Deiparae gloriam utendo;

d) *bona omnia interna* seu spiritualia, *merita* nempe (*de condigno, quae* sunt inalienabilia, ad hoc ut illa conservet et augeat; *de congruo* vero, quae sunt alienabilia, ad hoc ut de illis libere disponat), *satisfactiones* (valor nempe satisfactorius actionum nostrarum, indulgentiis inclusis, ad hoc ut etiam de illis libere disponat), *preces et bona nostra opera* praeterita, praesentia et futura (quatenus valorem *impetratorium* habent).

Per hanc igitur consecrationem nihil reservabile nobis ipsis reservamus, ita ut de bonis illis, absque Virginis permissione, amplius disponere non valeamus, nos plene generositate Deiparae tradentes et in Ipsa confidentes. *Possumus* tamen et aliquando *debemus* etiam, Virginem ipsam exorare ut de illis bonis, a nobis Ipsi oblatis, libere disponat in illarum personarum favorem erga quas speciali quadam obligatione obstricti tenemur; et beatissima Virgo, absque dubio, talibus precibus exorata, ultro libenterque illis subveniet.¹

Haec igitur perfecta ad Virginem consecratio, peculiarem ipsius Virginis influxum in nostra sanctificatione conciliat.

Ab hac enim nostra nostrarumque rerum plenissima deditio, B. Virgo procul dubio movetur ad nobis auxilium in sanctificatione nostra peculiariter afferendum, cum nos nostraque omnia tamquam rem suam Ipsa plene possideat. Hinc fit ut plenae nostrae deditio, plena gratiarum copia, ex parte Virginis, absque dubio respondeat.

Haec perfecta vita unionis cum Maria, medium evadit inter omnia media aptissimum ad perfectam vitam unionis cum Christo obtinendam. Ma ia enim est semper via, Christus solummodo meta. Est autem via, inter omnes alias, tutissima, perfectissima, delectabilissima, de qua mirabiliter Mellifluus cecinit: « Ipsam sequens non devias » (PL 183, 70).

¹ Legantur verba ipsa S. de Montfort: « Cette dévotion consiste donc à se donner tout entier à la très sainte Vierge, pour être tout entier à Jésus-Christ par elle. Il faut lui donner: 1) notre corps avec tous ses sens et ses membres; 2) notre âme avec toutes ses puissances; 3) nos biens extérieurs qu'on appelle de fortune, présentes et à venir; 4) nos bien intérieurs et spirituels, qui sont nos mérites, nos vertus, et nos bonnes œuvres passées, présentes et futures: en deux mots tout se que nous avons dans l'ordre de la nature et dans l'ordre de la grâce, et tout ce que nous pourrion avoir à l'avenir dans l'ordre de la nature, de la grâce et de la gloire, et cela sans aucune réserve, pas même d'un denier, d'un cheveu et de la moindre bonne action, et cela pour toute l'éternité, et cela sans prétendre ni espérer aucune autre récompense de son offrande et de son service, que l'honneur d'appartenir à Jésus-Christ par elle et en elle, quand cette aimable Maîtresse ne serait pas, comme elle est toujours, la plus libérale et la plus reconnaissante des créatures » (*Traité*, n. 121).

CONCLUSIO

DE LOCO QUEM OCCUPAT B. VIRGO IN ECCLESIA
CORPORE CHRISTI MYSTICO

BIBLIOGRAPHIA

Praeter opera generalia de Corpore Christi mystico pertractantia, sequentia scripta recenseri merentur:

- FERNANDEZ, O. P., *De Mediatione B. Virginis, secundum doctrinam D. Thomae*, in *Ciencia Tomista*, 38 (1928) 152-158.
- GARCIA GARCES N., C. M. F., *De loco B. M. V. in corpore Christi mystico*, in *Mater Corredemptrix*, pp. 281-293, Marietti, 1940.
- GREGORIO DE JESUS CRUCIFICADO, O. C. D., *Lugar que ocupa María en el cuerpo místico*, in *Estudios Marianos*, 5 (1946) 271-293.
- KEUPPENS F., in *Mariologiae compendium*, pp. 53-55.
- LUIS A., C. SS. R., *María y el Cuerpo Místico*, in *Revista Española de Teología*, vol. 3 (1943), pp. 3-62.
- MC CARTY I., *The Blessed Virgin in the Mystical Body*, in *Irish Quarterly Record*, 51 (1938) 561-581.
- MURA E., *María Cuore del Corpo místico di Gesù*, in *Regina dei Cuori*, 24 (1937) 7-10, 32-34, 55-58, 79-82.
- MUSGER I., *Mariens Stellung in organismus der Kirche*, in *Theol.-prakt. Quartalschrift*, 91 (1938) 528-530.
- RONDET S. I., *De la place de la Très Sainte Vierge dans l'Eglise, Corps Mystique du Christ*, in *Bull. de la Société Franç. d'Et. Mar.*, 1937, pp. 197-232.

PRAENOTANDA

1) **Ratio tractationis.** Cum hodierna theologia doctrinam de corpore mystico Christi ex S. Paulo praesertim deprompta, peculiari ratione evolverit, ac in ipsam magis quam in aliam mentis oculos converterit, ¹ sponte quaestio de loco

¹ Praecipua opera circa *mysticum Christi corpus* haec sunt: ANGER, *La doctrine du corps mystique de Jésus-Christ d'après les principes de Saint Thomas*, 3 ed., 1929; MURA E., *Le corps mystique du Christ*, 2 ed., 1937; FECKES, *Das Mysterium der heiligen Kirche*, 1934; IURGENSMEIER, *Der mystische Leib Christi als Grundprinzip der Aszetik*, 1934; DERCKX, *De Kerk als Christus' mystiek Lichaam en het Moederschap van Maria*, 1935; MERSCH, *Le corps mystique du Christ*, 1936. « *Aujourd'hui... — scribit Mura — le dogme du Christ plénier... attire de plus en plus l'attention de la pensée catholique* » (o. c., t. 1, p. 27).

quem B. Virgo in corpore Christi mystico seu in Ecclesia occupat a Theologis pertractari coepit. Et iure quidem, cum Corpus Christi mysticum, absque Maria, ultima veluti sua perfectione careret.¹

Cum vero ad hanc quaestionem solvendam elementa ex universa mariologia deprompta concurrant, logice in fine tractatus de B. Virgine, conclusionis instar, quaestio haec pertractatur. Eo vel magis quod sicut doctrina de corpore Christi mystico est veluti centrum et syntesis universae Theologiae, praesertim vero Christologiae, ita doctrina de loco quem B. Virgo in corpore Christo mystico occupat est veluti centrum ac synthesis universae Mariologiae.

2) **Synthesis doctrinae de mystico corpore Christi.** Continetur in recenti Encyclica *Mystici Corporis Christi*, Pii XII (cfr AAS, 35, 1943, 247 ss.). Inter corpus *physicum* et corpus *morale*² seu societatem (sive ordinis naturalis, sive ordinis supernaturalis prout est Ecclesia) analogia quaedam habetur *proportionalitatis metaphoricæ*.

S. Paulus, in suis Epistolis, inter omnes eminet in analogia exponenda quae inter corpus physicum et corpus mysticum Christi seu Ecclesiam habetur. In Epistola ad Romanos scribit: « Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent, ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra » (Rom., 12, 4-5). Ex verbis istis patet Ecclesiam organismum quendam esse, partibus dissimilaribus sub uno capite Christo compositum. Alibi magis adhuc esplicite exponit Apostolus necessariam et intimam unionem membrorum cum capite, a quo *vita gratiae* in omnia membra derivatur: « Crescamus in illo per omnia, qui est caput, Christus.

¹ « Le Corps Mystique... (sans Marie) n'aurait pas sa dernière perfection, le Christ ne serait pas total en plénitude » (MERSCH, *Sancte Marie, Mère de Dieu*, in *Nouv. Rev. Théol.*, 67, 1940, pp. 131-132).

² Bene intelligatur appellatio corpus *morale*. Appellatio ista non ita intelligi debet ut significet corpus Christi mysticum esse organismum ordinis *mere moralis*. Realitas enim corporis mystici simplex corpus morale transcendit. In Enc. « *Mystici corporis Christi* » ita legimus: « Quodsi mysticum comparamus cum morali, uti aiunt, corpore, tum etiam animadvertendum est non leve quiddam interesse, sed aliquid summi momenti inter utrumque summaeque gravitatis. In hoc enim, quod morale vocant, nihil aliud est unitatis principium, nisi finis communis, communisque omnium in eundem finem per socialem auctoritatem conspiratio; dum in mystico, de quo agimus, Corpore conspirationi huic internum aliud adiungitur principium, quod tam in universa compage, quam in singulis eius partibus reapse existens virtuteque polens, talis est excellentiae, ut ratione sui omnia unitatis vincula, quibus vel physicum vel morale corpus copuletur, in immensum prorsus evincat. Hoc est, ut supra diximus, aliquid non naturalis, sed superni ordinis, immo in semetipso infinitum omnino atque increatum: Divinus nempe Spiritus, qui, ut ait Angelicus, " unus et idem numero, totam Ecclesiam replet et unit " (*De Veritate*, q. 29, a. 4 c.) » (l. c., p. 422). Hinc corpus Christi mysticum est quid medium inter corpus physicum et corpus morale, videlicet: est corpus *morale* in quo tamen ex capite in varia membra *physicus defluit influxus*, supernaturalis et mysticus, seu absconditus.

Ex quo totum corpus compactum et connexum per omnem iuncturam subministracionis, secundum operationem in mensuram uniuscuiusque membri, augmentum corporis facit in aedificationem sui in charitatem » (Ephes., 4, 16). Quapropter haud raro Apostolus Ecclesiam seu varia membra Ecclesiae, vocat *corpus* Christi, et Christum *caput* Ecclesiae: « Et ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quae est *corpus* ipsius et plenitudo eius » (Ephes., 1, 22-23). « Et ipse est *caput corporis Ecclesiae*, qui est principium, primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus ipse primatum tenens » (Coloss., 1, 18).

Christus igitur, praedestinatus est ab aeterno una cum suo corpore mystico seu Ecclesia, tamquam *caput* eius, in omnibus primatum tenens. Et ideo « unico et aeterno actu Deus praedestinavit illum (Christum) et nos » (3, q. 24, a. 4).

In Christo enim *totali* (seu cum suo corpore mystico inspecto) nos omnes membra eius, et praesertim B. Virgo, quae inter omnia alia membra eminent omnino, praedestinati sumus. « Elegit nos in *Ipsa* (in Christo) ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu eius » (Ephes., 1, 4).

Animadvertendum tamen est non adesse perfectam analogiam inter corpus Christi mysticum supernaturale et corpus nostrum physicum naturale, et frustra in corpore Christi mystico quis quaereret omnia membra quae in corpore nostro physico inveniuntur. Vi imaginis corporis mystici, hoc tantum significare voluit Apostolus, dependentiam scilicet omnium nostrum, in ordine vitae supernaturalis, a Christo, capite nostro, mutuasque relationes adiutorii, comprehensionis et harmoniae quae inter diversa membra corporis eius mystici existere debent. Quia tamen evidens analogia existit inter quaedam membra corporis physici et quasdam activitates corporis Christi mystici, iure meritoque analogia paulina etiam ad haec membra sive organa extenditur et de ipsis quaestio movetur.

Quae cum ita sint, iure a Theologis quaeritur quisnam sit locus quem in corpore Christi mystico occupat praecipuum eius membrum seu Beatissima Virgo.¹

¹ Non deest qui teneat B. Virginem, in corpore Christi mystico *nullum* proprie *locum* tenere, et ideo non esse *caput* aut *cor* aut *collum* illius, eo quod Ipsa non invenitur proprie in mystico Corpore Christi sed extra ipsum. Ipsa enim est Mater Christi totalis, Mater naturalis Iesu et Mater spiritualis hominum. Mater autem non est pars corporis filiorum suorum, usque dum est aliquid distinctum ab illo. Constituit ergo B. Virgo quamdam veluti hierarchiam a se quae ab omnibus illis distinguitur qui in magna unitate Corporis mystici vivunt (Cfr *Revista Española de Teología*, vol. III, 1943, p. 62).

At B. Virgo, sicut alii, quamvis modo prorsus singulari, est membrum mystici Corporis Christi, eo quod et Ipsa influxui supernaturali Christi Capitis subicitur. Negandum igitur est B. Virginem *extra* mysticum Christi Corpus esse, eo quod omnia quae inveniuntur in Ipsa a Christo Capite acceptit.

Duo igitur ut certa retinenda sunt, videlicet: B. Virginem esse Materem Corporis Christi mystici, « omnium membrorum Christi sanctissima Genitrix », « eius membrorum omnium Mater (Enc. *Mystici corporis Christi*); et Ipsam esse in corpore Christi mystico, tamquam singu-

3) Triplex sententia circa locum quem B. Virgo occupat in mystico Christi Corpore.

Quidam dixerunt B. Virginem, in Ecclesia, esse *Caput*, licet secundarium et subordinatum; alii vero, praesertim recentiores, dixerunt esse *Cor*; alii tandem sive veteres, sive recentiores, dixerunt esse *Collum*.

Quid tenendum sit de hac triplici sententia, et quaenam ex illis praefenda videatur, in tribus sequentibus articulis dicemus.

I) De sententia asserentium B. Virginem esse caput secundarium Ecclesiae.

1) Origo et evolutio huius sententiae.

Serlo Abbas, primus esse videtur qui B. Virginem appellavit simpliciter *Caput Ecclesiae* (Serm. 1 de *Assumpt. B. V.*) vel etiam *caput nostrum* (Serm. 1 de *Nativ. B. V.*).¹

Pariter, Hugo Carensis B. Virginem appellavit *Caput Ecclesiae* collum iungens corpori (In Luc., 1).

A *Richardo a S. Laurentio* Maria vocatur *caput generis sui* (De Laud., 5, l. 7); et a *S. Antonino* appellatur *Caput quodammodo nostrae salutis*, quae caput nutriens Salutare, caput antiqui serpentis contrivit (*Summa*, p. IV, tit. 15, c. 22, de causis ob quas Deus fuit cum Maria).

Alii dicendi modi, plus minusve similes, apud Ecclesiae Scriptores inveniuntur, prout videre est in op. *Polyanthea Mariana* H. Marracci (in BOURASSÉ, *Summa Aurea*, t. 9, coll. 981-982).

larissimum eiusdem membrum quo usus est Christus ad alia membra sibi supernaturaliter unienda. Aliter tamen et aliter.

Animadvertendum insuper est imagines *colli*, *cordis* etc. nihil aliud esse nisi metaphoricis locutiones. Dum igitur B. Virgo Mater Corporis mystici Christi in sensu *proprio* dicitur, cor aut collum in sensu *improprio* seu metaphorico dicitur. « In metaphoricis locutionibus — prout animadvertit Angelicus — non oportet attendi similitudinem quantum ad omnia: sic enim non esset similitudo, sed rei veritas: capitis igitur naturalis non est caput aliud; quia corpus humanum non est pars alterius corporis, sed corpus similitudinarie dictum, id est aliqua multitudo ordinata est pars alterius multitudinis; sicut multitudo domestica est pars multitudinis domesticae, habet supra se caput rectorem civitatis; et per hunc modum nihil prohibet, caput Christi esse Deum, cum tamen ipse Christus sit caput Ecclesiae » (S. Th., III, q. 8, a. 1, ad 3).

Posito hoc principio, rite dicere possumus B. Virgine esse *proprie* Matrem mystici Corporis Christi, et esse *collum* vel *cor* eiusdem similitudinarie tantum, id est *improprie*, metaphorice. Quare, B. Virgo est: 1. Mater sensu *reali* et physico Christi; 2. Mater sensu *reali* et mystico Corporis Christi mystici; 3. *principale membrum* eiusdem Corporis Christi mystici; 4. cum vero Corporis Christi mystici B. Virgo dicitur *collum* vel *cor* etc., haec nomina evidenter sumuntur *metaphorice* id est *similitudinarie* respectu eorundem membrorum humani corporis. His prae oculis habitis, quaelibet difficultas evanescere videtur.

¹ Cfr MARRACCI, *Polyanthea Mariana*, apud BOURASSÉ, *Summa Aurea*, t. 9, coll. 981-982.

Post praelaudatos scriptores, *Angelus Vulpes*, O. F. M. Conv., Mariam dixit esse *concaput* corporis Christi mystici.¹ Etiam *Franciscus Suarez* admisisse videtur gratiam B. Virginis aliquo modo gratiam capitalem fuisse. Quia decuit « B. Virginem esse Christo simillimam et coniunctissimam in perfectione et intentione gratiae, debuit ad illius perfectionem cum debita proportione accedere. Hoc enim modo, et in toto corpore Ecclesiae optima est proportio, et inter Christum et Virginem conveniens similitudo et coniunctio » (*De myst. vitae Chr.*, disp. 18, sect. 4 ed. Lugdun. 1608, p. 184). Et exinde concludit B. Virgini aliquo modo competere dignitatem capitis: « Quia gratia Christi respectu omnium est gratia capitalis, ideo habet illam excellentiam; sed B. Virgo participat illam dignitatem... » (ibid.).

Magis adhuc explicite Federici: « Fuit igitur Mater Dei Corredemptrix nostra, et ut causa concomitans, et ut causa instrumentalis, et ut causa efficiens tam moralis quam physica, et quodammodo etiam cum Christo fuit immediata Corredemptrix. Hinc, sicut Christus fuit verus universalis Redemptor, fuit etiam Caput, Dominus et Pater angelorum et hominum, et qua homo fuit etiam principium instrumentaliter divinae gratiae (3, q. 27, a. 5)...; ita similiter Mater Christi quia etiam cum Filio fuit vera universalis Corredemptrix, et etiam cum eodem *Caput*, Domina et Mater Angelorum et hominum, et causa instrumentalis divinae gratiae » (*Tractatus Apologeticus de Matre Dei*, c. 4, Neapoli, 1777, t. 1, p. 113).

Nostris autem diebus occasione maioris evolutionis doctrinae de Mediatione Deiparae, thesim de Beata Virgine Capite Ecclesiae demonstrare conatus est P. A. Fernández O. P. (*De Mediatione B. Virginis, secundum doctrinam D. Thomae*, in *Ciencia Tomista*, 38 [1928] 152-158).

En synthesis argumentorum eius:

Quamvis omnes concedant a) B. Virginem fuisse gratia plenam, et b) gratiam eius ad omnes homines derivasse per viam meriti de congruo et intercessionis; communiter tamen tenent Theologi haec ad rationem capitis constituendam *non sufficere*.

« Hoc autem — scribit Fernandez — non rationalibiter dici, certo apparet si consideretur rationem capitis in aliquo indivisibili consistere ». Est enim — ita arguit — locutio quaedam *metaphonica*, quae idcirco magnam admittit latitudinem prout magis vel minus verificatur similitudo cum capite physico in sua habitudine ad corpus organicum.

De cetero — animadvertit — in ordine *metaphorico* esse caput non excludit esse sub capite, prout docet Angelicus: « In metaphoricis locutionibus non oportet attendi similitudinem quoad omnia; sic enim non esset similitudo, sed rei veritas ».

Ita paterfamilias licet sit caput familiae domesticae, habet supra se caput sc. gubernatorem civitatis. Caput insuper in ordine morali (secus ac in ordine physico) aliud caput habere potest, sicut Christus, caput Ecclesiae, Deum habet caput (3, a. 27, a. 1

¹ *S. Theologiae Summa*, t. 3, p. IV, disp. 71, art. ult., n. 11, p. 212. Hoc tamen opus in *Indicem Librorum prohibitorum* insertum est.

ad 1). Similiter ergo « nihil prohibet caput Virginis esse Christum, propter coniunctionem ad divinitatem, cum tamen ipsa Virgo sit caput Ecclesiae propter singularem coniunctionem cum Christo et propter excellentissimam praestantiam suae virtutis seu perfectionis » (l. c., p. 156).

Hisce positis, ostendit P. Fernandez quomodo in B. Virgine duplex conditio requisita ad essentiam gratiae capitalis inveniatur, nempe: eminentia gratiae et influxus universalis.

a) In B. Virgine invenitur *eminentia gratiae*, cum sit plena gratia, eo quod « propinquissima Christo fuit » (3, q. 27, a. 5) ratione divinae Maternitatis. « B. Virgo Maria tantam gratiae obtinuit plenitudinem, ut esset propinquissima auctori gratiae; ita quod Eum qui plenus est omni gratia, in se reciperet, et Eum pariendo quodammodo gratia ad omnes derivaret » (3, q. 27, a. 5, ad 1).

b) In B. Virgine fuit etiam *influxus universalis* in omnes homines, ratione muneris a Deo accepti, Sociae nempe Mediatoris sive in acquisitione sive in distributione omnium gratiarum.

Ergo, iuxta P. Fernandez, B. Virgo dicenda est caput Ecclesiae, quamvis diverso modo ac Christus. Christo enim exclusive competit causare interiorem influxum gratiae per modum instrumenti coniuncti, ratione unionis hypostaticae; B. Virgini vero competit causare interiorem influxum gratiae per modum instrumenti physici et separati et per moralem influxum.

Tandem, post P. Fernandez, sententiam de B. Virgine Capite secundario Ecclesiae, probare conatus est « ex Sacris Litteris », « ex veneranda Traditione » et « ex rationibus theologicis » Revm̄us P. Leonardus M. Bello, Minister Generalis O. F. M. in op. *De B. Maria Virgine omnium gratiarum Mediatrice*, Romae, 1938.

a) Argumentum « ex Sacris Litteris » sic se habet: « In Sacris Litteris B. Maria Virgo Christo, Capiti et universorum Mediatori, ordinarie associatur quotiescunque de oeconomiae spiritualis institutione electorumque sanctificatione agitur. Cum saeculorum initio, ipsa Trinitas mysterium Verbi Incarnati angelicis choris manifestavit, tunc *signum magnum apparuit in caelo: Mulier amicta sole et luna...* (Apoc., 12, 1-2). Quia vero, ex Patrum Theologorumque plurimorum sententia nec non sacra Liturgia ac Sanctae Sedis documentis, ipsa B. Virgo hoc *signo magno* significetur, recte inferunt S. Bernardinus Senensis alique theologi nonnulli angelos fideles solo intuitu meritorum Christi eiusque gloriosae Matris sanctificatos fuisse; ac proinde respectu omnium Angelorum B. Mariam Virginem Mediatricem gratiae gloriaeque in Christo et per Christum institutam esse » (o. c., pp. 16-17). Adducit insuper argumentum ex *Protoevangelio* (Gen., 3, 15), et ex Ioanne (19, 26), et concludit: « Haec utique Sacrae Scripturae oracula, quae B. Virginem Christo Redemptori constanter associant, si coniunctim considerentur ac rite insuper conferantur cum documentis Revelationis divinae, quae B. Mariam Virginem *primogenitam omnium creaturae* pronuntiare videntur, *non obscure* insinuant ex primario et absoluto Dei decreto Virginem Immaculatam totius corporis mystici caput secundarium constitutam fuisse, eiusque vivificam Mediationem ad universalem Ecclesiam extendi » (l. c., p. 19).

b) Argumentum « ex veneranda traditione » deducitur ex hoc quod B. Virgo vocatur *collum* Ecclesiae, cum quo A. rationem *capitis* in universa demonstratione *identificare* videtur, ac si ullum vel fere ullum haberetur inter utrumque discrimen. Pro imagine

enim *capitis* Auctor duos tantum auctores adducit, nempe *Carolus Del Moral* (1731) et *Bartholomaeum de Pisis*.

c) *Probatio vero ex rationibus theologicis* » ex triplici capite desumitur, videlicet: 1) quia tres conditiones (prioritas, perfectio et influxus) ad rationem capitis requisitae, « proprie et eminenter inveniuntur in sanctissima Deipara » (pp. 22-25); 2) quia Maria fuit perfectissime coniuncta cum Christo (p. 25), et 3) quia sententia haec caedit in laudem et gloriam Christi (pp. 27-28).

Primam vero rationem theologiam quae magis proprie ad rem facit, ita exponit: « Ad rationem enim capitis moralis, secundum S. Bonaventuram communemque theologorum sententiam, tria praesertim exiguntur: primatus seu prioritas respectu membrorum, plenitudo gratiae ac meriti « secundum redundantiam », et ultimo causalitas influxusque moralis in omnes quorum est principium.

« Hae tres conditiones prioritatis, perfectionis influxusque, proprie et eminenter inveniuntur in sanctissima Deipara.

« Ex eo enim quod, secundum Beatum Duns Scotum, Virgo gloriosa ante omnes absolute uno eodemque decreto cum Christo Domino praedestinator et omnium operum Dei causa finalis et exemplaris cum Verbo Incarnato constituitur, liquet, ait Carolus del Moral, « Deiparae convenire prioritatem qua, ut finis propter quem amantur creaturae et ad ipsam referuntur, ante omnes creaturas etiam angelicas primatum teneat in divinis decretis; prioritatem pariter qua principatu praeficitur ut Regina et Domina angelorum, qua vere tanquam potentissima dependenter a Filio ipsis imperat, et qua eminet in perfectione gratiae » super omnes.

« Pariter, sicut Deipara primatum tenet in praedefinitione Dei ut praestantissima omnium creaturarum, ita in omni ordine gratiae, gloriae ac meriti « tenet primatum ». « Perfectiones quidem gratiarum, ait S. Bernardinus Senensis, quas Virgo suscepit in conceptione Filii Dei, solo intellectui divino, Christo et sibi comprehensibiles exstiterunt... Oportuit enim, ut sic dicam, foeminam elevari ad quandam aequalitatem divinam per quandam quasi infinitatem perfectionum et gratiarum, quam aequalitatem nunquam creatura experta est; unde credo quod ad illam abyssum imperscrutabilem omnium charismatum Spiritus Sancti intellectus humanus vel angelicus nunquam potuit attingere ».

« Tot ac tantis quidem charismatibus exornata fuit Beata Maria Virgo, ut de eius plenitudine accipiant universi sicut censent S. Bonaventura, alique theologi communiter; proinde eminentiam perfectionis in summo habet, quae capiti morali de iure convenit ».

« Ulterius, influxus sive causalitas in universum Christi corpus mysticum Virgini Immaculatae plane competit, quia eminentia meritorum suorum omnes excedit, imo, ut testatur S. Bernardinus Senensis, « Virgo Beata in conceptionis Filii Dei consensu plus meruit quam omnes creaturae, sive angeli sive homines, in cunctis suis actibus, motibus et cogitationibus » (pp. 22-24).

Ex hisce omnibus concludit: « tutum ac omnino probatum est tenere in primario absolutoque decreto Trinitatis de Verbo Incarnato Mariam Virginem praedestinatam esse, una cum Christo, tanquam *caput* secundarium totius Ecclesiae » (p. 28).

Etiam P. Bover S. I., adhaerere videtur huic sententiae. Gratia capitalis Deiparae — iuxta P. Bover — duplici sensu diverso intelligi potest, videlicet: aut dependenter ab ipsamet imagine capitis et corporis, aut independenter ab ipsa. Si consideretur sub priori respectu, *gratia materna* Mariae non est gratia capitalis, eo quod maternitas non solum non includit aut postulat rationem capitis sed ipsam excludit, sicut excludit quod sit membrum eius, cum sit mater omnium membrorum Christi. Si vero gratia capitalis Deiparae consideretur sub secundo respectu (independenter scilicet ab imagine capitis et corporis), *gratia materna* Mariae potest dici aliquo modo capitalis, eo quod ratione associationis Christo Redemptori unicum cum ipso et adaequatum constituit redemptionis humanae principium. Redemptio enim Christi non eadem simultaneitate logica respicit Mariam et alios, sed Mariam, antea (anterioritate logica) et postea (posterioritate logica) alios sed una cum cooperatione Mariae. Gratia B. Virginis proinde, si non potest haberi tamquam principium absolute primum redemptionis, se habet tamen tamquam principium relative primum redemptionis communis omnium aliorum redemptorum. Et hoc sufficit pro ratione capitis relativa et subalterna (cfr *Rev. Esp. de Teología*, 5, 1945, 82-86).

2) Refutatio huius sententiae.

Quid de hac sententia dicendum?... Nobis videtur *simpliciter negandum esse B. Virginem dici posse caput, licet secundarium, Ecclesiae.*

Caput enim, in suo ordine, dicit prioritatem *absolutam* relate ad omnia alia membra, inter quae est etiam Deipara. Iamvero, prioritas haec absoluta solummodo Christo competit, ex quo solo, tanquam ex primario fonte et motore universali, quilibet supernaturalis influxus in omnia sui corporis mystici membra, non exclusa B. Virgine, profluit. Ratio ergo capitis quamlibet subordinationem et dependentiam excludit.

Argumenta vero quae a defensoribus sententiae affirmativae afferuntur, hoc solum probant, B. Virginem Sociam esse Mediatoris et ideo indissolubiler coniunctam esse cum ipso in universo mediationis opere; et ratione huius officii a Deo sibi demandati, gratiam B. Virginis non solum esse gratiam *individualement* (sicut gratia aliorum membrorum Ecclesiae), sed esse insuper gratiam *socialem* seu gratiam Mediatricis, ad acquisitionem gratiarum pro aliis omnibus ordinatam; nullimode vero sequitur talem gratiam appellari posse *gratiam capitis* quae, ut diximus, Christo tantummodo competit.

Nec valere videtur exemplum de Summo Pontifice qui dicitur caput Ecclesiae, propter *externam gubernationem* quam Christus ei committere voluit. Pontifex enim, est caput Ecclesiae secundum quid, non vero simpliciter, id est caput *visibilis* Ecclesiae, non vero *invisibilis*. B. Virgo vero, si esset caput Ecclesiae, eodem modo ac Christus, id est, *invisibiliter*, caput esset: quod repugnat.

Si vero insistatur — prout auctores superius laudati faciunt — in *subordina-*

tionem B. Virginis relate ad Christum, tunc deficit illa prioritas absoluta relate ad omnia alia membra; et ideo B. Virgo, melius quam caput *secundarium*, subordinatum, diceretur *collum* Ecclesiae. Et de facto hoc tantummodo probare videntur varia argumenta a praetatis auctoribus adducta; quinimmo P. Bello, prout vidimus, in sua argumentatione pertingit usque ad explicitam *identificationem capitis secundarii cum collo*. At, si ita est, nonne melius erit, ad confusionem vitandam, ab appellatione *capitis* secundarii vel subordinati abstinere?

Nec inconvenientibus obiatur asserendo B. Virginem esse caput *secundarium* Ecclesiae. In hac enim assertione contradictio quaedam in ipsis terminis haberi videtur. Caput enim, si revera tale sit, nunquam quid *secundarium* esse potest, sed semper quid *primarium* esse debet. Nec valet exemplum de *paterfamilias* qui, licet sit caput societatis domesticae, habet supra se aliud caput, seu gubernatorem societatis civilis. Etenim, etiam *paterfamilias* est vere caput *primarium* societatis domesticae, eo quod ipsi competit prioritas absoluta relate ad alia omnia eiusdem societatis domesticae membra: quod de B. Virgine, relate ad mysticum Christi corpus dici nullimode potest.

II) De sententia asserentium B. Virginem esse Cor Ecclesiae

1) **Origo et evolutio huius sententiae.** Vestigia quaedam huius sententiae inveniri possunt in effatis quibusdam ab antiquioribus per transennam prolatis, et qui a Marracci referuntur,¹ absque ulla tamen relatione ad mysticum Christi corpus. Ita, e. g. *Esychius* B. Virginem appellavit « Cor Ecclesiae, quod eructavit verbum bonum » (ad Ps. 44), vel « Cor in quo fidelium vita Christus habitavit » (ibid.); *S. Anselmus Lucensis* B. Virginem « Cor nostrum » salutavit (Sup. *Ave Maria*); *S. Albertus M.* in Beata Virgine vidit « Cor ex quo vita procedit » (Serm. 21 *de Eucharistia*) vel « Cor quia nobilissimum membrum gentis suae » (ibid.).

At primus qui hanc imaginem Cordis magis excoluit fuisse videtur *Ernestus Pragensis* qui, prout legimus apud Marracci, haec scripsit: « Cor nostrum, quia sicut in corde est propria sedes spiritus vitalis et ex ipso vita procedit... et ex ipso vita dependet, ita et B. Virgini tota die dicimus quod ipsa est vita, dulcedo et spes nostra; ipsa est quasi fons vitae, de cuius plenitudine accipimus omnes. Christus enim caput; Maria vero cor nostrum » (*Mariale*, c. 83).

« Cor, quia sicut cor habet ad cetera membra imperium, dignitatem, providentiam et conformitatem; ita Maria ad Ecclesiam, unde ipsa est cor nostrum... ipsa enim habet imperium super nos, quia Domina imperatrix... et nobilissima creaturarum; ipsa totius corporis Ecclesiae curam gerit, tamquam mater familias; ipsa influit nobis conformis et similis in natura » (ibid.).

¹ *Polyanthea Mariana*, 2p. BOURASSÉ, *Summa Aurea*, t. 9, coll. 1065-1067.

«Cor, quia sicut cor... est principium sanguinis ita Maria est principium illius sanguinis qui est vere potus et ad omnia membra corporis Ecclesiae derivatur » (ibid.).

Inter recentiores Theologos, sententiam de B. Virgine corde Ecclesiae defendunt SCHEEBEN (*Dogmatik*, 3, pp. 503, 512), FECKES (*Das mysterium der heiligen Kirche*, 1934, p. 190), MURA (*Le corps mystique du Christ*, t. 1, 1937, p. 278), AGUILAR, C. M. F. (*Harmonías del Corazón de la Virgen Madre*, part. 2, c. 4), HUGON (*La Mère de Grâce*, p. 121), ARINTERO, (*Desenvolvimiento y vitalidad de la Iglesia*, vol. 1, lib. 1, 7, *Misión Cosantificadora de María, como Esposa del Espíritu Santo*, ap. « Crónica del primer Congreso Mariano Montfortiano », Barcelona 1918, pp. 275-276), TERRIEN (*La dévotion au Sacré Cœur*, l. 1), GILLET M. (*Rapport au Congr. Mar. de Reims*, 1934), MUSGER (*Mariens Stellung in organismus der Kirche*, in *Theolog. Prakt. Quart.*, t. 91, 1938, pp. 528-530), P. GARCIA GARCES, C. M. F., (*Mater Corredemptrix*, Marietti, 1940, pp. 290-293), MC CARTY (*The Universal Mediation of the blessed Virgin*, in *The Irish Ecclesiastical Record*, t. 52, 1938, p. 141), LUIS (l. c., pp. 52 ss.), TROMP (*La Iglesia, cuerpo místico de Cristo*, pp. 6, 23).

Rationes vero praecipuae in favorem huius sententiae ita exponuntur a P. Garcia:

a) Maria est plena gratiae, in qua nempe gratiae omnes confluunt, et in membra ex Maria diffunduntur, non secus ac in corde sanguis et vita omnium organorum accumulatur et *ex ipso* ac *ipsius actione* distribuitur.

b) Sicut inter caput et cor verus mutuus influxus datur: caput enim sanguine cordis nutritur a quo perinde materialiter pendet, caput autem motum et vitam per nervos mittit in cor quod operari potest solum per motionem capitis.

« Porro, Maria vera Mater Dei influit in Caput (Christum) cui vitam humanam contulit; ipsa vero (Maria) vitam spirituales a capite Christo accipit et solum ita potest et fidelibus vitam communicare ».

c) Sicut cor primum vivit et formationi totius organismi praest, ita Maria prius redempta et singulariter Christo unita, sub actione Spiritus Sancti praest etiam formationi totius Ecclesiae et verum habet influxum.

d) Functiones cordis praeterea sunt intimae, occultae in communicanda vita, ita etiam Maria non habet munus exterius in Ecclesia, sed eius officium est secretum, invisibile, continuum, efficacissimum, deferens omnibus vitam caelestem. Adde quod officium vere maternum et misericordiae Mariae melius designatur per cor, symbolum amoris et misericordiae apud gentes universas.

« Adde postremum, quod Maria has ipsas functiones exercent amore inenarrabili et affectuosissima charitate, quae etiam symbolice Cor Mariae nuncupatur, et vide quam recte, quam pulchre, quam solido fundamento et magna suavitate Cor Mariae Immaculatum Cor Ecclesiae dici et venerari mereatur » (l. c., pp. 292-293).

Has easdem rationes, plus minusve, prius exposuerat P. Mura, sive in o. c., sive praesertim in *Ephem. Regina dei Cuori*, t. 24 (1937), pp. 7-10, 32-34, 55-58, 79-82.

2) **Iudicium de hac sententia.** Sententia haec nobis videtur magis pulchra quam vera, magis poetica quam theologica.

Verum quidem est similitudine hac plura officia B. Virginis apte illustrari. Attamen, contra talem similitudinem:

1. Obstat *novitas*. Non enim dici potest usu saeculorum aut usu Ecclesiastici magisterii consecrata.

2. Obstat *doctrina S. Thomae*, iuxta quam Cor Ecclesiae dici debet *Spiritus Sanctus*. Scribit enim Angelicus Doctor: « Dicendum quod caput habet manifestam eminentiam respectu caeterorum exteriorum membrorum: sed cor habet quandam influentiam occultam; et *ideo cordi comparatur Spiritus Sanctus*, qui invisibiliter Ecclesiam vivificat, et unit: capiti autem comparatur ipse Christus secundum visibilem naturam, secundum quam homo hominibus praefertur » (3, q. 8, a. 1, ad 3). Gratis vero, ad eludendam auctoritatem Angelici Doctoris haec a P. Garcia asseri nobis videntur: « Cum S. Thomas comparat cordi Spiritum Sanctum, interpretatur verbum Apostoli: Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum... (Rom., 5, 5)... » (l. c., p. 290). In textu enim S. Thomae nullum invenitur huius interpretationis indicium. Ne confusio igitur oriat, similitudo cordis Spiritui Sancto relinquenda videtur, qui « Ecclesiam vivificat » et qui est revera « principium et centrum totius vitae nostrae spiritualis »: quod de B. Virgine incaute omnino diceretur.

3. Obstat ratio ipsa Cordis quod in ipsum caput influxum exercet, dum B. Virgo in Christum caput, post eius in sua natura humana constitutionem, nullum exercet influxum.

III) De sententia asserentium B. Virginem esse Collum Ecclesiae.

Origo et evolutio huius sententiae.¹

Primus qui imaginem *Colli* Deiparae accommodavit, fuisset iuxta quosdam, AUCTOR SERMONIS *De Assumptione B. M. V.* (saec. IX, probabiliter Paschasius Radbertus vel Ambrosius Autpertus) qui scripsit: « In Christo fuit plenitudo gratiae sicut in capite influente, in Maria sicut in *collo transfundente* ». At nescimus ubi haec, in laudato sermone asserantur.

RADULPHUS ARDENS (saec. XI exeunte): « Fuit, inquit... B. Virgo Collum, per quod exiit ad nos Verbum Dei » (PL 155, 1429).

HERMANNUS ABBAS S. MARTINI TORNACENSIS (exeunte saec. XII) clarius adhuc: « Collum, inquit, inter caput et corpus medium est, caputque iungit corpori. Collum ergo sanctae Ecclesiae competenter Domina nostra intellegitur, quae, inter Deum et homines Mediatrix existens, dum Dei Verbum incarnatum genuit, quasi caput corpori, Christum Ecclesiae, divinitatem humanitati nostrae coniunxit » (PL 180, 30).

S. AMEDEUS LAUSANNENSIS: « In collo, quod ceteris membris eminent, et vitalem gratiam capitis artubus subministrat, altitudo illius (Virginis) exprimitur,

¹ Cfr MARRACCI, *Polyanthea Mariana*, apud BOURASSÉ, *Summa Aurea*, t. 9, coll. 1036-1041.

quae praesidens membris Ecclesiae, caput suo nectit corpori, quia Christum coniungit Ecclesiae, et vitam quam primo loco suscepit, reliquis membris infundit. Decebat enim, ut, sicut per feminam mors, sic per feminam vita intraret in orbem terrarum. Et, sicut in Eva omnes moriuntur, ita in Maria omnes resurgerent » (PL 188, 1311).

PHILIPPUS DE HARVENG, Abbas Bonae Spei: « Ipsa est quae invenitur Christo capiti sic subesse, ut non sit dubium reliquo eam corpori superesse; et ipsa inter caput et corpus videtur locum medium obtinere; nec ad sponsum filii sponsi possunt nisi media matre, pertinere. Praesente ipsa nobis sponsa, bonum est adhaerere; absente vero, non possunt membra capiti cohaerere. Nobis, longe positus, per ipsam Dei Filius conscendit: ad quem nisi per ipsam, nostra infirmitas non ascendit... Ipsa denique Sponso et Filio, interventu medio, nos commendat... Sponsa Mater et ancilla, nostra omnium Imperatrix, distinctos iungit, iunctos retinet, potens et efficax Mediatrix... Collum bonum, bona interventio, bona denique Mediatrix, quae iungit, quos disiunxerat Eva, noxia separatrix » (PL 203, 260).

HELINANDUS FRIGIDI MONTIS (in saec. XII): « In Canticis in laudem eius dicitur: *Collum tuum sicut turris eburnea*. Per collum quippe caput unitur corpori, et idem collum ut tale pulchre Mariam significat, quae post Christum, qui est caput eiusdem corporis, quod est Ecclesia, eminentissimum membrum est, et Mediatrix nostra, per quam meruimus auctorem vitae suscipere: per quam Christus factus est mediator Dei et hominum. Et quam convenienter collum illud turri eburneae comparatur! Tale namque collum tali capiti congruebat, quod portat omnia verbo virtutis suae » (PL 212, 640). Et alibi: « Collo mediante caput unitur corpori, et corpus capiti coaptatur. Collum quoque eminentissimum membrum est corporis, et per collum tamquam per fistulam traicit sibi vitale stomachus alimentum. Quid enim per collum exprimitur, nisi Mediatrix nostra, felix Virgo Maria? Quae singulariter eminet in corpore, quod est Ecclesia, per quam meruimus Auctorem vitae suscipere, panem scilicet vitae, qui descendit de caelo et dat vitam mundo. Per Mariam enim factus est Christus caput et sponsus Ecclesiae, quando Verbum caro factum est de virginali procedens utero, tamquam sponsus de thalamo suo, eandem sibi Ecclesiam connubio iunxit stabili propriamque dicavit... Sane tale collum tali capiti superponi decebat, quod et per omnia conveniret » (l. c., 667).

RICHARDUS A S. LAURENTIO: « Collum eius, ipsa videlicet quae dicitur collum Ecclesiae, Christo capiti aureo corpus suum iungit, quod est Ecclesia. Et hoc dupliciter: nam Christum genuit Deum et hominem, qui est nostrum caput, ut noster fieret Emmanuel; et, quantum in se est, nos, peccando disiunctos ab eo, suis orationibus iterum reconiungit. Item, sicut per collum interior aër emittitur, exterior vero intus attrahitur, sic per ipsam devotio nostra Deo praesenta-

tur, et ab ipsa nobis misericordia redonatur. Item, sicut saliva ab ipso capite mediante collo in corpus trahitur, sic per ipsam humano generi a Deo Trinitate gratia impetratur. Item, sicut collo mediante descendit in corpus quidquid est ei necessarium, cibi, potus, potationis, medicinae et huiusmodi, sic per ipsam descendit ad nos Filius Dei, qui vera est medicina; cuius caro et sanguis vere cibus et potus: quia per Mariam panem Angelorum manducavit homo in Sacramento altaris. Item, collo verba proferuntur: et Maria bonum pro nobis loquitur in conspectu Dei: quoniam est Advocata nostra; nec fraudare eam vult aut potest Unigenitus suus voluntate labiorum suorum » (*De laud. B. M. V.*, 2, 2, 12). Et alibi: « Ipsa enim est collum Ecclesiae propter coniunctionem divinitatis, quae per caput, et humanitatis, quae figuratur per corpus; quia in utero eius facta est coniunctio divinae et humanae naturae, et unitum genus humanum Christo capiti suo, ut in humana natura simus unum cum Deo » (l. c., 5, 2, 38). Et paulo post: « Maria dicitur collum Ecclesiae. Sicut corpus, nisi collo adhaereat, non potest capiti adhaerere, sic qui huic collo non adhaereret vera dilectione, non potest uniri Christo, qui est caput Sanctae Ecclesiae ». Et addit: « Verbum emittitur: nam ex ea Verbum Patris incarnatum apparuit nobis, et per eam nobis a Patre transmissa est vera salus... Spiritualis alimonia membris Christi, id est, fidelibus, ministratur: quia ipsa mediante panem Angelorum manducavit homo in sacra communione; vel triplex spiritualis alimonia: venia peccatorum, gratia meritorum, gloria praemiorum. Verba proferuntur: quia in conspectu Dei, cum sit Advocata nostra, bonum pro nobis loquitur, et precibus suis bene sonantibus disiunctos nos a Filio per peccatum, quotiens paenitemus, reconiungit eidem » (l. c., 5, 2, 39).

S. ALBERTUS M.: « Per collum intelligitur B. Virgo: per ipsam enim quasi excellentissimam totum corpus Ecclesiae unitur capiti Christo » (*Serm. de Assumpt.*, 2, 5).

GULIELMUS PERALDUS O. P. († c. a. 1270): « Collum est B. Virgo quantum ad mediationem » (cfr DENEFFE, *Wilhelm Peraldus über die Mittlerschaft Mariä*, in *Scholastik*, t. II [1936], p. 556).

RAYMUNDUS IORDANUS: « Sicut collum coniungit caput corpori, sic beata Virgo coniungit Christum, qui est caput, Ecclesiae, quae est corpus, scilicet corporaliter Christum gignendo, et spiritualiter ipsum peccatoribus reconciliando, et quia sicut collum universis membris post caput supereminet in corpore, sic beata Virgo post Christum, qui caput est nostrum, excellentissimum est Ecclesiae membrum... Sicut collum est rigidum et rotundum, et caput supportat, sic beata Virgo numquam inclinata fuit per peccatum, sed semper recta fuit; quia caelos attingebat stans in terra, per contemplationem caelestium, et quasi rotunda per aeternorum desiderium, et novem mensibus portavit suo utero Christum caput nostrum » (*De B. M. V.*, p. III, contempl. 13).

S. THOMAS A VILLANOVA: « Virgo in corpore mystico collum est, Christus vero est Caput Ecclesiae » (*De Domina nostra* Concio 7, op., Manilae, 1883, IV, 504).

THEOPHANES EP. NICAENUS, in perpulchro *Serm. in SS. Deiparam*, edito a P. Jugie a. 1935, aperte asserit B. Virginem esse *collum* mystici corporis Christi (l. c., p. 131).

IOANNES GERSON: « Contemplabatur (Maria) quemadmodum super floridum Iesum, qui est flos campi inenarrabilis benedicti ventris sui, Spiritus Sanctus septem dona, quasi totidem refectionis spiritualis nutrimenta, diffuderat per descensivum illapsum, nec desinit effluere tamquam caput in membra. Sed per quod medium? Plane per te, Virgo, virga Iesse. Tu collum Ecclesiae firmissimum et candidum, tamquam turris eburnea, et suavissimum quasi vinum. Tu connectis Ecclesiae membra capiti Christo Filio tuo, tu sustentas, tu vitales haustus prima suscipis et refluis, tu aspiras et respiras in Ecclesiae corpus univsum » (*Op. omnia*, Autwerpieae, 1706, vol. 4, p. 427 C).

IACOBUS A VORAGINE O. P.: « Collum propter compassionem et pietatem. Sicut enim collum de facili flectitur, sic et ipsa de facili ad compassionem movetur » (*Mariale*, serm. 9). « Collum propter eloquentiae gratiositatem; sicut enim in collo formantur verba, sic et ipsa in conspectu Dei pro nobis loquitur bona verba » (l. c.). « Collum propter eminentiam et dignitatem; sicut enim post caput collum praeminet omnibus aliis membris, sic ipsa post Christum praeminet omnibus sanctis » (l. c.). « Collum propter respirationem et inspirationem; sicut enim a collo aër interior emittitur, sic per ipsam Deo nostra devotio praesentatur. Et sicut exterior aër per collum ad corpus trahitur, sic per ipsam nobis omnis gloria inspiratur » (l. c.). « Collum propter subministrationem; sicut enim a capite mediante collo in corpus descendunt omnia nutrimenta, sic a Christo per Virginem in nos veniunt omnia Dei bona » (l. c.). « Collum propter substentationem, sicut enim collum caput substentat, sic et illa nos omnes substentat » (l. c.). « Collum ratione coniunctionis; quia sicut collum coniungit caput corpori, sic ipsa coniungit Christum, qui est caput Ecclesiae, quae est suum corpus » (l. c.). « Collum ratione mediationis; quia sicut collum est medium inter caput et corpus, sic et ipsa est mediatrix inter Deum et nos » (l. c.). « Collum ratione rectitudinis; sicut enim collum est rectum, sic et ipsa in omnibus quae agebat rectam intentionem habebat » (l. c.).

S. BERNARDINUS SENENSIS: « Omnium gratiarum, quae humano generi descendunt, sicut Deus generalis est dator, et Christus est generalis Mediator, sic per beatam Virginem generaliter dispensantur. Nam, ipsa est collum capitis nostri, per quod omnia spiritualia dona corpori eius mystico communicantur » (Dom. 1 Quadrag., serm. 10, a. 1, c. 3). Et alibi: « Nam sicut per collum vitales spiritus a capite descendunt in corpus; sic per Virginem a capite vitales gratiae

in eius corpus mysticum transfunduntur. Unde iste est ordo divinarum gratiarum defluxus, ut prius a Deo defluant in Christi animam benedictam, deinde in animam Virginis matris, inde in Seraphim, et sic successive in alios sanctos ordines angelorum; demum in Ecclesiam militantem... » (Serm. 5, *De Virginis Matris Dei Nativitate...*, art. unic., c. 8; ed. Martello, Neapoli 1854, p. 65).

S. ROBERTUS BELLARMINO: « Nempè collum est inter caput et reliquum corpus medium: media inter Christum et Ecclesiam Maria » (Cont. 40, *de Assumpt. B. M. V.*). « Christus caput est Ecclesiae: et Maria Collum est Ecclesiae. Omnia munera, omnes gratiae, omnes caelestes influxus a Christo, tamquam a capite, et per Mariam, quasi per collum, in Ecclesiae corpus descendunt... Ipsa est enim capiti proxima, ipsa corpus cum capite iungit, per ipsam caelestes capitis influxus in membra descendunt... O illos miseros..., qui tale collum non recognoscunt, non venerantur, non colunt! Ut enim membrum aliquod, si a capite influxum recipere dedignetur, arescet omnino et morietur, ita et haeretici, qui vitam a Christo et gratiam cupiunt, et per Mariam habere recusant, ieiuni et aridi manent, et perpetuo permanebunt. Non sic sancti Patres nostri, non sic: sed omnes cultores et amatores huius sanctissimae Virginis fuerunt » (Cont. 42, *de Nativ. B. M. V.*).

Praeter Scriptores istos, numerari possent et alii, ut ÜBERTINUS DE CASALE (1305), (*Arbor vitae crucifixae Iesu*, ed. Venet. 1485, charta C, col. 14), BERNARDINUS DE BUSTIS (*Sermo 8 de Annuntiat. B. M. V.*), MAURITIUS DE VILLA, Probat. (*Serm. 18 Coronae novae B. M. V.*), PETRUS BARDUS (*Serm. 5 de Concept. B. V.*), ERNESTUS PRAGENSI (*Mariale*, c. 82), BARTHOLOMAEUS DE PISIS (*De laud. Virg.*, l. 1, fruct. 2), B. IOANNES DE AVILA (*Serm. in Praesent. B. M. V.*), ALFONSUS SALMERÓN (op. tom. 3, tract. 5, pp. 39-40), FRANCISCUS SUAREZ (*In 3 P. D. Th.*, disp. 23, sect. 1, n. 5), LUDOVICUS DE LA PUENTE (*Expositio moralis et mystica*, in Cant., l. 3, exhort. 27; l. 7, exhort. 15, § 1; *ibid.*, § 3), IACOBUS ALVAREZ DE PAZ (*De inquisitione pacis sive studio oraticnis*, l. 3, p. 2, c. 7, med. 6), etc.

Sed praestat, prae ceteris audire P. ANGELUM FRANCISCUM TIGNOSI O. S. M. qui magis fuse quam quilibet alius, et aliorum veluti dicta resumens, de hac similitudine Colli ita scribit: « Sta collocato a guisa di candida colonna, benchè di pezzi diversi composta, in eminente luogo fra li due homeri, et è di cose snodate, per addoppiarsi all'uno et all'altro lato, il Collo, et è quella parte, che è tra il capo et il corpo, il quale non tanto per ornamento di così meraviglioso colosso fu egli dal Sommo Artefice Iddio fatto, come per due notabili officii all'huomo molto bisognoso; conciossia che per lui, come per due canali, per l'un passa il nodrimento con che viviamo, e per l'altro varca l'aere per cui respiriamo, e cotal per molto gratioso nella Beatissima Sposa di Dio Maria Vergine. Tiene molti significati nella Scrittura Sacra, e tutti misteriosi il Collo... Misteriosissimo a mio giudicio è quello, quando in persona dello stesso Dio, prorompendo nelle lodi della bellissima Sposa sua colà nel principio della cantica disse *Collum tuum, sicut monilia* Cap. 1... Io con Roberto Abbate, per Collo di cui favella lo Sposo Iddio, altro non intendendo, che la stessa Vergine, la quale appunto, *sicut Collum caput Corpori unit* (così dice egli ne' suoi Com. sopra la Cantica) *sic Maria Ecclesiae Christum copulavit*, soggiugnendo

in oltre: come officio del Collo è di ricevere ogni influsso, che dal capo scende, e quello comunicarlo al corpo, e come dice il mellifluo Dottore: *sicut Collum est canalis quo influentiae a capite descendunt, et quo etiam humores a corpore in caput ascendunt, sic Maria Virgo est canalis, per quem Christi dona ad nos descendunt, et orationes nostrae ad illum perveniunt.*

« Vaga e leggiadra similitudine è questa, mentre lo Sposo Iddio dice alla bellissima Sposa sua Maria Vergine: *Collum tuum, sicut monilia.* Tre sono que' rispetti per li quali Maria Vergine vien assimigliata al Collo; il primo mira Iddio, l'altro se stessa, e l'ultimo tutti noi. Quanto al primo poco sopra l'accennammo, dico la grande unione che col mezzo di lei fu fatta, mentre nel pudicissimo e castissimo suo ventre si fece quella gran congiunzione della natura divina ed humana nel solo supposito, all' hora dico quando *Verbum caro factum est.* È mezzano il Collo fra il capo e il corpo; ed ella fu mediatrice fra Iddio e noi, mentre col mezzo del felicissimo suo parto: *cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filii eius,* all' hora che a noi fu perdonata ogni colpa, e fummo restituiti nella primiera gratia, e per conseguenza fatti degni dell'eterna gloria; però quanto a questa parte, troppo a ragione fu assimigliata al Collo dicendo: *Collum tuum, sicut monilia.* Come altresì quanto a se medesima troppo leggiadramente le si adatta cotale similitudine. Capo della Chiesa Santa è il benedetto Cristo; *ipse est caput corporis Ecclesiae,* disse l'Apostolo: hora, come 'l capo, e per l'eminenza, e per la dignità all'altre membra resta superiore, e dopo lui ne segue il collo; così dopo Cristo, il quale quanto all'humanità è superiore ad ogni creatura, o sia humana, o sia Angelica, siegue la gloriosissima Vergine di lui vera e real madre, la quale, come canta la Chiesa: *Exaltata est sancta Dei genitrix super choros angelorum ad caelestia regna;* onde per mostrar cotal preminenza di santità sopra ogn'altra pura creatura, con profonda humiltà di se medesima disse: *Quasi Cedrus exaltata sum in Libano,* perchè com'el Cedro eccede tutti gli altri alberi in altezza, così ella, dopo Cristo, supera ogni altro di dignità e gloria, senza che, come nel Collo vien formata la voce, la qual poscia pervenendo a gli orecchi de gli uomini acquista la gratia loro, così ella, che a guisa di Collo viene assimigliata, formò così soave voce, che lo stesso Iddio, come se preso stato fosse dalle bellezze di essa, pregolla, che reiterar la volesse: *sonet vox tua in auribus meis,* e ne rende ragione: *vox enim tua dulcis, et facies tua decora;* onde per si fatta ragione possiamo dir noi, che lo Sposo di Lei Iddio render la volesse simile al Collo dicendo *Collum tuum sicut monilia.* È posto dalla natura per sostegno del capo il Collo il quale, come dritta colonna sostiene la più nobil parte di così vago colosso, e la Vergine (e questo è il terzo rispetto, perch'ella sia assimigliata al Collo, che riguarda noi) è dessa che sostiene li giusti, che non cadino nella colpa, li penitenti, che non facciano ritorno al peccato, e anco gli stessi peccatori, acciò per un'habito ostinato nel peccato già fatto, non habbiano a cadere nel baratro infernale, pregando per loro, che pure per si fatta cagione ella è chiamata: *Refugium peccatorum...* Ma per un'altra cagione ancora (e in questa è posto ogni mio scopo, e la toccammo poco sopra) vien ella assimigliata al Collo, e fu quando riferimmo l'opinione di S. Bernardo, che cosa egli per Collo intendesse. Come dal capo per mezzo del Collo scende ogni nodrimento nel corpo, così tutte le gratie, che Cristo ci fa, passano tutte per le mani di Maria Vergine, come anco, se vogliamo, che le nostre orationi siano a Dio accette, convien che passano per le mani di lei... Ella dunque come liberalissima dispensatrice de' celesti favori a noi è da Dio costituita: *Manum suam aperuit inopi, et palmas suas extendit*

ad pauperem, essendo ella de' nostri avversi casi pietosissima, e come Collo appunto, che snodato s'addoppia in questa parte e 'n quella, a man destra e a mano sinistra, innanzi e dietro; così ella a coloro che sono nella prosperità nella temperanza loro mantiene; a quelli che stanno a mano sinistra ne' travagli, conserva la pazienza; agli uomini giusti, che sono dinanzi la faccia di Dio dà loro maggior aumento di gratia; a quelli che hanno voltato a Dio il tergo, loro procura riconoscimento tale, affine che si riducano alla penitenza, ed in somma *non v'è cosa nel Collo, la quale distintissimamente non rappresenti Colei a cui fu detto: Collum tuum sicut monilia...* » (*Statua di Maria Vergine*, Milano, presso Agostino Tradate, 1605, pp. 180-181).

Praecedentium Scriptorum dicta corroboravit sua auctoritate PIUS X qui in Encyclica *Ad diem illum* scripsit quod Maria est « etiam collum, per quod corpus cum capite iungitur, itemque caput in corpus vim et virtutem exerit... Nam ipsa est collum Capitis nostri, per quod omnia spiritualia dona corpori eius mystico communicantur ».

Iudicium de hac sententia.

Sententia haec, prae aliis omnino praeferenda videtur ob plures rationes. Etenim:

1) Pro se habet usum plurium saeculorum, nempe, a saec. IX usque ad nostra tempora.

2) Insuper, pro se habet usum magisterii Ecclesiastici, cum veluti consecrata inveniatur a Pio IX in Encyclica *Ineffabilis Deus*, et a Pio X in Encyclica *Ad diem illum*.

3) Tandem, optime omnino et melius quam quaelibet alia sententia, locum exprimit quem B. Virgo in mystico corpore Christi tenet, simulque ideam completam de B. Virgine exhibet.

Etenim:

a) Sicut collum medium tenet locum inter Caput et cetera membra, ita ut considerari debeat sive in relatione ad caput et ad membra, sive in seipso; ita B. Virgo *medium* tenet locum inter Hominem Deum (caput) et ceteras creaturas (membra), ita ut considerari debeat sive in sua relatione ad Hominem Deum, sive in sua relatione ad ceteras creaturas, sive in seipsa.

b) Sicut collum, consideratum in sua relatione ad caput, dicit et perficit *unionem* capitis cum corpore, ita B. Virgo, considerata in sua relatione ad Hominem Deum, dicit et perficit *unionem* Dei cum natura humana, personae divinae hypostatice unita.

c) Sicut collum, consideratum in relatione ad cetera membra, dicit et perficit *unionem* inter caput et membra, ita B. Virgo, considerata in sua relatione ad creaturas, dicit et perficit *unionem* seu coniunctionem inter Deum et creaturas, ita ut vera *Mediatrix* dici possit.

Insuper sicut collum est *sub capite* et *a capite* in sua actione dependet, ita B.

Virgo Mediatrix est sub Christo Mediatore (mediatio *secundaria*) et a Christo Mediatore dependet (Mediatio *subordinata*).

Insuper, sicut collum ita capiti adhaere. ut ex utroque unicum veluti principium constituatur, ita B. Virgo, in opere mediationis, ita Christo Mediatori adhaeret et cum ipso connectitur, ut unicum veluti totale principium constituatur vitalis et supernaturalis influxus in omnia membra derivandi.

d) Sicut collum in seipso inspectum, *eminet* super omnia alia membra corporis, capite excepto, ita B. Virgo, considerata in seipsa, *eminet* super omnia alia membra, tamquam Regina cui omnia subduntur.

Pariter, sicut collum *unum* est in quolibet corpore, dum alia membra (e. g. oculi, brachia etc.) sunt plura, ita et B. Virgo *una* est, singularis omnino, a ceteris omnibus distincta et cum ipsis minime confundenda, ita ut singularia omnino privilegia, sive quoad animam sive quoad corpus sibi vindicet. Non enim est una de omnibus, sed una supra omnes.

Tandem, sicut adhaesio collo *necessaria* est pro omnibus membris ad hoc ut influxum capitis recipere valeant, ita adhaesio B. Virgini per fidem, amorem etc. necessaria est omnibus ut influxus Christi capitis recipere valeant.

Nec valida nobis videtur obiectio P. Garcia: «Revera omnis comparatio claudicat; sed in praefata (de Collo) nimiam invenimus claudicationem: collum est pars corporis mere statica (?) nulloque modo actiosa; media quidem sed absque propria functione, et se habens per modum canalis et aquaeductus. Mala igitur metaphora ad declarandum interventum moralem in dispensatione gratiarum; peior ad exponendam corredemptionem obiectivam; pessima si ad haec omnia praedicta adiciatur insuper explicanda causalitas physica in gratiis elargiendis quam nonnulli tuentur, et iuge exercitium maternitatis spiritualis » (l. c., p. 290).

Etenim, contrarium prorsus nobis verum videtur. Falsum enim est dicere collum esse partem corporis *mere staticam* (?) *nulloque modo actiosam*. Collum enim, praesertim iuxta recentiores theorias physiologicas, est pars corporis quae suam habet activitatem.

Nedum *iungit* caput corpori, sed verum exercet influxum, per varia sua organa activa, in omnia corporis membra. Collum enim, nedum *medium* tenet locum, sed etiam *officium coniungendi* exercet. Falso igitur collum dicitur pars corporis « media quidem, sed *absque propria functione*, et se habens per modum canalis et aquaeductus ». Quamvis enim imagines colli et aquaeducti bene eandem rem, seu mediationem expriment, imago tamen colli (quae est activa, dinamica) valde differt ab imagine aquaeductus (qui est passivus et staticus).

Insuper: non « mala » sed « bona » dici debet « metaphora (colli) ad declarandum interventum moralem in distributione gratiarum ». Bene enim exprimit quomodo gratiae seu influxus omnes supernaturales, per Mariae manus ad nos deriventur: quod a pluribus auctoribus (e. g. S. Bernardinus Senensis, Pius X etc.) in explicatione imaginis explicite asseritur.

Pariter, non « peior » sed « melior » est methaphora colli « ad exponendam corredemptionem obiectivam » eo quod B. Virgo, tamquam mysticum collum, membra seu homines cum Deo, a quo per peccatum disiuncta erant, sua operatione coniungit: quod etiam a pluribus auctoribus iam citatis explicite asseritur, e. g. Radulphus Ardens, Hermannus Tornacensis etc.

Tandem, non iam « pessima » sed « optima » dicenda erit imago colli « si adiciatur insuper explicanda causalitas physica in gratiis elargiendis, quam nonnulli tuentur, et iuge exercitium maternitatis spiritualis ». Influxus enim colli in membra, est *physicus*, et ideo causalitatem physicam B. Virginis in distributione gratiarum optime exprimere valet. Ceterum « in metaphoricis locutionibus non oportet attendi similitudinem quoad omnia » (3, q. 8, a. 1, ad 2).

Liceat hoc nostrum qualecumque scriptum verbis illis Eadmeri concludere:

« Domina, Domina, quod ego qualiscumque homuncio, et vere magnus peccator haec corde impuro de te meditari, fetido ore effari, pollutis digitis ausus fui scribere, parce, quaeso, parce et miserere. Nosti enim, pia domina, haec me ita praesumpsisse, quia talem me confiteor esse ut nec caelo nec terra iudicem dignum esse; et ideo nimis anxius vellem, si quomodo valerem, eniti quatenus aliquo miserationis suae intuitu super me Deus intenderet, qui sua ineffabili gratia vel modicum sancti amoris affectum erga benignitatis tuae dulcedinem in me accenderet. Confido quippe quoniam si hoc faceret, ab iis quae merui poenis inferni sua misratio tuaque subventio me forte redimerent. Quapropter, Domina, ne indigneris quasi audaci ac praesumptuoso, quia si quid horum in istis esse videtur, mea gravis necessitas compulit, et tua grandis et omni saeculo probata bonitas suasit » (*Tractatus de Conceptione S. Mariae*, n. 38, pp. 47-48, Friburgi Br. 1904).

I N D E X

PARS SECUNDA

DE SINGULARIBUS PRIVILEGIIS B. MARIAE V.

SECTIO PRIMA

DE HIS QUAE PERTINENT AD ANIMAM B. M. V.

Cap. I – DE IMMUNITATE ANIMAE B. M. VIRGINIS A QUALIBET IMPERFECTIONE	7
Art. I – <i>De immunitate B. M. Virginis a peccato originali</i>	11
Bibliographia	11
Propositio: « B. Virgo Maria, in primo instanti suae conceptionis, fuit, singulari omnipotentis Dei gratia et privilegio, ab omni originalis culpae labe praeservata immunis »	19
Propositionis declaratio	19
I. <i>Probatur ex Magisterio Ecclesiastico</i>	23
II. <i>Probatur ex Sacra Scriptura</i>	25
1. Textus primarii	26
1) Ex Veteri Testamento	26
2) Ex Novo Testamento	28
2. Textus secundarii	31
1) Ex Veteri Testamento	31
2) Ex Novo Testamento	32
Obiectiones ex S. Scriptura	33
III. <i>Probatur ex Traditione</i>	34
1. A saeculo I ad saec. V	34
2. A saeculo V ad saec. XI	37
1) In Ecclesia Graeca	38
2) In Ecclesia Latina	42
3. A saeculo XI ad saec. XV	46
1) In Ecclesia Graeca	46
2) In Ecclesia Latina	48
4. A saec. XVI ad saec. XIX	72
1) In Ecclesia Graeco-Russiaca	72
2) In Ecclesia Latina	73

IV. <i>Rationes Theologicae</i>	77
1) <i>Nulla est repugnantia</i>	77
2) <i>Multiplex convenientia</i>	79
a) <i>Convenientia ex parte Dei</i>	79
b) <i>Convenientia ex parte ipsius B. Virginis</i>	83
c) <i>Convenientia ex parte generis humani</i>	86
<i>Appendix. De positione B. M. Virginis coram lege peccati originalis</i>	88
1. <i>Tractationis ratio</i>	88
2. <i>Tractationis momentum</i>	88
3. <i>Quid et quotuplex sit debitum peccati</i>	89
4. <i>Theologorum sententiae</i>	90
5. <i>Sententiarum discussio</i>	93
6. <i>Nostra sententia</i>	95
Art. 2 – <i>De immunitate B. M. V. a fomite peccati</i>	96
1. <i>Quid et quotuplex sit fomes peccati</i>	96
2. <i>Variae sententiae</i>	97
3. <i>Propositio: «B. Virgo fomite caruit nedum in actu secundo sed etiam in actu primo; attamen caro eius debuisset esse fomiti obnoxia»</i>	98
I. <i>Probatur auctoritate</i>	99
II. <i>Probatur ratione</i>	100
Art. 3 – <i>De immunitate B. M. V. a quolibet peccato actuali</i>	105
1. <i>Status quaestionis</i>	106
2. <i>Propositio: «B. Virgo nulla umquam actualis peccati labe commaculata est»</i>	110
I. <i>Probatur ex Magisterio Ecclesiastico</i>	110
II. <i>Probatur ex Sacra Scriptura</i>	112
III. <i>Probatur ex Traditione</i>	116
1. <i>A saec. I ad saec. V</i>	116
2. <i>A saec. V ad saec. XIII</i>	116
3. <i>A saec. XIII ad dies nostros</i>	117
IV. <i>Probatur ratione</i>	118
Cap. II – <i>DE PERFECTIONIBUS ANIMAE B. M. VIRGINIS</i>	120
Art. I – <i>De gratia B. M. Virginis</i>	120
Praenotanda	120
1. <i>De gratia initiali B. M. Virginis</i>	122
2. <i>De gratia B. M. Virginis in suo progressu et in suo fine</i>	133
3. <i>De natura gratiae B. M. Virginis</i>	146
Art. 2 – <i>De virtutibus B. M. Virginis</i>	148
I. <i>De virtutibus B. M. Virginis in genere</i>	150
II. <i>De virtutibus B. M. Virginis in specie</i>	152
1. <i>De virtutibus Theologalibus</i>	152
a) <i>De fide</i>	152
b) <i>De spe</i>	156
c) <i>De caritate erga Deum et erga proximum</i>	158

2. De virtutibus moralibus	162
1) De prudentia	163
2) De iustitia	164
3) De fortitudine	166
4) De temperantia	167
Art. 3 - <i>De donis Spiritus Sancti</i>	169
Art. 4 - <i>De fructibus Spiritus Sancti</i>	172
Art. 5 - <i>De beatitudinibus</i>	175
Art. 6 - <i>De gratiis gratis datis in B. M. Virgine</i>	177
Art. 7 - <i>De scientia in B. M. Virgine</i>	183
1. De scientia beata	184
2. De scientia infusa	187
3. De scientia acquisita	190

SECTIO SECUNDA

DE HIS QUAE PERTINENT AD CORPUS B. M. V.

Cap. I - DE PERFECTIOE CORPORALI B. M. VIRGINIS	197
Art. 1 - <i>De nobilitate generis B. M. V.</i>	198
Art. 2 - <i>De perfectissima complexione corporis B. M. V.</i>	200
Art. 3 - <i>De singulari pulchritudine B. M. V.</i>	202
Cap. II - DE PASSIBILITATE B. M. VIRGINIS	205
Art. 1 - <i>De subiectione B. M. Virginitatis passionibus et praesertim dolori</i>	206
Art. 2 - <i>De modo quo B. Virgo animi dolorem sustinuit</i>	208
<i>Quaestio specialis: Status iustitiae originalis fuitne Mariae concessus?</i>	214
Cap. III - DE MORTALITATE B. M. VIRGINIS	224
Art. 1 - <i>De facto mortis</i>	224
Art. 2 - <i>De modo quo B. Virgo mortua est</i>	229
Animadversiones relate ad mortem Deiparae	234

SECTIO TERTIA

DE HIS QUAE PERTINENT AD ANIMAM
SIMUL ET CORPUS B. M. VIRGINIS

Cap. I - DE VIRGINITATE B. MARIAE	239
Bibliographia	239
Tractationis excellentia	240
Quid sit virginitas	240
Synopsis errorum	241
Tractationis divisio	245

Art. 1 – <i>De virginitate corporis B. M.</i>	245
I. <i>Utrum Maria fuerit virgo ante partum</i>	245
Prop.: « Maria fuit virgo ante partum, seu Christum concepit sola Spiritus Sancti virtute »	245
1) Probatur auctoritate Magisterii Ecclesiastici	245
2) Probatur auctoritate S. Scripturae	247
3) Probatur auctoritate Patrum et Scriptorum Ecclesiae	251
4) Probatur auctoritate Liturgiae	253
5) Probatur rationibus theologicis	253
II. <i>Utrum Maria permanserit virgo in partu</i>	255
Prop.: « Maria permansit virgo in partu »	255
1) Probatur auctoritate magisterii Ecclesiastici	255
2) Probatur auctoritate S. Scripturae	255
3) Probatur auctoritate Patrum	255
4) Probatur auctoritate Liturgiae	259
5) Probatur rationibus theologicis	259
III. <i>Utrum Maria permanserit virgo post partum</i>	261
Prop.: « Maria permanserit virgo etiam post partum »	261
1) Probatur auctoritate Magisterii Ecclesiastici	261
2) Probatur auctoritate S. Scripturae	261
3) Probatur auctoritate Patrum	265
4) Probatur auctoritate Liturgiae	268
5) Probatur rationibus theologicis	268
Art. 2 – <i>De virginitate animae B. Mariae</i>	269
I. <i>Utrum Maria habuerit propositum virginitatem perpetuo servandi</i>	266
II. <i>Utrum Maria propositum virginitatis voto perpetuo firmaverit</i>	271
III. <i>Utrum Maria omnium prima votum perpetuum virginitatis emiseric</i>	275
Cap. II – DE ASSUMPTIONE ET GLORIFICATIONE B. M. V.	279
Art. 1 – <i>De corporea Assumptione B. M. V.</i>	279
Bibliographia	279
Praenotanda	282
Propositio: « B. Virgo in caelum corporaliter assumpta est »	285
I. <i>Probatur ex Magisterio Ecclesiastico</i>	285
II. <i>Probatur ex S. Scriptura</i>	286
1. Ex Veteri Testamento	287
Ex Protoevangelio	287
2. Ex Novo Testamento	289
1) Ex verbis Angeli	289
2) Ex Epist. I ad Cor.	291
3) Ex Apocalypsi (cap. XII)	293
III. <i>Probatur ex Traditione</i>	296
1) In quinque prioribus saeculis	296
2) A saeculo VI ad saec. X	300
3) A saeculo X ad saec. XVI.	308
4) A saeculo XVI ad saec. XX	325
5) De motu pro definitione dogmatica	329

IV. <i>Probatur rationibus theologicis</i>	335
1. Ex parte Christi	335
2. Ex parte B. Virginis	336
3. Ex parte nostri	338
Art. 2 – <i>De gloria corporis et animae B. M. V.</i>	338
<i>Appendix: De loco quem occupare debet B. Virgo in vita spirituali</i>	341
1. Praenotanda	341
2. De influxu B. Virginis in vita spirituali	342
3. De influxu B. Virginis in triplici stadio vitae spiritualis	343
1) De influxu in via purgativa	344
2) De influxu in via illuminativa	344
3) De influxu in via unitiva	345
CONCLUSIO: De loco quem occupat B. Virgo in Ecclesia, corpore Christi mystico	349
Bibliographia	349
Praenotanda	349
I. <i>De sententia asserentium B. Virginem esse Caput secundarium Ecclesiae</i>	352
II. <i>De sententia asserentium B. Virginem esse Cor Ecclesiae</i>	357
III. <i>De sententia asserentium B. Virginem esse Collum Ecclesiae</i>	359

FINITO DI STAMPARE IL 3 MAGGIO 1948
NELLA TIPOGRAFIA POLIGLOTTA VATICANA